Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Opera Ioan. Goropii Becani, hactenus in lucem non edita : nempe, Hermathena, Hieroglyphica, Vertumnus, Gallica, Francica, Hispanica.

https://hdl.handle.net/1874/424368

HIEROGLYPHICA

IOANNIS GOROPII

BECANI.

ANTVERPIÆ,

Ex officina Christophori Plantini
Architypographi Regij.

cIↃ. IↃ. LXXX.

STVDLERORVM FAMILIÆ

INSIGNIA.

CVRA, ET FIDE.

ORNATISSIMO PRVDENTISSIMOQVE VIRO GASPARO STVDLERO ZVRCHIO,

Christophorus Plantinus S. D.

MAGNI EGO SEMPER, *ornatißime Zurchi, & Becanum ipßum feci, & ßcripta eius doctrinamq;. Eaq; cauſſa, & viuo adhuc illo Antiquitates eius (quibus Beceſelana nomen ludens fecerat) edidi; & nunc mortuo reliquorum eius operum editionem auidè ſum aggreſſus. Quanquam enim prauiderem pleriſque etiam litteratis & doctis, viri huius monumenta non facturа ad guſtum (ſiue quia hæc ex vltima antiquitate repetita, noua multis; ſiue quia ignota iis lingua noſtra, quam ille ſæpe & neceſſariò immiſcet:) tamen quia ſemper artem ſtudumq; meum ad bonum publicum retuliſſem non ad meum, etiam hîc rationem eam habui: & ne Becani ingenium doctrinaq; perirent, perire aliquid malui rebus meis. In quo confirmatum me conſilio auxilioq; tuo fateor: qui reuerſus Traiecto, (quò Becanus noſter moriens te notæ fidei amicum euocauerat, & res ſuas vnà cum clariſſ. Lauino Torrentio commendauerat) auctor mihi ſtatim fuiſti ſcripta hæc vulgandi, & eius rei curam nõ leuem etiam Becano morienti fuiſſe oſtendiſti. Dedi hoc ergo libenter amico mortuo, dedi tibi. qui cùm adflicta & calamitoſa nobis hæc tempora videres; libros præterea Becani eius notæ eſſe, vt quanquã optimi, non paſsim nec optimè venirent: pro tua in amiciſsimum & doctiſſ. virũ pietate ſponte curaſti, vt non contemnenda pecuniæ ſumma, ſumptus mei laboréſque iuuarentur. Quod calcar mihi viréſque dedit ad iſta peragenda: ſicut & Ioſephi Scaligeri doctiſsimi æuo noſtro viri teſtimonium. quod etſi parum de honeſtiſsimo viro honeſtum; tamen illuc valuit, vt commotis multis ad videndum, plu-*

ra hoc triennio exemplaria Becceſelanorum vendiderim, quàm prioribus totis octo annis. Itaque cogito breui eadem Becceſelana iterum dare, ſed correcta ab auctore, dum viueret auctáq;. Tibi autem, prudentiſsime Zurchi, partem ſelectam iſtorum operum, cui Hieroglyphica nomen, iure mihi viſum eſt dedicare. Primum quia pro amicitia auctor ipſe, ſi vixiſſet, id facturus videbatur: deinde quia æquum, vt cuius diligentia, ſtudio, liberalitate lux data his libris, ipſe etiam ab iis accipiat vicißim lucem. Quod futurum confido: non ſolùm propter illuſtre iam Becani nomen, ſed etiam propter proprias tuas egregiáſque virtutes: prudentiam dico, moderationem, fidem, quibus probaſti te iam antè, & nunc maximè in hoc publico munere, quod cum omniũ laude & amore adminiſtras. Vale & nos ama. Antuerpiæ Idib. Sextilib. M. D. LXXX.

INDEX

INDEX RERVM
ET VERBORVM
IN
HIEROGLYPHICA.

A.

A Litterę pronunciatiò & significatio. 24,96.
A & E proprium, vt litteram tinnientem sibi socient. 211
Abraham obedientiæ exemplum. 175.
Abyssini frequenter crucis simulacra in collo & manibus ferunt,&c. 268
Ac. 208,253
Achelous vnde dictus,&c. 208
copiæ cornu permutauit Amaltheæ cornu. 208
Acheloi & Herculis certamen pro Deianira. 208
Adam vnde dictus. 133
Adamus defecit in laude diuina priusquam serpenti fidem haberet. 129
Adami fidem Dei promissio præcessit. 129
Adami & Chauæ in paradiso lapsus. 182
Adorantes cur dextram ori soleãt applicare. 79
Ægyptij papyrum inuenerunt. 31
Ægyptij Theut primũ litterarum inuentorem putauerunt. 12
Ægyptij sacerdotes Cimbrica lingua in sacris vsi. 28,154
Æsculapius vnde dictus, & quod numen,&c. 92
Aesen. 138
Æsopus vnde dictus. 117. & seq.
Æternitas. 59
Agenor quid significet. 3, 9. idem est qui Noëtus. 3, 9, 11. cur Phœniciæ rex fingatur, &c. 10 & seq. eius filius Cadmus. 3. & 11. eius filia fingitur Europa. 11.
Agnus quid humano generi præstiterit. 183
Ἄγριος dictus Pan. 267
Ain litteræ pronunciatio. 219
eius germanum nomen. 223
Aket. 209,222.
Al. 116,149,152,181
Alæ quibus cum alaudis in cælum vehimur. 123
Alauda vnde dicta. 116. vocabulum est Gallicum, ibid. & seq.
Alauda dicta Coridos & ἐπιτυμβὶς. 105
Alauda Christi symbolum. 121
Alauda ipsa terra antiquior dicitur. 115,117,120
Alauda septies quotidie in altum euolat,& hymnos Deo canit. 117, 118. eius cantus epinome. 140.
Alauda patrem cur in capite suo sepeliisse fingatur. 115,121.
eius pater qua ratione mortuus dicatur. 121
Alaudæ antiquitas. 115
Alaudæ caput septies in Bembi tabula hieroglyphica. 118.
Alaudæ capita quid significent in suprema scipionum parte. 126.
Alaudæ natura hominibus sedulò imitanda. 122
Alaudæ opus, fides. 125,126
Alef quid significet. 113
Alef litteræ figura, figuræ partes, & partium rationes. 96,113
Aleph & Daleth in figura discrimen. 152
Alexicacus. 216,231
Ἀλιπλαγκτης dictus Pan. 267
Almusia Canonicorum. 198
Alphabetum cur ab A littera sumat initium, & in T desinat. 24.
Alphabetum duas vitas indicat. 18,22. & seq.
Alphabeti recitatio & interpretatio, 24. eius ordinis ratio. 148.
Alphabeticæ Orationis idem qui Dominicæ ordo, 229. eius paraphrasis. 26. eius epilogi artificium. 236
Altoon. 67
Altus,a,um. 87
Am. 203
Amaltheæ quæ, & vnde dicta,&c. 205,209.
Amaltheæ cornu, vide Cornu.
Ἀμάρα, ἀμαρεύειν. 204,205.
Amoris causſæ. 179
Amuletum fidissimum, veritas. 51
An. 139
Ana, 258
Ang. 218,230
Angelus Caninius Anglarensis refutatur. 6. & sequent.
Anguis vnde dictus. 218
Anguis sidus in Septentrionali cęli plaga. 36
Anima totius vniuersi, ignis. 150, 151.
Animæ definitio. 100
Animam cum corpore interire, persuasio diabolica. 100
Animus à carnis desideriis abstrahẽdus. 214. freno domandus. 237.
Antiquus dierum. 270
Antiquissima quæ sunt, eadem esse præstantissima. 115
D. Antonius cur Tau habuerit & in manu & in pænula. 265.
eius natales. 265
Antonius Cheuallerius refutatur. 7
Anubis vnde dictus. 264,265
Anubis Osiridis & Isidis custos. 264. Spiritus sancti est symbolum. 264
Aperio, is. 57
Apex,icis. 191
Apices litteratũ quales olim fuerint. 189
Apis nominis etymon, &c. 263.
Apollo vnde dictus, &c. 56,57
Apollo dictus Harpocrates. 56. & quare. 57
Apollo idem qui Horus. 50
Apollo cur è loto primum exstitisse fingatur. 84,85,86. & seq.
Apollo Spiritum sanctum denotat. 58
Apologi à Cimbris originem habuerunt. 116
Aprilis vnde dictus. 57
Aqua, materiæ tessera. 170
Ar. 51
Ara maxima. 147
Arces cur altioribus opidorum locis communiantur. 75
Ari forma atque natura. 95
Aries cur Zodiaci initium occupet. 156
Aries immaculatus Christi symbolum. 157
Aristophanes poëta Comicus, pessimus calumniator, &c. 51, 115 188.
Aristoteles, Pythagorę & Platonis desertor, sinistrè veteres philosophos interpretatus. 97,252
Arm. 139
Ascus gigas. 10
Astronomiam duabus columnis ante diluuium inscriptam falso à Iosepho tradi. 11
Athanatizontes dicti Getæ. 101
Au, Aut, Autue. 116,204,253,270
Auditionis fructus. 56
Auf. 57
Aug. 244
Augur, uris. 244
Augurum verum & proprium officium. 244
Auguria quæ bona & quæ mala. 45.
Auguriorum origo & vanitas. 238
Aura, æ. 83
Auris,is. 94
Auris asinina in Harpocrate. &

eius noctua, quam notationem habeat, &c. 94,95
Aures patulæ in Canopo quid significent. 113
Aurum vnde dictum. 83. vnde χρυσὸς dicatur. 82. naturæ nostræ neque vires neque nutrimentum suppeditat. ibid. Soli est sacrum. 66. auro præferendum plumbum. 82
Auxilium diuinum omnibus in rebus implorandum. 202
Axones. 188

B.

B Litteræ pronunciatio & significatio. 132
B Cimbricum sæpè in P transit apud Latinos. 197
Bacchus dictus Nochus. 10,11
Baccho à veteribus cornu tributũ. 207.
Bacchicus thyrsus cur pro mucrone conum habeat pineum. 104.
Baculus cuiusmodi appingatur D. Christophoro, &c. 126,127.
Baculus fidei tessera. 126,127.
Baculus pastoralis reuelationis alterius symbolum. 143
Baes. 16,189
Bæsi nomen vnde Scythopolitanis impositum. 10
Bant. 256
Bar. 31
Bardocucullus. 179
Bardus quis dicendus 179
Barg. 30
Βασιλεὺς. 189
Bat. 133,199
Bat, Beg. 155,201,223
Becker. 201
Bef. 198
Beffa Canonicorum. 198. & seq.
Behema. 228
Behemoth. 228
Belial. 228
Ben, id est, sum. 76
Ben, Bende, id est, turma. 231
Bergen. 220
Beresit vocis compositio. 241
Bet Hebræorum littera quid significet. 6,7. 134. eius figura. 134, 138.
Betracht. 257
Βιαρχὴς dictus Pan. 267
Binarius dilatationi & amplificationi maximè conuenit. 176
Binarius secundam in Trinitate personam, id est, filium denotat. 21,24.
Binarij vita quæ. 21.
Blaster. 222
Boeck, Boic. 30
Boeckenboom. 30
Bog. 222
Boij. 30
Bont. 196
Borg, Borgen. 220
Braten. 138
Brijs. 242.

C.

Ca. 253
Cabiri vnde dicti, &c. 256
Cabirorum pueri. 1
Cac. 170
Cadmilus. 1
Cadmus vnde dictus, & quid significet. 3. vnde oriundus. 3. & seq. Agenoris filius. 3, 11. dictus Iapetus, & idem est qui Ianus. 2, 9, 11. an primus fuerit litterarum inuentor, 1. & seq. eius vxores. 2
Caduceum. 217
Cælum, caput voluptatis. 180 terra beatorum. 67. reuelationis prioris tessera. 143
Cælorum motu omnis diuinus ordo descriptus est. 142
Cælestium corporum contemplatio quem fructum adferat. 123
Calamus. 52
Calor alius quidam & diuinior quàm elementaris. 150
Caloris regni exordium. 350
Camillus. 1
Can. 110,171
Canis præstantia. 264
Canopus vnde dictus. 110. & seq.
Canopus stella. 112
Canopus Ignem deum dicitur vicisse. 109, 113. lituum manibus tenet. 146. cuius rei sit symbolum. 112
Canopi aures patulæ quid significent. 113. eius falx quid notet. 112. eius fabula. 108, 109. eius monumenta in Ægypto. 108. eius simulacrum ex Ægypto Antuerpiam allatum. 108
Cap litteræ figura. 180
Cap vocis significatio. 179
Cap in oratione alphabetica quid significet. 180
Capeduncula Numæ. 262
Capio, is. 52
Capitaneus. 12
Cappæ monachorum. 179
Capræ hieroglyphica significatio. 208.
Caput, itis. 52
Capitis diuersa nomina Cimbrica. 174.
Καρδία. 52,84
Cardo, inis. 52
Carmina siue Versus fuisse antequam litteræ scriberentur. 1
Carnis opera. 214
Castor vnde dictus. 253
Castor & Pollux Dij Samothraces. 257
Castor & Pollux dicti Corybantes. 256
Castor & Pollux dicti Dioscori & Soteres. 255. cur pileati in antiquis monumentis pingantur. 255. Castor eques, Pollux pugil quare fingantur. 255. eorum memoria apud Phœnices clara iam olim ante Troiam euersam. 256. eorum fabulæ & simulacra explicantur. 251, 255 & seq.
Castoris nomen D. Ioãni optimè conuenit. 253, 255
Cat. 170
Caudex, icis. 52
Κάζειν. 1
Ce siue Ke. 44. 181
Celada. 183
Celo, as, are. 56
Celsus, a, um. 87
Centro comparatur Deus. 97
Ceres, eris. 240
Cereris fabula explicata. 240
Cerimoniæ, arum. 249
Cernix, icis. 52
Ceur. 249
Charta ex papyro quomodo fieri consueuerit. 162
Charta ex tritis lineis & gossypio. 31, 162.
Chiet quid significet. 169. & seq.
Chiet littera eiusdem cum Chi Græco figuræ. 173. eius figuræ explicatio. 171. eius genuinus sonus & pronunciatio. 169
Chinæ crucem inter sacra signa habent. 269
Chinæ iam olim optimam chartam fecerunt. 31
χρυσὸς vnde dicatur aurum. 83
Christus qualis fuerit ab Isaia prædictus. 72
Christus idea humilitatis. 71
Christus verus Hercules. 22
Christus Pan magnus. 267
Christi mortẽ quæ miracula subsecuta. 267
D. Christophoro baculus cuiusmodi appingatur. 126. & seq.
Cidaris Persarum regum. 186
Cimbricæ linguæ peculiaris est conuersio vocum. 211
Cimbrica lingua vsi sunt in sacris Ægyptij sacerdotes. 28
Cimmeriis solis litterarum figuræ hieroglyphicę & symbolicę. 29
à Cimmeriis ratione scribendi acceperunt Hebræi. 31
Circenses ludi. 40
Circus soli consecratus. 37
Circi duæ picturæ. 40
Circi pars dextra quæ sit. 40
Citus, a, um. 52
Ciuis, is. 52,74
Ciuitas Dei optimè Ste dici potest. 74
Ciuitas Dei qua calliditate oppugnetur. 77
Ciuitatis Dei arx, quies & tranquillitas. 75, 77. eius ciues efficimur morte Christi. 75
Clema. 159
Clepsydra, S. spiritus fusionis symbolum. 173
Clepsydrarum vsus. 171
Clim. 159
Climax, acis. 159
Clymenon. 159
Coc. 220
Codex. 30,161
Κώδια. 84
Corc. 220
Collis. 52
Collum. 52
Colum. 80
Cõciuis Latinè cur nõ dicatur. 75

Conradus. 105
Conſilij in quibuſuis rebus expediendis neceſſitas. 55
Conſt. 110
Conſuetudo altera natura. 34
Contemplari quid. 238
Conuerſio vocum Cimbricæ linguæ peculiaris. 211
Conus vnde dictus. 105
Conus quid, & quo à Pyramide differat. 104. eius ſignificatio hieroglyphica. 119
Coon. 105
Cop. 83,104
Coper. 104
Coppen. 83
Cor,cordis. 52
Coridos dicta Alauda. 105
Cornu Amaltheæ. 205. quare copiæ cornu dicatur. 208. cur capræ fuiſſe fingatur. 208
Cornu Baccho tributum à veteribus. 207
Cornu cuius rei teſſera. 206,207
Cornu omnibus aliis vaſis excellẽtius. 206
Cornu pro ſuperba potentia in ſacris litteris qua ratione accipiatur, & rurſus pro iuſti hominis fortitudine. 206
Cornua fluminibus adſcribi ſolere. 207
Cornuum apud antiquos reuerentia, & vſus in ſacris; &c. 206, 207.
Corpus ſphæricum quid ſit. 35
Corporis pars dextra & ſiniſtra, &c. 33,34. & ſeq.
Corporis partium in orantis poſitu hieroglyphicus explicatus. 138.
Corporis virium & roboris cauſſæ. 52.
Corybantes vnde dicti, &c. 256
Coryphes germana figura. 188
Κοσμὸς. 1
Crab. 31
Creatarũ rerũ quatuor genera. 159
è Creaturis, humanæ ſalutis arcanum conſilium elici non poteſt. 148.
Crefen/ Crefelen. 31
Crines in quæſtionibus nonnunquam abradi. 52
Crines abſcindi, triſte veteribus. 52
Crines ad robur conferre cur credantur. 52
Crinium generatio. 52
Criſten. 168
Cronus. 59
Cruc. 240,250
Crux,crucis. 249,250
Crux inter ſacra ſigna apud Chinas, &c. 269
Crux perpetuum ſcutum aduerſus cacodæmonis impetum. 258
Crucis apud Rom. ignominia. 249
Crucis dominicæ ſignum inter ſacras Ægyptiorũ litteras, & eius interpretatio. 260
Crucis figura. 250
Crucis figuræ hieroglyphicæ in Serapidis templo euerſo repertæ. 250
Crucis nomẽ apud Abyſſinos. 268
Crucis ſimulacrorum ferendorum in collo & manibus vſus apud Abyſſinos frequentiſſimus. 268
Crups. 250
Cuen. 105
Cuiſſchen. 1
Cul. 62
Cuneus. 105,120
Cuneus malus malo nodo quærẽdus. 105
Cupido eſt Harpocrates. 90
Cupidinis armorũ, arcus & pharetrę in Harpocrate ſignificatio. 90
Cupreſſus vnde dicta. 104
Cupreſſus dicta meta. 103
Cupreſſus feralis arbor cur habeatur apud Poëtas. 102
Cupreſſus ſacra Diti & Soli. 103 in funeribus & ſepulchris quid ſignificet. 103. in Cupreſſum arborem mutatus puer Cyparitſſus. 103
Cupreſſina ligna non eſſe coaceruanda. 104
Cur. 188,249. & ſequent.
Cura, Curati, Curetes. 249
Curbantes. 43
Curius. 189
Cybele quid Phyſicis. 104
Cybelæ ſacra eſt Pinus. 104
Cyparitſſus puer in Cupreſſum arborem mutatus. 103
Cyrbas. 188. & ſequent.
Cyrbaſiæ forma & vſus. 189. eius nomenclaturæ ratio. 186
Cyrbaſij Turcorum. 186
Cyrbes quæ, vnde dictæ, & quem vſum habuerint. 188
Cyrbis. 188

D.

Dael. 149,152
Dæmon vocabula ignotæ ſignificationis facilè potuit ſibi vſurpare. 266
Dæmonis fraus & aſtutia. 261
Dæmonis malitia aptiſſimè mari & vndis comparatur. 133
Dag. 222
Dalet vocis interpretatio. 149
Daleth littera maximùm veneranda. 156
Daleth litteræ figura. 152
Damaſcus vnde nomen acceperit, &c. 10
De. 44, 217
Deck. 220
Dei ſiue diij. 149,152
Der. 217
Derf. 222
Deltoton cur in cælo collocarit Mercurius. 156
Deus vnde dictus. 59
Deus centro comparatus. 97
Deus in vna diuina eſſentia quandam habet patris & matris ſimilitudinem. 59
Deus pater orandus per filium. 134. & ſequent.
Deus quibus rationibus Thoot, Herman, & Mercurius nominetur. 13. & ſequent.
Deus vnus colendus & adorandus. 87
Dei quæ maxima cognitio. 212
Dei ſimiliter parendum, vt corporis membra capiti obtemperant. 175
Deorum ſuorum nomenclaturas nec Ægyptij, nec Græci, nec Latini intelligunt. 48
Δεξιὸν. 44
Dexter,a, um. 44
Dexter locus exterior eſt, ſiniſter interior. 44
Dextra pars Circi quæ ſit. 40
Dexteram ori applicare cur ſoleant adorantes. 79
Dextrum quid, & quid ſiniſtrum in animalibus. 33
Dextrum & ſiniſtrum in cælo quid, ſecundum Aſtronomos & Poëtas. 35
Dextrum in cælo quomodo ponendum, ſecundnm Ariſtotelem. 34
Dextri & ſiniſtri in corpore differentia, naturæ, non conſuetudini, adſcribenda. 34
Dextro melius & præſtantius ſiniſtrum. 44
Digamma priſca figura vnde originem traxerit. 164
Digitus ſalutaris. 78. & ſeq.
Digiti ad numerandi artem maximè comparati inueniendi deſiderij ſunt ſymbolum. 137
Dioſcuri filij Sedec. 256
Dioſcuri, dicti Cabiri & Corybantes. 256
Dioſcuri cur dicantur Caſtor & Pollux. 255
Diſcere volens, animũ habere debet perturbationibus liberũ. 65
Diſcendi duæ viæ. 148
Dor. 258
Docana. 257,258
Doctrina, ſcala eſt, qua in cælum aſcenditur. 158
Doctrinę & ſcalæ conſenſus. 158
Doctrinæ primus gradus. 159
Dolor & voluptas nexu quodam colligantur. 177
Dom. 70
Donder. 29
Donderdach. 29
Drac. 217
Draco,onis. 217
Dracunculi forma atq. natura. 95
Dri. 21
Duc. 258
Duodenarius Herculi ſacer. 21,251
Duodenarius rerũ totius vniuerſitatis ſymbolum, totius mundi ideam complectitur. 154,252. cur imparem deorũ numerum dicatur ad æqualitatem redegiſſe, &c. 20,21. & ſeq. eius ſignificata & myſteria. 20. & ſeq. 259. eius duplex intelligentia. 21

E.

E 21,23
E in I tranſitus frequens. 204
E paragogicum Cimbris frequẽs. 270.

Eb. 133
Er. 44
Echt. 191,214
Ecstasis Socratis, &c. 126
Ee. 211
Eel. 66
Eem. 201,203
Eemer. 201,203
Eems fl. 201
Eer. 158
Eew. 59,227,235
Eim. 201
ἐμὶ. 200
El, id est, altus. 66,82,136,141
El, id est, cubitus & vlna. 136
Elf. 19
Ellenbog 136
Em. 200
Emden. 201
ἐμὼ. 201
Enckel. 138
Ent. 228
Ep. 227
Ephialtes dictus Pan. 268
Episcopus Athenienſibus quis fuerit. 244
Episcoporum pedum, & sudarium à pedo dependens. 144,146
Epistylium. 73
ἐπιτυμβιος dicta Alauda. 105
Eresione. 191
ἔριον. 191
ἑρμηνεύειν, 14
Es. 23
Europa vnde dicta. 11
Europa cur Agenoris filia dicta. 11.
Euſebij ſententia de litterarum Hebraicarum ſignificationibus confutatur. 4. & ſequent.
Exter. 44
Exter-exergiſteren. 44,213
Exteriora quæ ſint, & quæ interiora in cælo, 37
ἔζω. 64

F.

F, ferina littera. 226
F & V naturæ coniunctio. 166
Fabulis ſiue ſymbolis priſcorum religionis myſteria applicari poſſe. 61
Facht. 89
Fackel. 89
Fag. 89
Fagus in tenuiſſimas aſſulas ſe ſcindi patitur. 30
Falx vnde dicta. 112
Falx Canopi quid notet. 112
Falx mortis ſignum. 112
Faſt. 128
Fata non crimināda. 225
Fax, facis. 89
Fax accenſa in ſiniſtra Harpocratis quid ſignificet. 89
Fe. 53
Februa lana. 190
Feg. 89,197
Feig. 226
Fel. 114
Fel fellis. 114
Feneſtra. 230
Feſtino, as. 73
Feſtina lentè. 55
Feſtinanti nuditas propè neceſſaria. 167
Fi. 226
Fides, alaudæ ſeu vitæ opus. 125
Fides altiùs hominē eleuat, quàm vnquam ſteterit. 128
Fidei teſſera baculus. 126, 127
Fidem perficit ſenſus. 130
Filius. 76
Fiſtula Panis cuius rei ſymbolum. 267.
Fœdus quid, & eius definitio. 196.
Fœdus Dei cum homine. 195. cum Abraham, ibid. cum Adamo in paradiſo, ibidem.
Folium. 76
Fortuna quomodo vtramque paginam dicatur facere. 162
Fundere in ſacris litteris. 171
Futurorum cognitionem omnes expetunt. 238

G.

G litteræ in fine dictionum Cimbricarum pronunciatio. 219
Gait. 222
Gal, id eſt, fel. 114
Gal, id eſt, macula, ſcabies. 221
Galea primum locum habet in defenſionis armis. 184
Galea ſalutis. 197
Galerita vnde dicta. 119. Reliqua vide in Alauda.
Gallus gallinaceus regis, militis, & boni patrisfamilias exemplar. 91
Gallus nutriendus, non immolandus. 92
Galli gallinacei guttur ab Harpocrate preſſum quid ſignificet. 90
Galli gallinacei natura ſolaris. 90
Gallum gallinaceum Æſculapio immolari iuſſit Socrates certus mori. 92
Gallorum gallinaceorum ſollemnis pugna cur à maioribus inſtituta. 91
Galt. 83
Gas. 221
Gat. 220
Gaudium repentinū mortē quandoque adfert. 177
Gaut. 83
Ge particula vocibus Cimbricis præpoſita perfectionem indicat. 128
Geber. 220
Ger. 222
Geel. 66
Geeſt. 227,236
Gef. 197
Geheel. 221
Geit. 220
Gelaof. 128
Gelouen. 129
Gelt. 222
Geluſt. 221
Genua flexa quid ſignificent. 135
Genua humanæ infirmitatis ſymbolum. 135
Gemugt. 220
Gepeis. 223,242
Ger, id eſt, congrego. 222
Ger, id eſt, bellum. 220
Gerra. 220
Geſt. 236,240
Getæ dicti Athanatizontes. 101
Getij. 220
Getuig. 222
Gewas. 221
Gier 221
Gimel vocis compoſitio & interpretatio. 141
Gimel litteræ figura integra apud Latinos. 146
Gof. 220
Goffo. 220
Got. 141,170,251
Grab, Graf. 30
Γράμματα. 30
Γράφω. 30,31
Grex, gregis. 222
Griefie/ Griefier. 31
Groen. 223
Gul. 220
Gulſich. 220
Γύλ. 221

H.

H aſpiratio Cimbrica frequenter temporis longi locum ſubit, & contrà. 53,133.
H aſpirationis tranſitus in C, 52. & in F digamma. 73
Hac. 170,217
Hag. 222
Ham ſiue Haen. 91
Hain litteræ pronunciatio. 219. eius germanum nomen. 223. eius figura. 227.
Hal. 219
Han. 228
Hang. 218
Hang-dief. 218
Hant. 136
Hap. 191
Har. 51,53,55,57
Harmat. 53
Harmonia quare Cādmo copulata coniugio. 2
Harpocrates vnde dictus. 51
Harpocrates Iſidis filius. 49
Harpocrates cur Deus putatus, & quam ob rem coli ſolitus, &c. 50. cuius rei ſit ſymbolum. 54. & ſeq.
Harpocrates multorum Deorum inſtar. 89
Harpocrates dictus Apollo, & quare, 56. ipſiſſimus eſt Cupido. 90. denotat Deum patrem. 58. dictus Horus, & quare. 56, 94. appellatus Sigaleon, & quare. 69, 70, 73. quare ſedeat. 125. eius ſeſſionem non ad mutilos pedes eſſe referendam. 69. Galli gallinacei guttur premit, &c. 90. facem accenſam manu tenet. 89. tenet manu tria loti capita. 90. tenet arcum & pharetram. 90

Harpo-

Harpocratis ornamẽta & insignia. 89. & sequent.
Harpocratis significatio. 94
Harpocratis sincipiti auris asinina imposita. 94,125
Harpocratis auris præ se fert naturam dracunculi siue ari herbæ. 95
Harpocratis capiti appingitur serpens. 93
Harpocrati appingitur lunula. 94 & noctua 92
Harpocrati prima legumina offerebantur. 50
Harpocratici silentij mentio in Prophetis. 80, 81
Hart. 52
Hast. 73,127,229
Hau. 270
He, id est, altus. 54,157,174,223
He litteræ figura. 157. eius notatio. 157. cuius rei sit symbolum. 159
Heaulme. 183
Hebræi rationem scribendi à Cimmeriis acceperunt. 31. ex eorum litteris in Hebraico idiomate nullam orationem consurgere. 8. eorum scribendi modus absurdissimus. 45. & seq. eius causſæ. 46
Hebræorũmne an Latinorum & Græcorum scribendi progressus sit rectior. 32
Hebræorum in littera Xain abusus. 168
Hebræorum linguam quid maximè corruperit. 221
Hebraicæ voces è Cimbricis factæ. 168,170,219,229,234, & seq. 241. & seq.
Hebraicarum litterarum significationes secundum Angelum Caninium. 6. secundũ Antonium Cheuallerium, 7. secundũ Eusebium. 4. & seq. secũdum Martinum Gilbertum. 7
Hebraicarũ vocum originis inquirendæ ratio vnde perturbata. 218
Hecht. 214
Hect. 154
Hef. 53,127,227
Heilig. 221
Heim. 202
Hel. 56,82,221
Hellem. 183
Heliotropium gemma, & herba: & vtriusque locus natiuus, color, & nominis ratio. 88. & seq.
Hem. 201
Hemel. 141,142
Hendecas deorum numerus. 20
Hep. 227
Her. 217
Heraclij Imp. sigillum. 245
Heraut. 204
Herban. 13
Hercules vnde dictus. 22
Hercules quis apud primos fabularũ textores intelligendus. 21
Hercules Alexicacos. 216
Hercules verus, Christus. 22
Hercules Vindex quomodo dici possit. 216
Herculis infantis cum anguibus duobus pugna quid sibi velit. 216
Herculis de hydra interfecta fabula explicatur. 21
Herculi duodenarius sacer. 21. & sequent.
Herculanus nodus. 216
Hermæ quales olim fuerint, & quid significent, &c. 13
Hermes dictus Taantus, Thoot & Thoyt. 12
Hertog. 13
Herodotus deceptus ab Ægyptiis sacerdotibus. 28
Herst. 230
Het. 174,183
Hiel. 138
Hieroglyphica. 27. & sequent.
Hieroglyphicæ notæ Phrygio sermoni accommodatæ fuerunt. 28. earum origo. 48. earum interpretatio à quibus petẽda. 28. & seq. interpretandarum recta ratio. 13
Hil. 74
Hilbil. 44
Hipparchus Athenis plures Hermas erexit. 13
A. Hircij locus expositus. 42
Hit. 68
Ho, Hoo, Hoog. 53,54,67. 119 123, 157,175,225.
Hol. 54,56
Hom. 10
Homeri locus explicatus. 36
Homo, inis. 225
Hominis primi lapsus, & quæ illũ mala sunt consecuta. 227
Hominis proprium officium. 225
Hominis partes duæ intestino odio dissident. 227
Hominum in cæleſtiũ corporum pulchritudinis contemplatione negligentia. 84
Honoris ratio in iis quæ docenda discendaque sunt, præcipuè habenda. 158
Hooden. 84
Hoog. 53,119,123,157,223
Hoop. 118
Hoot. 56,94
Hoot. 174
Hoot-man. 12
Hop. 78,110
Hopen. 138
Hora mortis. 173
Horatij loca explicata. 37,41,42, 216.
Horen. 205
Horus siue Orus. 94
Horus idem qui Apollo, &c. 50. idem qui Harpocrates. 56,94. denotat Deum filium. 58,63. & Spiritum sanctum. 59.
Horus qua in re inuocari solitus, 58.
Horus quare Typhoni testiculos fingatur amputasse. 61
Hori fabula explicatur. 58,59. eius generatio. 59. eius natiuitas gemina. 63
Huben/Hubeken. 93
Hui. 78
Hul. 186
Humili spiritu ad sublimitatem peruenitur. 135
Humilitas cuiusmodi virtus. 71 Philosophis incognita. 258
Humilitatis idea Christus. 71
Hydra ab Hercule interfecta, &c. 22.

I.

I litteræ vis. 176
Jag. 222
Ianus dictus Cadmus. 2
Iapetus dictus Cadmus. 9,11
Iapetus patris sui Nochi adiutor, minister, & archidiaconus. 9. cũ patre Nocho ex Oriẽte in Occidentem proficiscitur, &c. 9. in Europam à Nocho destinatus, ibidem litteras docuit. 11
Ideæ Platonis. 86
Idolomanię origo. 48,238,259,265
Iephte omnes eos occidi iussit, qui Sibolet pro Scibolet pronunciarent. 241
Jeucht. 176
Ieud vocis significatio. 176
Ieud litteræ figura 178
Jeudtch. 176
Ignis, anima totius vniuersi, 150,151
Ignis motionis instrumentum. 100
Ignis figura, pyramis. 96,98
Ignis vitæ tessera apud vetustos. 120. eius mysticæ significationes. 97
Ignis, Chaldæorum Deus, aliorum omnium deorum victor. 109. victus à Canopo. 109,113.
Igni potest applicari quaternarius Platonicus. 151
Γμᾶν. 204. Γμεῖν. 204.
Imaus mons. 203, 204
Imber. 204. & seq.
Γμονιὰ. 204
Imperium omne à Deo. 174
Inarculum reginæ sacrorum. 194
Incubus dictus Pan. 268
Index ori admotus quid notet in sacrificiis. 79
Insula quid, & vnde dicta. 194
Insula cur fascia siue funiculus ad vinciendum comparatus videatur. 195. cur lanea. 197
Intellectus & voluntatis idem obiectum. 178
Intellectus & volũtatis in summi boni fruitione coniunctio. 178
Interiora in cælo quæ sint. 37
Inubus dictus Pan. 268
D. Ioannes Baptista cur in mundum venerit. 253
Joi. 176 Joiijt. 176
Iosephus quo magistratu in Ægypto fuerit functus. 131. eius inauguratio, ibidem.
Jou. 176
Iouis vnde dictus. 276
Ἴπτος. 53
Js. 78,200
Isis, idis. 263
Isidis fabula explicatur. 58. & seq.
Isidis filius, Harpocrates. 49
Isidis amuleti seu phylacterij inscriptio,

ſcriptio, VERA VOX. 49, 51.
Ἵστημι. 73
Ithyphalli cuius rei teſſeram habuerint. 61
Iubilo, as, are. 176
Iupiter vnde dictus. 176
Iupiter qua ratione ſupremus Deus appellatus. 178. eius ſtatua. 29
Iuuenalis locus quidam explicatus. 42, 161
Iuuenis, Iuuenta, Iuuentas. 177
Iuuo, as, are. 177
Iuweel. 176

K.

Ken. 155, 228
Kerſteen. 230
Kniel. 135. Græca vide in littera C.

L.

Lac, lactis. 220
Lætitiæ cauſſa. 66
Lag. 114
Lallare. 111
Lam, id eſt, agnus. 72, 182, 183
Lam, id eſt, mutilus. 72. 181
Lambinus reprehenditur. 37, 40, 41, & ſeq.
Lamet quid ſignificet. 181, 183. quid in oratione alphabetica denotet. 183
Lamet litteræ figura. 184, 206
Lampades ardentes quæ intelliganturin Euangelio. 245
Lampeus dictus Pan. 267
Lana, æ. 190, 191
Lana cur Februa appellata. 190
Lanæ in ſacris vſus apud Roman. 190, 197.
Lanæ in ſummo ſacerdotalis tutuli, cuius rei ſymbolum habuerint. 190, 197.
Lapidum tumuli in viis à viatoribus congeri ſoliti. 14
Lar. 44, 190
Larum mater Mania, &c. 190 & ſeq.
Latus ſiniſtrum olim honoratius habitum. 42. & quare. 43
Laus in oratione debet præcedere. 140.
Laudibus efferenda quæ ſint. 128
Le. 96
Lec. 220, 221
Leef. 25, 120
Leeg. 66
Leer. 157, 158
Leeſt. 73
Leeu-werck. 105, 117, 120
Lef. 96
Leg. 66, 221
Lei, 223
Lei/Lellen, 110, 111
Lem. 221
Leſt. 73
Let. 144
Leueathan. 228
Leuen. 20
Liber, libri. 30
Liber quem ad ſuum Canopum Alphabetarius præceptor à ſpiritu ſancto cupit dimitti, qualis ſit. 163
Libri duo Raimundi de Sabunda. 148.
Librorum duo genera apud antiquos. 161
Librorum materia ante chartæ lineæ inuentionem. 30
Librorum tituli qua forma olim fuerint, & eſſe debeant. 187
Libros complicâdi peculiaris modus. 162
Liber pater dictus Nochus. 10, 11 eius nutrix Nyſa. 10
Liberum arbitrium. 225
Licht. 66
Lijm. 159
Linguæ primę artificium & neceſſitas. 148
Linguarum confuſionis occaſio. 9
Lijſt. 73
Lis, litis. 53
Liſt. 77
Lit. 53, 144
Lites forenſes. 53
Litteræ duplices pauciſſimæ. 19
Litterarum duo genera, alterum populare, alterum ſacrum. 27
Litterarũ figuræ ſolis Cimmeriis hieroglyphicæ & ſymbolicę. 29
Litterarum figuræ prętantiſſimæ & antiquiſſimæ quę ſint. 29
Litterarum figuræ quando pingi cœperint. 31
Litterarum notæ plures, quàm vocum ſimplicia elementa. 18
Litterarum numerus cũ tota Muſices latitudine conſonat. 19
Litterarum numeri & partitionis myſteria. 19. & ſeq. 23. & ſeq.
Litterarum ordinis ratio vnde ſit petenda. 17
Litteras quis primus inuenerit. 1, & ſeq. earum inuentio prima Deo tributa. 15, 16, 17. earum primum inuentorem Ægyptij putauerunt fuiſſe Theut. 12
Litteris magnum contineri artificium. 17
Lituus vnde dictus, &c. 144. eius antiquitas. 144
Lituus parte ſui tenuiore reflectitur. 145
Lituus reges maximè decet. 145
Lituus ſolus ex incendio ſaluus. 147.
Lituus àSaturno in Latio, Quirino conſecratus. 147
Lituus in manu Canopi quid ſignificet. 146
Lituus apud ſolos Pontifices remanſit, &c. 145, 147. qua ratione venerit ad augures. 145.

L.

L litterę pronunciatio & ſignificatio. 82, 87
Loc. 80
Loch. 80, 170
Locht. 66
Locus vter honoratior, dexter an ſiniſter; interior an exterior, apud priſcos. 40
Lof. 76, 128, & ſeq.
Logen. 220
Loof. 128, 130
Loog. 80
Loot. 226
Loſſen. 230
Lotus vnde dicatur. 82. & ſequent.
Lotus qualis herba. 82
Lotus Solem denotat. 83. eius cũ Sole ſympathia. 85. è Loto primùm extitiſſe fingitur Apollo. 84, 86.
Loti tria capita in manu Harpocratis quid notet. 90
Loti vtilitas. 83
Louen. 129
Luc. 62, 254
Lucani locus explicatur. 37
Lucerna quid ſignificet in ſacris litteris. 245
Lucernæ penſiles. 245
Ludi Circenſes 40
Luna in Api cur quæri ſolita. 263.
Lunæ frigida quæque & ſoporifera ſunt ſacra. 83
Lunula cur Harpocrati appicta. 94.
Lupercus dictus Pan. 267
Luſtig. 221
Lux cæleſtis quantum ſuperet lumina terrena. 123
Lycæus dictus Pan. 267
Lychnus vnde dictus. 246
Lychnus auguris nunquam concludi potuit. 244
Lychnum extinguere apud Romanos piaculum. 244
Lychnos in ſepulcris veteres quare collocarint. 244
Λυτήριος dictus Pan. 267

M.

M litteræ vis. 200. eius figura. 202.
Macrocolla. 162
Maet, id eſt, menſura. 102
Maet, id eſt, ſocius. 221
Mag, id eſt, cognatus, 50, 219
Mag, id eſt, ventriculus. 231
Magalia. 219
Magiſtratus qualis eſſe debeat, & quatenus ei parendum. 174
Magus vnde dictus, &c. 85
Magi tres quæ Chriſto obtulerint munera. 86
Magorum duo genera. 86
Magica lingua apud Lucianum quæ ſit. 28
Mal. 181. & ſequent.
Malchus dictus Porphyrius. 260
Malum, i. 182
Malus, a, um. 182
Man. 15, 190, 225
Mancop. 83
Maneros. 48
Mania Larũ mater vnde dicta. 190
Manus cuius rei teſſera. 136
Matt. 14
Marcomani. 14
Marcus. 14
Marcuma. 14

Mari & vndis comparatur diaboli malitia. 133.
Martialis locus explicatur. 161
Martinus Gilbertus de Hebr. litterarum significationibus. 7
Mas. 214
Mat, Maet. 102,262
Maternus scriptor libelli de Cacodæmonis fraudibus. 261
Me. 181, 200
Mene. 202
Mein. 225
Mel. 141,221,231
Melissa, Melissi filia. 209
Melissus quis, & quomodo primus Ioui sacra fecerit. 209
Mem vocis significatio & artificium. 200. & seq. 203
Mem litteræ pictura. 209
Men. 224
Menseh. 75, 225
Mens, mentis. 75, 224
Mentis in homine præstantia. 224 & officium. 225
Merc. 14
Mercurius vnde dictus. 13
Mercurius qua ratione dicatur Deus. 13
Mercurius dictus Taautus, Thoot siue Thopt. 12, 13. Saturni fuit scriba. 16
Mercurius Trismegistus. vide Trismegistus.
Mercurij apud Hebræos notitia. 14
Mercurij caduceum. 217
Mercurij statua. 29
Mercurij statuæ siue Hermæ quales olim fuerint. 13
Mercurio quæ celeritas tributa. 69
Merx, mercis. 14
Meta, æ. 102
Meta dicta Cupressus. 103
Meta noctis, terræ vmbra. 102
Metæ in circis cur pyramidali figura constructæ. 102
Metæ è saxis excisæ cur Tutuli nominatæ. 187
Meten. 102
Metor, aris. 102
Mist. 102
Min. 222
Mineruæ noctua sacra. 93
Modius in Serapidis simulacro quid notarit. 262
Moet. 237
Mola, æ. 182
Molen. 182
Molo, is. 182
Mont. 139
Mons cuiusmodi sit in quo Deus orandus. 125
Montes & excelsa loca maximè Dei laudibus & orationi conuenire. 125
Montes perennium aquarum cisternæ. 149
Moræ & tarditatis vtilitas. 55
Mortis & gaudij cognatio. 177
Mortis hora. 173
Moses architectus. 161
Most. 70
Mundi zonæ. 36
Mustum. 70
Mut. 70
Mutus, a, um. 70

N.

Na, Nag. 222
Nac. 110
Nachte-gaal. 123
Nact, Naect. 166
Naes. 139
Nau. 166
Ne. 211
Neen. 211
Neken. 155
Net. 111
Nilus vnde dicatur. 61
Nobiles reuera qui sint dicendi. 66
Nobiles nulli minus quàm nobiles. 66
Nochus dictus Agenor. 3, 9, 11.
Nochus dictus Bacchus siue Liber pater. 10
Nochus dictus Melissus. 209
Nochus Phœniciæ primus conditor, &c. 11
Nochus monarcha summus & Pontifex maximus Iapetum filium suum adiutorē, ministrum & archidiaconū sibi sumpsit. 9.
Nochus & Iapetus ex Oriente in Occidentem proficiscuntur, &c. 9.
Nochi post diluuium sedes. 9
Noctis meta, terræ vmbra. 102
Nocturni temporis spatia dimetienda regibus & militibus. 91
Noctua Harpocrati cur appingatur. 92. cur Mineruæ sacra. 93
Noctuæ dotes. 93
Nodus vindice dignus, apud Horatium. 216
Nomios dictus Pan. 267
Nos, Nosel. 77
Nos vnde habeant Latini. 60
Nudus quis, & pauperibus quis sua omnia dare dicendus. 167
Nuditas festinanti necessaria. 167
Numæ capedunculę. 262
Numerus maior dignior minore. 46
Numeros scribendi ratio. 45
Numeros non esse rerum caussas, sed caussarum notas indicare. 252.
Nun vocis significatio. 201
Nun litteræ figura. 212
Nysa, Liberi patris nutrix. 10

Ö.

O tria significata comprehendit. 72.
O æternitatis nota. 67
O dictio imperantis quietem. 68
O siue Ho altum significat. 53, 54, 67, 72.
O & V quomodo possint eadem voce comprehendi. 165
O cæli rotunditate, V libro aperto significatur. 165
O litteram pingendi modus & significatio. 32
Obedientiæ exemplum Abraham. 175
Obeliscus vnde dictus, &c. 101
Obeliscus cur diminuēti voce appellatur. 155
Obeliscus euersus cuius rei tessera. 155.
Obelisci dedicati Soli. 103, 153
Obelisci quo distēt à pyramide, & quales fuerint, &c. 101, 153
Obelisci qui sint. 154
Obelisci Romæ. 187
Oceanus omnium rerū exordium, 170. eius pars suprema. 150
Oculus quid significet in sacris litteris. 245
Oculi & mentis similitudo, & vtriusque officium. 224
Oculi ad quem vsum hominibus potissimùm dati. 122
Oeneus. 209
Oet, Oetmoet. 67, 71
Og. 123
Ogygia philosophia. 97
Oi. 67, 72
Oid. 221
Oleum quod in Euangelio intelligatur. 245
Omosel. 77
Ons. 60, 77, 227
Oog. 123, 139, 223, 244
Oor. 94, 95, 119, 139, 223
Oot. 67, 221
Op. 57, 60
Oppij siue A. Hirtij locus expositus. 42
Or. 154
Oracula & versus fuisse antequam litteræ scriberentur. 1
Oro, as, are. 119
Orare quid. 131
Orare non possumus, nisi laus præcedat. 140
Orandus quis sit. 132
Orandus Deus pater non nisi per filium. 134
Orandi modus & ratio. 18
Orantis habitus & membrorum positus explicantur. 138. & seq.
Orantes Deum, omni corporis actione & mentis cura carere debere. 126
Oratio an verba requirat. 139
Oratio qua in adhæsione versetur. 140.
Oratio quo corporis positu fieri debeat. 136
Oratio sua cuique optima tuitio, 139.
Orationis caussa. 132. eius scopus primarius. 133. eius finis. 133. ab Oratione in omni re exordium sumendum. 17
Orationis quæ ex Alphabeti interpretatione consurgit, mysterium. 25. & sequent. eius artificium. 25.
Orationis Alphabeticæ & Dominicæ idem ordo. 229
Orationis Alphabeticæ paraphrasis. 26
Orationis Alphabeticæ epilogus. 236.
Orbis rotundus æternitatem significat. 111
Orden. 120, 154

Ordo,

Ordo, inis. 120, 154
Origenes impietatis insimulatus. 173.
Orpheus vnde dictus. 117
Ort. 119, 154
Orus, vide Horus.
Osiris quis, & vnde dictus, &c. 59, 263. eius fabula explicatur. 58, 59. cur à Typhone discerptus fingatur. 263. eius insigne siue tessera. 60
Otiari. 126
Otium vnde dictum, & quomodo scribendum, &c. 67. & seq. eius vocis abusus. 68
Otium iners & vituperandum. 68.
Otium omnes optare, neminem consequi. 65
Ouerleg. 66
Ouidij loca restituta & explicata. 40, 41.
Ouidium libros Mosis legisse, quidam suspicantur. 36

P.

Pac. 179
Paten. 267
Palmæ aquis deriuatis, non imbribus gaudent. 205
Pan vnde dictus, &c. 267. eius parentes cælum & terra. 267. eius varia nomina. 267. & seq. 268. cur septem fistularum cõpactor fingatur. 267. eius fistula cuius rei symbolum, ibidem.
Pan qua lana Lunam ad se pertraxerit. 197
Pan magnus, Christus. 267
Pan magnus mortuus. 266
Panis quotidianus. 202
Pap. 111
Papauer. 83
Papentul. 95
Pappare. 111
Papyrus ab Ægyptiis inuenta. 31
Papyrus cuiusmodi fuerit, & ex ea quo modo charta fieri consueuerit. 162
Parallelæ lineæ quæ. 213
Pareo, es. 31
Pario, is. 31
Passerculus ab accipitre impetitus in Xenocratis sinum deuolauit. 139.
Pauperibus quis sua omnia dare dicendus, &c. 167. & seq.
Pax & iustitia osculatæ sunt. 203
Pax ciuitatis Dei. 76
Pacem & quietè à Deo habemus, à nobis nil nisi peruersum. 77
Pe. 53, 226, 227
Pe litteræ vis & natura. 226. eius figura. 227
Pecus. 53
Pedum quid sit, & vnde dictum. 143, 144.
Pedum pastorale, & eius vsus. 143, 144.
Pergameni membranas ad librorum materiã præparauerunt. 31
Periclymænon. 159
Peripateticorum philosophia. 97
Peristylium. 73
Pes, pedis. 138. eius partes. 138. & sequent.
Peto, is. 119
Phaethontis fabula. 171
Phalli notatio. 62
Phe siue Pe vocis significatio, 53, 226, 227, 228.
Phe littera. 226
Philosophia Ogygia vetustissimorum ibi incipit, vbi Peripateticorum definit. 97
Philosophiæ fructus. 87
Phœniciæ primus conditor Nochus. 11
Phœnicum litteræ ab Hieroglyphicis diuersæ. 27
Phœniceus color vnde dictus. 193.
Phœnicei sermonis idiotismus. 2
Phœnicopterus auis. 193
Φὼρ. 76
Phrygius sermo Ægyptio vetustior. 99
Phrygio sermoni accommodatæ fuerunt Hieroglyphicæ notæ. 28.
Phylacterium homini tutissimum est ipsa veritas, siue vox vera. 51.
Phylacteriorum vsus quàm antiquus, & quousque permissus. 51
Pil. 226
Pileum capiti detrahere, quid significet. 79
Pilorum siue crinium generatio. 52.
Pilosos maximas vires habere. 53
Pilot. 226
Pinus Cybelæ sacra. 104
Plant. 138, 226
Planto, as. 138
Platonis ideæ. 86
Plicandi procliuitas in infantibus. 160.
Plinij locus explicatus. 162
Plumbum copia, vtilitate, & vsu præferendum auro. 82
Plutarchi locus de Pane magno deo mortuo. 266
Principiis quæ figuræ conueniant. 187.
Psalmi centesimi noni duo versiculi in speciem contrarij consentire docentur. 43
Poculum vires suppeditat, & inducit scientiæ opinionem. 110.
Poculi & puerilis animi analogia. 110.
Pœnitentiæ natura, munus, & effecta. 253
Pog. 53, 57, 222
Pollux, ucis. 254
Pollucis nomen Christo optimè conuenire. 254
Pontifex vnde dictus. 196
Pontificum lituus. 145
Pontificum Rom. tiara. 185
Porcus. 228
Porci nomen quibus hominibus iure tribuatur. 228
Porphyrius dictus Malchus. 260
Positionis differentiæ vnde sint capiendæ. 34
Πούς. 138
Puero quæ primùm proponenda. 113.
Puerorum animos disciplinæ omnis capaciores, quàm proiectiorum. 64
Puerilis forma quid notet in Harpocrate. ibid.
Puerilis animi & poculi analogia, 110. & sequent.
Puerilis ætatis quanta cura habenda. 113
Punctorum subscriptione voces plurimas apud Hebræos corruptas. 168
Puniceus color quis. 193
Punicum malum vnde dictum. 194.
Purpurei coloris & Punicei distinctio. 193
Pusionis è loti flore nascentis symbolum quid significet. 86, 87. & sequent.
Put. 263
Pyramis, vnde dicta. 99, 153
Pyramis, ignis figura. 97, 98
Pyramis è numeris constructa. 97
Pyramis quarum rerum tessera. 97 100, 151, 239.
Pyramis è regione Memphis trans Nilum. 98
Pyramis Cestij Romæ. 99
Pyramidis, obeliscí, ignis, &c. significationes mysticæ. 97, 153.
Pyramidis figuram omnibus rebus, tanquam diuinitatis characterem, imprimi. 151
Pyramides Ægypti quales fuerint. 98. quid significent, & cur exstructæ. 101
Pyramides Regum sepulchris cõsecratæ. 100
Pyramidali figura constructæ metæ in circis. 102
Pyropus. 101
Pythagorici quare se in numeris exercuerint. 252.

Q.

Q & W eandem aliquando figuram fuisse. 234
Qualen. 170
Quaternarius, fons æternæ naturæ. 150, 151
Quaternarius ignis symbolũ, &c. 151, 251.
Quaternarij mysteria. 154
Quelen. 170
Quirinus quis, & vnde dictus. 145, 147.
Quirito, as. 176
Quof litteræ nomenclatura & interpretatio. 233. eius figura, 234.

R.

R litteræ figura. 240
Ra. 54
Raam. 99
Radius. 226

Raut. 242
Rat. 55,57
Raw. 253
Ratio, diuinæ naturæ soboles & imago, in homine imperium tenet. 227
Reben. 59
Ree. 158,253
Reep. 104
Reg. 223
Regen. ibid.
Regina sacrorum virga mali granati, insulæ loco, vtebatur, &c. 193. eius inarculum. 193
Reio. 231
Religionem Christianam à Romanis nunquam auferendã. 147
Res litteræ figura. 238, 239. eius nomenclatura & significatio. 236.
Res optimæ quæ sint. 82
Rerum creatarũ genera quatuor. 159.
Reuelare, Spiritus sancti proprium. 141
Reuelationes omnes ad duos modos posse referri. 142. & seq.
Reuelationis vtriusque symbola. 143, 144.
Rex sacrorũ apud Romanos. 193
Reges maximè decet lituus, &c. 145
Regibus & militibus nocturni tẽporis spatia dimetienda. 91
Rhea vnde dicta. 59
Rijs. 236
Roi. 192
Roof. 76
Rots. 230
Rotundũ æternitatis tessera. 163
Rotunditas mundi, primum diuinitatis speculum. 270
Ruber color in militia prœlij signum. 193
Ruc. 249
Rust. 253

S.

S litteræ figura. 218
Sacer, sacra, sacrum. 186
Sacerdotis noui apud Ægyptios inauguratio. 131
Sacerdotum lituus. 145
Sacrificia sanguinolenta quò spectarint. 193
Sacrificiorum prima origo, & quid in eis primùm spectandum. 196
Sacrificiorum ministri quàm debuerint esse integri, & omnibus numeris perfecti. 249
Salich. 230
Salutantes cur digitum indicem ori admoueant. 79
Sam. 214, 257
Samaritanorum characteres à Postello depictos, non esse genuinos. 269
Samecht vocis significatio. 214
Samecht litteræ figura. 215
Samothracia vnde dicta. 257
Samothracum initia & mysteria occultissima. ibid.
Samus insula. 257
Sanchuniathon Berytius antiquissimus Phœnicum scriptor. 12, 16, 256
Sch in vocum conuersionibus pro vna littera habetur. 19
Scala, æ. 159
Scala Iacob. 159
Scala Raimundi de Sabunda. ibid.
Scala qua in cælum ascenditur, est doctrina. 158
Scalæ & Doctrinæ consensus. ibid.
Scatter. 242
Scel. 159
Scen. 112
Scenckel. 138
Scep. 262
Scepter. 242
Scepper. 262
Schola σχολή. 66
Scric. 10
Scijn. 236, 242
Scijt. 242
Scipio, fidei tessera. 126, 127, 128
Sciffina arbor. 30
Scouw. 241
Scouwer. ibid.
Scrabben. 31
Scrib/ scrif/ scref. ibid.
Scribo, is. 30, 31, 33
Scribendi prima ratio cum primo sermone vnà periit. 8
Scribendi rationem Hebræos à Cimmeriis accepisse. 31
Scribẽdi progressus vter sit rectior, Hebræorum ne an Latinorum & Græcorum. 32
Scribendi progressus à sinistra ad dexteram rectissimus; contrarius, absurdus. 33, 45
Scyn litteræ figura. 243
Scyn litteræ vera ac genuina potestas, pronuntiatio, nomenclatura, & significatio. 242. eius potestas & pronuntiatio deprauata. 241
Scythopolis in Nysa regione. 10
Scythopolitanis vnde Bæsi nomen impositum. 10
Sedo, as. 74
Sedeo, es. 63
Sedetur ad consiliũ capiendũ. 63
See. 241
Seisthen. 112
Senarius Veneri & Vestæ sacer. 24
Senionis mysteria. 23
Sensus fidem perficit. 130
Sensus omnes, præter visum, munere suo funguntur in tenebris æquè ac in luce. 122
Septenarius Mineruæ sacer. 267
Sepulcra veterum lychnis instructa. 244. & sequent.
Ser. 240, 261
Serapis vnde dictus. 261. quis Deus priscis fuerit. 260
Serapidis in Ægypto templum & simulacrum. 259
Serapidis simulacrum cur ex omni materiæ genere congestum. 262
Serapidis simulacrum priscis ad aliud spectabat, quàm ad idolomaniam. 260
Sermo à nobis externus destinatur. 35
Sermo cur in Hermæ tutela. 14
Sero, is. 240
Serpens cur Harpocratis capiti affictus. 93
Serpentis India & Africa contra elephantos educare dicuntur. 216.
Serpentes pellem quotannis mutant. 93
Serpentium in coitu arctissimus nexus. 215
Seruij locus in Virgilium illustratus. 192
Ses. 23, 24
Sessio in comitiis vniuersalibus. 63.
Sessio quid significet in Harpocratis effigie. 63
Set. 23. & seq. 63, 73, 242.
Si/ sie. id est, video. 78, 80, 200
Sit / sije / sich, id est, colo, as. 80
Siderum imagines & nomenclaturæ quid significent. 148
Siel. 224
Sif. 80
Sigaleon appellatus Harpocrates. 69. & quare. 70, 73.
σιγάω. 70, 78
Sigma litteræ sibilus. 23
Sigma aduersus Tau accusatio apud Lucianum. 247
Sij/ sijde. 138, 230
Sileo, es, ere. 69, 73, 78
Sileo & Taceo quomodo differant. 69
Silentium, ij. ibid.
Silentij origo spes cognitionis, &c. 78.
Silentij Harpocratis mentio in Prophetis. 80, 81
Simile sibi quodque sua natura amore prosequitur. 243
Singhe. 140
Sinister vnde dicatur. 44
Sinister locus interior, dexter exterior est. 44
Sinistrum latus olim honoratius habitum. 42. & cur. 43
Sinistrum in animalibus quid sit. 33.
Sinistrum in cælo quid, secũdum Astronomos & Poëtas. 35
Sinistrum dextro melius & præstantius. 44
σιωπή, σιωπάω. 78
Sit. 63
Slang. 218
Slotum. 231
Slites, pro Lites. ibid.
Smo. 60, 77, 227
Socrates certus mori, cur gallum Æsculapio immolari iusserit. 92
Socratis ecstasis. 126
Sol cuius rei symbolum. 235
Solis mons in manibus. 78
Solis in malis auferendis præstantia. 234
Soli dedicatus obeliscus. 103
ei sacra Cupressus. 103
Son. 76, 77, 234, 235
Soteres vnde dicti Castor & Pollux

lux. 255
Speet. 154
Speetken. ibid.
Spadicem colorem à Puniceo distingui. 193
Sphæricum corpus quid sit. 35
Sphinx vnde dicta. 124
Sphinges quare ante templorum fores collocari cõsueuerint. 124
Spi. 154
Spiritus sancti gratia quàm sit nobis necessaria. 206
Spiritus sancti proprium reuelare. 141
St Cimbris pro vna littera habetur. 69,128,233
Sta. 73,127,229
Staf. 127, & sequent.
Stagien. 222
Stagnum. 230
Staken. 231
Stang. 230
στάω. 229
Starc. 230
Starcharterus. ibid.
Stat. 231
Status. ibid.
Status rerum humanarum tessera. 233
Ste. 73,74
Steer. 220,230
Steeg. 236
Steel. 73
Stel. ibid.
στίλη. 73
Stelen. 230
Sterc / Sterrte. 220,230
Sterf. 75, & sequent.
Stic. 230
Stier. ibid.
Stijg. 236
Stil. 69,73,74,77
Stif / Stijf. 230
Stim. ibid.
Sto stas, stare. 73,229
Stob / Stof. 230
Stoc. ibid.
Stom. 70
Stomachus. 231
Stop. 230
Stor. 230,253
Streng. 230
Strot. 230
Studiorum omnium scopus. 87
Stultitia & inconstantia omnium malorum causſæ. 182
Stur. 253
Sturm. 230
Sudarium in pedo episcoporum quid notet. 146
Summum bonũ cognoscere quàm laborarint Philosophi. 173
Summum gaudium quod, & qua ratione contingat. 177
Superstitionum & idolomaniæ causſa. 48
Swac. 70
Swenck. ibid.
Swig. ibid.
Syrictes dictus Pan. 267
Symbolis siue fabulis priscorum religionis mysteria applicari posſe. 61

T.

T litteræ vis & efficacia. 136
T quo manuum positu formetur. 137.
Taantus. 12
Taceo, es. 69
Taceo & Sileo quomodo differãt. 69.
Tam. 102,262
Tant. 139
Tarditatis vtilitas. 55
Tau vox vnde composita; & quid significet. 248. & seq. 269.
Tau littera cur Alphabetũ finiat, 269. eius figura. 247,269.
Tau crucis figura à Samaritanis pingitur. 247
Tau D. Antonij crux à vulgo appellatur. 265
Tau pro signo apud Hebræos vsurpatum. 247
Tau Gallicum apud Virgilium. 247,248.
Tau homines placentes Deo reddit. 248
Tau in vetustis monumentis frequentia. 248
Teecken. 220
Teen. 138
Telephaë quid, & cur Cadmo vxor sit data. 2
Temeritas. 55
Templum vnde dictum. 237
Templũ triplex apud Varronem. 237, & seq.
Tẽpla Dei, hominũ corpora. 237
Templorum forma, & formæ ratio. 239
Temporis quanta sit habenda ratio. 172
Teniæ in humano corpore nascũtur. 215
Tering. 53
Ternarius numerus perfectus. 90
Ternarius Spiritus sancti tessera. 252.
Terra viuentium quæ sit. 67
Terræ vmbra, meta mortis. 102
Terrenis quousque operam dare liceat. 122
Testiculi masculam vim notabant veteribus. 61
Tetractys Pythagorica. 97
Thaletis aqua. 170
θείω, θέω. 205
Theophrasti locus restitutus & explicatus. 205
θεὸς. 59
Thet vocabuli compositio & significatio. 174
Thet litteræ figura. 176
Theut / Theuten / Theuthom. 198
Theut, Thoot siue Thoyt quis fuerit, & vnde dictus. 12. & seq. sic dictus Mercurius, Saturni scriba, quem primũ litterarum inuentorem putant Ægyptij. 12,17.
Thoot, Thoyt, siue Theut qua ratione dicatur Deus. 13,48
Thraces vnde dicti. 257
Thracum ingenij subtilitas. 257
Thyrsus Bacchicus cur pro mucrone conum habeat pinecum. 104.
Thyrsus fidei baculum denotat. 104.
Ti. 67.205
Tiara aduersus diuinam iram sacerdoti munimentum. 185
Tit siue Tijt. 67,172,205
Tituli librorum. 187. vide reliqua in Tutulus.
Tombe. 105
Torneſol herba apud Hisp. 88
Tracht. 257
Tranquillitas arx ciuitatis Dei. 77.
Tria sunt omnia. 90
Triangulus prima omnium figurarum. 156
Triangulus æquilaterus diuinitatis character, &c. 111,151,153
Trinitatis mysterium in Got Cimbrica Dei nomenclatura. 141. in Harpocratis nomine. 57. in Mem littera. 200,203. in mundi structura. 22. in numeris. 151 in vocula Wou. 165
Trismegistus eiusque statua. 15
Trismegisto libellus inscriptus. 16
Triton vnde dictus. 2
Triton lacus. 2
Troianorũ nauale certamen apud Virgilium. 40
Trow. 49
Trouwant. 43,256
Trunco, as. 231
Ts in vocum conuersionibus pro vna littera habetur. 19
Tuig. 219,222
Tumbi nostratium cur in tumuli effigiem aggerantur. 105
Tup. 263
Turnebus reprehenditur. 40,41. & seq.
Tuttul. 189
Tutulus vnde dictus. 186,187. & sequent.
Tutulus pileus flaminicus. 185
Tutuli plebeiorum sacris operantium & flaminum, quo differebant apud Romanos. 190
Tutuli cur dictæ metæ è saxis excisæ. 187
Twe. 21
Twelf. 20. & seq.
Typhon quis, & vnde dictus, &c. 60,263.
Typhon est cacodæmon. 60. & seq. carnem nostram etiam significat. 61
Typhon Horo, Isidi, & Osiridi aduersarius. 60

V.

V litteræ natura. 160
V vocalis & V consonantis naturæ societas. 165
V & W cognatio. 166
V & O quomodo possint eadem voce comprehendi. 165
V & F coniunctio. 166
V dum Cimbricam dictionem claudit, in F transit. 128

V apud Cimbros ſæpe tranſit in L. 160
V Cimmerium Latini & Græci in P frequenter conuertunt. 254
Vacare philoſophiæ. 126
Vallium commoda & vtilitas. 149.
Van. 166
Vaſt. 128
Vat. 248
Vau. 160
Vau in Oratione alphabetica quid deſignet. 161
Vau cuius rei ſymbolum. 163.
Vau litteræ figura. 164
Vau litteræ nomen apud Æoles & veteſtos Romanos etiam vſitatum. 160
Vaut/ Vout. 160
Vauwen/Vouwen. 160, 164
Ve. 53,222,226,227
Veel. 176
Veli artificioſiſſima pictura. 213
Velo. 56
Vellus,eris. 191
Vello,as. 191
Venſter. 230
Ver. 113
Vercken. 228
Veri præcipuum donum. 254
Veritas fidiſſimum amuletum. 51
Verleeſt. 73
Verwant. 256
Veſt/Veſte. 230
Verſus fuiſſe antequam litteræ ſcriberentur. 1
Veterinus. 53, 226
Vier. 151,246
Vinger. 137
Virga in ſacris litteris. 192
Virga & ſceptrum paternæ correctionis ſymbola. 192
Virga in Pontificis conoide quid ſignificarit. 192. quare lana obuoluta. 197
Virga punicea Reginæ ſacrorum quid ſymbolicè ſignificarit. 193, 194.
Virgata ſagula. 192
Virgilius vetuſtatis & arcanorum ſacrorum peritiſſimus. 248. continet religionis Chriſtianæ myſteria. 147
Virgilij locus explicatus. 40
Virium & roboris in corpore, cauſſæ. 52
Viſus citra lucem nihil poteſt. 123.
Vita quid. 100
Vita ipſius Vnius quæ dicatur. 20
Vita Binarij quæ. 21
Vitæ opus à maioribus iudicatũ, Deum aſſiduè laudare & adorare. 117
Vitæ opus, fides eſt. 125
Vitæ rectus ordo quis ſit. 120
Vitæ teſſera, ignis. 120
Viuere quis verè dicatur. 100
Vmbilicus in voluminibus quis ſit. 161
Vmbra terræ, meta noctis. 102
Vlacker. 222
Vina,æ. 136
Vnctio in ſacris litteris. 207
Vndenarius ſymbolum vnius vitæ 19. & ſeq. 22. & ſeq.
Vngues rodere. 137
Vnum. 54. & ſequent.
Vnum ipſum orandum, &c. 132, 133.
Vnum, primam perſonam, id eſt, patrem, in Trinitate denotat. 21,23.
Vnius cognitio difficillima. 212
Vnius cognitio, Dei cognitio eſt, 212.
Vnius vita quæ. 20
Voces ſacras ad religionem ſpectantes ad Phrygias referri debere. 99
Voet. 138
Vol. 128,198
Volumen. 161
Voluo,is. 160,165
Vouwen. 160,164. & ſeq. 166
Vox ſimplex ante omnia ſecula à Deo genita. 201
Vp. 60
Vr. 172
Vuer. 113
Vur. 99,246

W.

W & Q eandem aliquando figuram fuiſſe. 234
Wackelen. 89
Wag. 222,234
Wager. 222
Waut. 43,256
War. 50,234,254
We, Wee. 227,235
Wer. 204,234
Weis, Weit. 241
Wijr. 70
Wijden. 234
Wijs. 79,80,264
Wijſer. 79, 80
Wis. 80.234,264
Wl. 93
Wol. 191
Won. 234
Woyr. 49,50,80,251

X.

Xain vocis ſignificatio, etymon, & artificium. 166
Xain litterę figura duplex. 168,169
Xain litteræ poteſtas. ibid.

Y.

Ydo. 76

Z.

Zade litteræ figura. 232. eius nomenclatura & poteſtas. 229, 231. eius proprius ſonus. 231.
Zade pro Samecht ſimplici & duplici. 230
Zonæ mundi. 36

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio ſancitum eſt, nequis *Opera omnia Goropij Becani partim antehac impreſſa, ſed ab ipſo emendata, partim verò non impreſſa*, integra, vel eorum partem aliquam, citra Chriſtophori Plantini voluntatem, à die cuiuſq. editionis abſolutæ intra decem annos, imprimat, aut alibi impreſſa importet venaliáue habeat, ſub pœna confiſcationis librorum: vt latiùs patet in literis datis Bruxellis pænultima Nouembris, M. D. LXXIIII.

Signat.

I. de Witte.

IOAN. GOROPII BECANI

HIEROGLYPHICA.

LIBER I.

VANDO nobis propositum est, quis primus litterarum fuerit inuentor, perueſtigare; id in primis scire oportet, quid earum nomine veteres, in eadem quæstione versati, denotarint; ne vocis ambiguitate decepti, in ridiculum aliquem labamur errorem. Tzetzes eandem materiam in Chiliadibus suis tractans, postquam Palamedi, totius, vt ait, Græciæ consensu, sedecim litterarum tribuisset inuentionem; & à Simonide duas longas, ab Epicharmo tres duplices, à Cadmo Milesio tres adspiratas additas dixisset; suam adiecit sententiam: qua magna sibi censurę grauitate non citra arrogantiá sumta, statuit litteras in Græcia non ante Palamedem modò, sed ante Cadmum etiam Phœnicem fuisse. Eius rei fidem visus est sibi luculenta demonstratione feciſſe, dum rationẽ suam sic concluſit: Cadmo oraculum redditum est versibus hexametris, vt Pytho accederet: è quo necessaria collectione efficitur, vt litteræ fuerint ante Cadmum, propterea quòd carmen citra litteras nec pronuntiari, nec esse posset. Argutum sanè hominẽ agnosco, & in Dialecticorum elenchis virga censoria dignum. Scio equidem, & nemo ignorat, nec solutam nec pedibus adstrictam orationem vllam esse sine litteris posse; at illud præterea noui, multo priùs & oracula & versus esse potuisse, quàm vllæ omnino voces scriberentur. Ineptum igitur sese Grammaticus hic præstitit, dum quæstionem de litteris scriptis ad vocum elementa traduxit. Nemo tam alienus est ab omni communi sensu, vt nesciat, eundem omnino sermonis & simplicissimarum eius partium inuentorem fuisse: qua in re, non quis primus fuerit locutionis auctor, cùm ea primo homini citra controuersiam fuerit à Deo tributa; sed quis primus inter mortales fuerit sermo, in quæstionem vocari solet, quam Hermathena nostra discussit. Ceterùm dum de litterarum agitur inuentione, de pictis sculptisque litteris disputatur, quæ non paullo ipsis vocum elementis posteriores esse potuerunt, eo quòd & hodie apud plurimas gentes scribendi vsus desideretur. Cùm igitur alij alios celebrent litterarum inuentores, & Ægyptij quidem suum Thoot, Phœnices Taantum, alij etiam Herculem Ægyptium Nilo genitum, alij alium, vt modò ex Tzetza didicimus; tentemus & nos, ecquid sani è diuersis opinionibus elicere possimus. Plerique Græcorum Cadmo Phœnici litteras acceptas ferunt, tanto omnium consensu, vt mirer Tzetzem contrarium prodere voluisse. Exstat apud Suidam Zenonis epigramma, sed corruptum; quod aliis aliter concinnare per me licet; ego sic in præsens interpolabo:

Litteras quis primus inuenerit.

Oracula & versus ante fuisse quàm litteræ scriberentur.

Cadmúsne primus fuerit litterarum inuentor.

Εἰ πάτρα φοίνισσα, τίς ὁ φθόνος; εἰμὶ δὲ Κάδμος,
Κεῖνος ἀφ' ἓ γεάπταν ἕλλὰς ἔχει σελίδα. id est,
Sum patria Phœnix. quis liuor? Sum tamen ille
Cadmus, cui debet Græcia tota libros.

Plutarchus, si rectè memini, auctor est, Tyrios Cadmo Agenoridæ primitias herbarum offerre consueuisse: qua de re colligas, non litteras modò illi, sed herbarum etiam cognitionem acceptam tulisse Phœnices. Eustathius Cadmi nomen Mercurij etiam epitheton fuisse tradit, à κάζω, quod est ornó; & hinc Cadmilum etiam vocatum. Κάζειν à nostrati Cuiſſchen deriuatur, vnde & κοσμὸς. Verùm Cadmilus & Camillus Romanorum vox, eiusdem sunt originis, à Catmel / id est, malum reuelo: quo nomine ingenui Cabirorum pueri vocabantur; qui sacris adhibiti & populo permisti auscultabant, ecquid infausti in templis diceretur, quo litatio posset impediri: quamquam mihi magis

Κάζειν. Cuiſſchen. κοσμος. Camilli nominis origo. Cabirorum pueri.

placet generatim ingenuos pueros sic vocari, quòd puerili quadam simplicitate citra ambages reuelent, si quid mali in familia aut dicatur aut fiat: idque eo magis credo, quòd trito apud nos prouerbio iactetur, pueros nihil celare posse. Cadmillus igitur, siue Camillus sono Latinorum, is generatim de nominis ratione dicendus qui mala deregit & manifestat: quod ingenuis pueris & ad honestatem educatis peculiari quodam iure conuenire scimus. Sed frustra hæc vel ab Eustathio, vel ab alio ad Cadmi nominis interpretationem afferuntur, quando omnium veterum confessione constat, Cadmum Phœnicem, non Græcum fuisse; & idcirco Phœnicum sermonem in eius nomine consulendum. Hos igitur si rogemus, dicent, nisi fallor, Cadmi nomen à Cadma, quod idem est quod Cedem Hebræorũ deriuari, & eo Orientem intelligi. Vt enim ex Alef Alpha, ex Dalet Delta, ex Melech Malcha; sic ex Cedem Cadma faciunt Phœnices, adiecta A in fine, & sono pænultimæ vocalis suppresso: quo addito, Alepha, Dalcta, Malecha & Cadema audiremus. Quamobrem si quęratur, quis propriè & primario iure Cadmus sit vocandus, nemini dubium est, quin Soli orienti hoc nomen maximè conuenire cernatur. Verùm nobis de homine, non de astris aut elementis agendum. Variæ sunt & de Cadmo & eius progenie fabulæ: omnes tamen ad hanc Syram vocis originem nonnihil alludentes. Mnaseas apud Stephanum in voce Dardanus, Telephaẽ priorem eius facit vxorem; qua mortuà, duxerit Harmoniam, quam ait Dardani & Iasonis fuisse sororẽ, quos Cadmus in Samo hospitalitate magna sibi deuinxisset. Quid autem est Telephaë aliud, quàm vis ea quæ splendorem & lumen suum longè diffundit? quam vxorem Cadmo dare, non aliud mihi videtur quàm dicere, Cadmum religionis & omnium liberalium artium è quibus homines vitæ lumen capiunt, fuisse doctorem. Eam deinde sequitur altera vxor Harmonia, eo quòd in cultu diuino & eruditione omnis reip. bene formandæ ratio cõsistat. Idem igitur fuerit, dicere Harmoniam eius fuisse vxorem, ac si totius societatis humanæ vocaretur Hermostes. Aliis in quibus Nonnus Panopolita, placuit commentum, Cadmum cum Harmonia primùm ad lacum Tritonem concubuisse: eadem prorsus de caussa conficta fabula qua Pallas ibidem exstitisse narratur. Nam vt Sapientia è veritatis demonstratione gignitur; ita Harmonia nulla in hominum societate esse potest, nisi veritas fuerit ostensa. Facessant hinc eorum deliria, qui citra allegoriam lacum Tritonem in Africa intelligendum arbitrantur. Symbolica Theologia cum aliis inuolucris, tum etiam non rarò locorum vtitur allusione: in qua inter cetera recta nominũ ratio spectatur; è qua ad veram peruenitur intelligentiam. Lacus est in Africa Triton, sed huic nihil præcipuum aut singulare, ob quod sibi vel Mineruæ natales, vel Cadmi & Harmoniæ coniugium bono iure queat vindicare. Alia ergo via veritas inuestiganda; quæ plana est & aperta, si Mercuriũ Cimmerium præmonstratorem sequamur. Is docet Τρι-τοον idem esse ac si quis dicat, Veritatis demonstrationem: quo patefacto, quis non videt cur & Minerua ex Trutone nascatur, & idem Cadmi & Harmoniæ concubitus adscribatur, cùm nec sapientia, nec leges, nec tota reip. rectè constituendæ ratio aliunde quàm de veri ipsius ostẽsione proficiscantur? Nonnus itaque Dionysiacôn libro decimo tertio perquàm conuenienter Cimmeriæ Theologiæ hos cecinit versus:

Κεῖθι καὶ ὡς ἐνέωσι ϖιδὰ Τριτωνίδι λίμνῃ
Ἁρμονίῃ παρέλεκτο ῥοδώπιδι Κάδμος ἀλήτης.

Id est, vt ex tempore profundam,

Hîc propter Tritonis aquas, vt fama, potitus
Est rosea Harmonia terræ vagus incola Cadmus.

Minimè negligendum arbitror, quòd, vt reuera fuit, ita perquàm significanter Cadmũ vagum nominarit poëta. Mirum enim est quàm id conueniat cum Iani nomenclatura, quæ facta est à perpetua itione; propterea quòd Iaphet patrem suum imitatus, perpetuò terrarum orbem velut episcopus quidam & Harmostes circumiret, quò mortales in vera religione & patriis institutis contineret, atque ad ea, si qui declinassent, reuocaret. Quid ni igitur Cadmum & Ianum eundem hominem dicemus; Ianum quidem prisca lingua, Cadmum verò sermone Phœnicum siue Syrorum: in quo nomen id sortitus sit, quòd ex Oriente in Syriam venerit? Ex Orientis, inquam, ea parte, ad quam Indoscythica nostra Iapetum cum prole sua remansisse docuerunt; tum nimirũ, cùm ceteri

Phœnicij sermonis idiotismus.

Cadmi vxores.

Telephaë qd, & cur Cadmo vxor data sit.

Harmonia quare Cadmo coniugio copulata.

Triton lacus.

Tritonis etymon.

Cadmus idẽ qui Ianus.

ceteri ex Oriente in campos Sennaar per longam montium catenam commigrarent, in quibus linguarum legimus factam confusionem. Exordiamur itaque rursus, & inuestigemus cuius filius fuerit Cadmus. Extra omnem cõtrouersiam positum videmus, Agenoris filium fuisse. At quis hic Agenor, & quo in sermone sic vocatus? Si Syros aut Phœnices interrogemus, mox respondebunt, Agenoris nomine non aliud quàm cratêrem lucis denotari. Quod si verum est, vt est verissimum, pergamus porrò quæsitum, cui maximè hæc nomenclatura sit applicanda: nemini profectò potiùs post cataclysmum quidem quàm ipsi Nocho, ex quo totius religionis & omnium scientiarũ lumen vniuersæ posteritati affulsisse scimus. Quemadmodum igitur variis nominibus pro diuersitate munerum siue donorum, quæ diuina benignitas ipsi larga manu contulit, est nuncupatus; ita nihil miri, si apud Assyrios & Phœnices Agenor sit vocatus; ab ea videlicet dote qua nullam aliam habuit præstantiorem: nisi si quis religionis & scientiarum luce, quam ex eius cratêre posteri hauserunt, quidquam norit præclarius. Cùm igitur Cadmus litterarum apud Phœnices dicatur inuentor, atque is Ianus fuerit Nochi filius qui Babylonicæ confusioni non interfuerat; videtur litteris ea nomina reliquisse, quæ non ab aliis quam ab Orientalibus siue Ianigenis intelligerentur; vnaque mandasse, vt se Cadmum lingua Phœnicia nominarent, ne vmquam obliuio surreperet vnde characteres & characterum nomenclaturas accepissent, & verò à quibus esset harum interpretatio petenda. Ne tamen sibi soli tantum beneficiũ arrogaret, patrem suum voluit Agenorem à Phœnicibus dici, vt scirẽt perpetuò, Nochum omnis lucis inter mortales primum esse cratêrem. Hanc rem, vt eam trado, ita habere perspicuè cernes, si rationem omnem rectè supputes, tum qua in lingua, tum à quibus Cadmus hoc nomen sit sortitus. Primum nomen minimè Græcum esse, neminem puto hominem dubitaturum: quandoquidem omnes confitentur, Cadmum è Phœnicia in Græciam traiecisse; & clarum est, hac voce Orientalem Phœnicibus denotari. Ridiculum enim sit, & Agenorem & Cadmum Phœnices dicere fuisse, & illud addere, nomen sibi à Græcis petiuisse. Quòd si quis tam sit communi sensui aduersarius, vt Cadmi nomen Græcum putet; eum cupio mihi respondere, quo nomine fuerit prius apud suos vocatus: quod si nescit, ne tam sit impudens, vt citra omnem tum rationem, tum auctoritatem mecum contendat. Non equidem nego, aliquid apud Grammaticos commenti posse inueniri, quo Cadmus ab ornatu dictus esse videatur; verùm id propterea, vt dico, non admitto, quod in absurdissimis sit habendum, vocem Phœnicibus apertissimam ad Græcos fontes velle detorquere; cùm vno ore omnes fateantur, Cadmum antè hoc nomine nuncupatum fuisse quàm in Græciam veniret. Sed si qui sint tam læuis ingeniis, vt è solo contradicendi studio gloriolam quærant, nihil pensi habentes quàm vel absurda vel verisimilia obtrudant, eos vt contemnamus æqui iudices nobis, ni fallor, permittent. Pergam modò. Si Phœnicum vox est Cadmus, atque ea orientalis homo significatur, vt est extra omnem doctorum hominum dubitationem; sequitur vt illud quærendum sit, quorum cõparatione Cadmus, id est, orientalis fuerit dicendus. Certè si Cadmus Phœnix erat, dici non potest, eum Phœnicibus orientalem fuisse; & sic orientalẽ, vt hac de re orientalis homo apud Phœnices vocaretur. Quid enim cogitari posset absurdius, quàm quemquam domi nostræ natum orientalem nominare? Nos scilicet Oosterlingos, id est, homines orientales eos dicemus, qui in Belgicogermania nati sunt? Minimè gentium: sed eos qui toti patriæ nostræ, totique huic nationi sunt orientales. Quod si ita est, quis Phœnicibus Cadmus erit dicendus? An non is qui non in Phœnicia natus est, sed in ea regione quæ discrimine magno & notatu digno à Phœnicibus ad Orientem est remota? Neque enim ferè id genus nomina à cæli plagis petita interuallis exiguis accommodamus, sed iis demum quæ tanta sunt, vt propria regionum nomina notitiam vulgi fugere putentur. Quos enim tam propinquos habemus, vt patriam eorum neminem ignorare arbitremur, eos non à plagis cæli, sed à patria nominamus: at qui tam longinquis locis sunt oriundi, vt patriæ eorum nomen non ferè in vulgus notum sit; vel ab Oriente, vel ab Occidente, vel ab Austro, vel à Septentrione nuncupamus. Quamobrem si hanc communem loquendi consuetudinem consulemus, facere non possumus, vt non fateamur Cadmum patria minimè fuisse Phœnicem: & verò tam Phœnicem non fuisse, vt longis terrarum interuallis ipsius regio ad Orientem fuerit remota.

Cadmus Agenoris filius.

Agenor quid significet.

Agenor idem qui Nochus.

Cadmi nomenclatura cui idiomati debeatur, & quid significet.

Cadmum nõ in Phœnicia natum.

Cadmus vnde oriundus.

remota. Cuiatem ergo dicemus? Id nos nomina litterarum, quarum inuentio magna omnium consensione ipsi adscribitur, docebunt. Rogentur veteres, quænam natio ad Orientem id temporis habitarit, in cuius lingua nomina characterum sanam aliquam habeant interpretationem: quam cùm reperiemus, tum cogitandum, nos ad eos peruenisse, è quorũ regione Cadmus venerit ad Phœnices. Scio Eusebium & alios aliquot existimasse, litterarum nomina quæ apud Hebræos in vsu sunt, & olim fuerunt apud Chananæos, à quibus ea Hebræi acceperunt, ad Hebræorum linguam esse interpretanda. Verùm quàm id feliciter Eusebio, aut iis quos est secutus successerit, equidem alios iudicare mallem, quàm ipse explicare. Non ignoro tamen nihil tam esse dissipatum quod non aliqua ratione queat colligari; præsertim si verba tum, vt volumus, interpretemur, tum significata citra omnem constructionis rationem sigillatim examinemus, & hæc magnis commentariis longè petitis ad aliquam sententiam cogamus, quam ipsa quidem verba non exprimant; sed quam nos ipsis verbis affingamus. Ne tamen grauissimi testis pondere deprimamur, aut potius ipsa eleuetur veritas, adscribemus totam Eusebij interpretationem, quò cuiuis videre liceat & existimare, quanti sit arcanum hoc mysterium, quod pius hic vir est admiratus, faciendum; apud eos maximè qui non auctoritate cogi, sed ratione duci volunt. Poteram equidem in aliud tempus hanc rem reiicere; sed quia non parum momenti in ea est ad cognoscendam Cadmi vernaculam & patriam linguam, visum nõ fuit diutius eam differre. Vt enim ille firmam esse collectionem statuit, primam litterarum inuentionem ob id Græcis tribui non posse, quòd earum nomina Græcis nihil significent; ita & ego docebo hac ipsa de caussa dici non posse, Hebræos litterarum primos esse inuentores; propterea quòd nihil sani nominibus litterarum apud eos denotetur. Post alia igitur, Eusebius Georgij Trapezuntij beneficio Latinè loquens sic habet: Omnes autem litteræ apud Hebræos viginti duæ sunt; quarum prima Aleph dicitur, quod Latinè disciplina dici potest: secunda Beth, quod domus significat: tertia Gimel, quod vocis plenitudinẽ significat: quarta Daleth, quod librorum dici potest: quinta He, quod vocabulum Ista significat. Quæ omnes voces talem sensum efficiunt: Disciplina domus plenitudo librorum hæc. Sextum elementũ apud eos Vau dicitur, quæ vox Latinè In ipsa dici potest: deinde Zain, quod vocabulum significat Viuit: octauum Het, quod significat Viuens. Totum hoc simul: In ipso viuit viuens. Nonum Teth dicitur, id est, bonum: decimum Iod, & interpretatur principium. Simul hæc duo bonum principium significant. Vndecimum Caph, Latinè Tamen: duodecimum Lamed, quod Disce: & postea Samech, quod interpretatur Auxilium. Totum hoc simul significat, Tamen disce auxilium. Deinde sequitur elementum quod Mem appellant, quod interpretari potest Ex ipsis: deinde Nun, id est, sempiternum auxilium: his accedit Ain, quod Latinè fontem aut oculum significat: deinde Phe, quod Os dici potest: deinde Sade, quæ vox Iustitia interpretari potest. Simul sensus est, Fons & oculus & os iustitiæ. Elementum deinde accedit Coph, id est, vocatio: deinde Res, quod caput significat: deinde Sin, quod dentes dicere possumus: postremò Thau, quod signa dici potest. Omnium igitur sensus elementorum hic est: Disciplina domus plenitudo librorum hæc, in ipsa viuit viuens; bonum principium tamen disce ex ipsis, sempiternum auxilium fons aut oculus atque os iustitiæ vocatio capitis & dentium signa. Hæc est elementorum Hebraicorum Latinè dicta sententia; quæ disciplinæ litterarum summoperè conuenit, quod apud alias gentes inueniri nequit. Vnde fateri necesse est, non ab aliis quàm ab Hebræis litteras esse inuentas. Hæc Eusebius. Cuius sententiæ subscribit D. Hieronymus; quod deinde magna sequitur turba pedaneorum. Quid nunc dicam, an non sum victus? Essem haud dubiè, si nomina litterarũ rectè interpretaretur, & ex iis aptam conuenientemque faceret sententiam. Nunc nec illud, nec hoc præstat. Quid? quod Samech litteram ordine suo deturbauit, & in Sade & Sin eandem exprimit litteram, ita vt alteram superuacaneam esse necesse sit? Nominum significationem non rectè redditam quiuis facilè deprehendet qui singulas voces examinabit. Nam neque Aleph doctrinam notat, quamuis id aliquo modo concedi posset; nec Gimel notat vocis plenitudinem, sed si quid notet, camelum significabit, & si Gamul pronunties, ablactatum notabit. Quòd si vt Piel à Paal; ita Gimel à Gamal dictũ voles, idem erit Gimel quod, fecit retribuere: quæ notatio quàm

Hebræorum litteras ad Hebræorum linguam esse interpretandas voluit Eusebius.

Hebraicarũ litterarum secundum Eusebium significationes.

Eusebij sententia de litterarum Hebraicarum significationibus confutatur.

Aleph.

Gimel.

huic

huic loco conueniat, ab alio lubenter discerem. Iam quid Daleth commune habet cum libris? nisi de Græco sermone Daleth pro Delta dici velimus. Apud Hebræos Daleth ostium significat; rem à libris tam diuersam, quàm plenitudo differt à camelo. Sed longè absurdius est id quod mox additur. He dicit idem esse quod Ista siue Hæc; & hunc articulum voci præcedenti iungit, quod facit contra omnem apud Hebræos loquendi consuetudinem, qui ad hoc hysteron proteron æquè atque ad carnem suillam nauseatent. Nec sanius est quòd mox Vau, in ipsa, reddi posse dicit. Si enim Vau Hebræis quidquam significet, volutas columnarum notare dicam; quæ capita D. Hieronymus, alij clauos verterunt. Ego Vauot antiquum Cimbricum vocabulum esse credo, & eo notari capitis volutam, si mihi hac voce vti licebit, quam in Ionicis capitibus videmus. Zain verò idem esse quod Viuit, quis Hebræorum, vt dicatur, feret? זַיִת pro esca poni fatebuntur; sed si idem esse quod viuit dicas, explodêris. Est sanè hoc loco Eusebius Hebraicam vocem de Græcorum Ζάν interpretatus: quo tamen non Viuit, sed Viuere notatur; perinde vt antè in Daleth libros inuenit; non illos quidem apud Hebræos, sed apud Græcos. Porrò quòd Het pro Chet dicat, facit id quidem de more & consuetudine pronuntiandi apud plerosque omnes vsurpata, perperam tamen & contra rationem; quæ non permittit vt duæ litteræ in eadem soni potestate collocentur. Quid enim in Het audis quod non itidem in He? Sed hoc condonemus peccantium multitudini. Het verò idem esse quod viuens, non facilè adducar vt credam, cùm pro viuo חַי Hebræis vsurpari videam, non Het. Detur tamẽ & hoc aliquo modo tolerari posse. Verùm illud quod Thet dicit bonum notare, nescio de quibus didicerit magistris. Thob & Thub sic interpretaretur, sed quid his cum Thet? טִיט lutum esse scio; at hoc hactenus ignoraui cœnum & lutum in bonis numerari. In eodem luto hæret, dum Iod principium significare dicit. Iad manum esse, & ad potestatem denotandam transferri, nemo Hebræorum ignorat; sed Iod principium significare, nemini persuadebis. Id facilè dabunt, ipsam figuram Iod principium esse litterarum, eo quòd reliquæ elementorum figuræ in Iod resolui posse videantur: sed hinc non efficitur, vt vox Iod bene principium dicatur notare. Quòd si pro bono principio, quod in Thet Iod intellexit, lutum agri interpretaretur, esset quo excusari posset; eo quòd Iad aliquando pro agro videatur in vsum venisse. Certè quisquis horũ Eusebio doctor fuit, non verba ei tantùm dedit, sed cœno manus & calamũ eius impleuit. Vt hæc aliena sunt ab omni communi intelligẽtia; ita quod mox subiungit omnem superat absurditatem. Quid alienius à lingua Hebraica, quàm Caph idem esse quod Latini Tamen dicunt; cùm apertum sit & extra omnem dubitationem, hac voce Caph palmam notari? Quòd sequitur Lamed idem esse quod discet, non facilè persuadebit, nisi doceat, Lamed, non Lemod vel Lemad dicendum, contrà planè quàm habeat loquendi consuetudo. Perrecturus offendit in Mem. Mem igitur & Nun transiliens, Samech extra ordinem vocauit; quòd si Samech post Lamed nullo medio poneretur, apta scilicet esset sententia orationis: quam vt construat, Samech reddit auxilium; cùm Samech tamen idem sit quod imponens siue innitens: vnde quodam modo ad auxilium, quo fulcimur, transferri posset. Quòd Mem, ex ipsis vertat, non reprehendam, ne nimiũ videar Momus. Sit enim Mem pro מֵהֵם quod ab ipsis. Verùm Nun sempiternum notare quis concedet? Si quid ea vox notet, vel pro filio qui Nin dicitur, vel pro eo cui filius est natus, ponetur; quamuis neutrum horum sit vsitatum. Sed sit hoc è Cabalistarum arcanis fortasse deriuatum, vt Nun pro sempiterno ponatur; quia per filios genus redditur perenne; vel altiùs progrediẽdo, quia Deus æternitatem dat per filium. Vt igitur nugæ sint, non sunt tamen nugæ sollemnes; sed raræ, & inter secretiores habendæ. Ain non malè fontem interpretatur: nec Phe malè vertit os; sed dum Sade iustitiam dixit, ex insidiis, vel reti, vel hamo, iustitiam fecit. Excusari potuisset, si littera Sadec vocaretur. Sed castigabit se in Coph, scilicet, dum Coph vocationem reddit. Coph dum vt verbum vsurpatur, idem est quod circumiuit; dum vt nomen, simiam significat. Vide quid hæc ad vocationem. Verùm tria quæ sequuntur, omnium præcedentium fœditatem abstergent. Res enim, & Sin, & Tau non malè interpretatur, sed citra omnem orationis connexionem. Sin tamen & Res aperiunt, minimè Hebræis hæc nomina litterarum tribuenda; propterea quòd Sen & Ros, non Sin & Res dicant pro capite & dente.

Daleth. *He.* *Vau.* *Zain.* *Het.* *Thet.* *Iod.* *Caph.* *Lamed.* *Samech.* *Mem.* *Nun.* *Ain.* *Phe.* *Sade.* *Coph.* *Res.* *Sin.* *Tau.*

Verùmenimuerò licet modò cuiuis liquere putem, eorum saltem qui rationi malunt cedere quàm anticipatam sequi auctoritatem, nihil sanæ intelligentiæ è nominibus litterarum apud Hebræos construi posse: ne quid tamen neglexisse videamur, quòd à quopiam assertioni nostræ, quam molimur, obiici possit; videamus quid aliis hac in re visum sit. Neminem profectò hactenus vel audire vel legere memini, qui litterarum nomina aliter sit interpretatus, præter vnum Angelum Caninium Anglarensem, hominem doctissimum linguarum, non Græcæ modò & Latinæ, sed Hebraicæ etiam, Syriacæ, Arabicæ & Æthiopicæ. Huius igitur verba adscribere, non magnum tantùm operæ temporisque pretium habere, sed propè etiam esse necessarium duxi. Ea ex ipsius institutionibus in linguam Syriacam, Assyriacam & Thalmudicam deprompta, ad hunc habent modum: Litteræ quibus Hebræi Chaldæique vtuntur, viginti duæ sunt, figura dissimiles, vi ac sono eædem. Nos Danielis, Esræ, Thalmudicorumque doctorum consilium atque auctoritatem secuti, quò res planior sit, Hebraicis erimus contenti characteribus: quorum significatum exponere, quod perfectè hactenus fecit nemo, haud equidem absre fore existimo. Eusebius enim, cui, vt res ipsa loquitur, Iudæus aliquis imposuit, venia dignus est. Ignoscendum etiam Hieronymo, qui Eusebium imitatus eadem tradidit. Nos, quantum è lingua Hebraica atque Chaldaica intelligere possumus, hanc simplicem collegimus interpretationem: Aleph, bos: Beth, domus: Gimal, camelus: Daleth, ostium: He, vermis punici: Vau, clauus aduncus: Zain, telum: Heth, quadrupes: Thet, inuolucrum: Iod, manus: Caph, palma: Lamed, stimulus: Mem, macula: Nun, piscis: Samech, basis: Ain, fons: Phe os: Sadi, hamus: Coph, simius: Res, caput: Scin, Dens: Thau, crux. Hæc ille; quibus mox addit: Nomina litterarum Chaldaica potius videntur quàm Hebraica, vt ostendunt שין גימל ריש quæ Hebraicè dicerentur שֵׁן גַּמָל רֹאשׁ. Id quod etiam vsus Thalmudicus docet, qui scribunt בֵּיתָא אַלְפָּא cæteraque eodem modo cum א in fine, quod linguæ Chaldaicæ, vt explanabimus, peculiare est. Porrò quod ad significatum attinet, facilis & naturæ consentanea ratio est. Vt enim Ægyptij variis animantium rerumque simulacris naturæ arteue constantium orationem suam explicabant; sic Hebræi, quorum lingua & origo longè est Ægyptiis antiquior, pro litterarum figuris res aliquot notas ac luculentas acutissimè imitati sunt, calamóque adumbrarunt. Quod vel astronomi ipsi factitant; apud quos notis quibusdam planetæ & zodia referuntur. Hæc ille; doctè profectò & ingeniosè: contra quem difficilior mihi pugna sit, quàm cum Eusebio, si contendere adnitar. Cùm enim nullam connexionem verborum, perinde vt ille, adducat, non poterit hac ex parte quicquam obiici, quo commentum refellatur: quod licet sit perquàm astutum, dum res prorsus disiunctas, & nulla vel naturæ vel sententiæ lege cohærentes ad sacras notas referri debere dixit; nihil tamen vel perparum facit ad id, vt inde doceatur litterarum nomina Hebræis deberi vel Chananæis. Fatetur enim Chaldæorum potius quàm Hebræorum videri inuentionem. Verùm nec hic satis constare sibi videtur, dum Aleph in fine à Chaldæis præcipuè dicit vsurpari. Nam si id verum est, minimè fuerat Aleph & Beth dicendum, aut harum vocum quærenda interpretatio; sed Alpha & Beta, quæ nomina esse dicit in vsu Thalmudicorum. Cui illud item addatur, Cadmi etiam nomen non Hebræorum formulam, sed Chaldæorum sequi; quoniam ab illis Cedemi potius nomen, cùm dicant Cedem, quàm Cadmi defluxisset: vnde verisimile redditur, non cum Hebræis, sed cum Chaldæis de litterarum primatu esse certandum. Verùm dissimulemus hanc controuersiam hoc loco, & susque deque feramus vtrius gentis linguæ nomina litterarum accommodentur; modò id teneamus, neque Chaldæis neque Hebræis vllam in Alphabeto sententiam absolui; sed si quid nomina ipsis designent, id totum disiectum esse, & nulla constructione aut ordine deuinciri: In quo solo satis argumenti fuisset, cuiusuis alterius potiùs nationis, quàm vel Chaldaicæ vel Hebraicæ hanc esse orationem, nisi ad Hieroglyphicas notas effugium patuisset. Non difficilis sanè nec ardua hæc via fuit ad declinandam absurditatem, verùm eos qui hanc ingredientur hoc rogabo, quid cognationis sit inter has notas & ipsas litteras? Scio sanè de boue promptam esse rationem ex fabula de Cadmo bouem sequi iusso; sed non video quid Beta commune habeat cùm domo, vt inde nomen huic litteræ dandum fuerit: nec item quid camelo cum gamma, & reliquis rebus significatis cum ipsis

vel

Angelus Caninius Anglarensis.

Hebraicarum litterarum secundum Angelum Caninium significationes.

Angeli Caninij de Hebraicarũ litterarum significationibus opinio reiicitur.

vel figuris vel poteſtatibus litterarum conueniat. Quòd ſi quis dixerit, primas figuras tales fuiſſe, vt prima bouis, ſecunda domus, tertia cameli, quarta oſtij, quinta vermis punici, & reliquæ ceterarum rerum quæ denotantur nominibus aliis habuerint ſimilitudinem; duo rurſus quæram; alterum, quæ fuerit cauſſa vt ab his rebus potius quàm à ſcientiis, aut à ſideribus, aut aliis rebus nobilioribus & figuræ & nomina litteris darentur: alterum, quî factum ſit, vt apud nullam omnino gentem exſtent vel tenuiſſima earum rerum veſtigia. Vt enim demus Eſdram apud Hebræos alias commentum eſſe figuras, non video tamen cur nec apud Chaldæos vel apud Arabes, nec apud Æthiopes aliqua ſuperſint indicia harum veterum notarum. Procliue fuit dicere, hieroglyphicas litteras fuiſſe; at ratio reddenda fuiſſet, cur hæ potius quàm aliæ notæ litteris conuenire viderentur: quæ ſi nec inueniri nec dari poteſt, non inane modò, ſed abſurdum etiam figmentum nobis dicemus obtrudi. Verùm quamuis aſtutum fuerit Caninij commentum, non potuit tamen efficere, vt ceteris quoque Hebraicæ linguæ peritis ipſum probaret. Paullo enim pòſt Martinus Gilbertus, diligenter omnibus examinatis & diſcuſſis, totum Alphabetum in ſeptem partes diſtinxit: quarum prima eſt; Doctrina domus plenitudo tabularum. Secunda: Iſta eſt hæc vita. Tertia: Bonum principium. Quarta: Manus diſciplinæ ſiue cordis. Quinta: Ex ipſis ſempiternum adiutorium. Sexta: fons ſiue oculus oris iuſtitiæ. Septima: vocatio capitis dentium ſigna. Hoc modo litteris diſtributis, & quòd vellet ipſe ſignificare coactis, magnum ſibi viſus eſt myſterium aperuiſſe. Verùm ſatius fuerit ipſummet videre auctorem, & in eo cognoſcere quàm nihil certi è litterarum nominibus elici poſſit, cùm ne ipſe quidem ſua omnia ratione confirmet. Coph enim vocationem vertit, & Nun æternum, cùm nihil tale ſignificare docuiſſet in ſingularum vocum explicatu. Sed quid ego fruſtra hic tempus teram, vbi clarè cernitur, pro cuiuſque ingenio & imaginatione ex vicinia aliqua aut Chaldaicæ aut Hebraicæ aut Syriacæ vocis fieri coniecturam de nominum ſignificatione: atque deinde ex abſurda vocum farragine, id quod quiſque ſomniat, denotare compulſarum, orationem componi à communi ſenſu prorſus abhorrentem? Et cur ego Caninio potius quàm Martinus Gilbertus credam; & cur item Martino potius quàm Caninio, cùm neutrum horum quicquam dixiſſe quod ſequendum ſibi putarit Antonius Cheuallerius ſatis oſtendat? qui in Grammatica ſua ſic litterarum nomina expoſuit, vt quamuis ea nulla violenta copula coniungeret, non omnibus tamen certam dederit ſignificationem: & quibus dedit, inter ea fateatur etiam quædam eſſe à communi loquendi conſuetudine detorta. Huius igitur verba, vt hominis hac in re magis ingenui, & rectam ſimplicis veritatis viam meliùs ſequentis, lubenter adſcribemus. Aleph, inquit, quaſi princeps dicitur, quòd primarium locum in Alphabeto obtineat: vnde & Græci ſuum Alpha mutuati ſunt. Beth, id eſt, locus; nam præ ceteris litteris ſpatium ampliſſimum lineis ſuis circumſcribit. Gimel à gibbo, quem in dorſo gerit ſicut camelus, qui dicitur Hebræis גָּמָל. Daleth deducitur à דֶּלֶת porta, quam delineat. He nomen ſumſit à poteſtate. Vau, id eſt, vncinus; cuius figuram refert. Zain, arma ſynecdochicôs vocatur; quòd clauæ figuram exprimat. Heth ſic vocatur à poteſtate. Iod à יָד, id eſt, ſpatium. Nam vbicumque ſcribitur, propter exilitatem, vacuum ſub ſe relinquit ſpatium. Caph, ac ſi inflexam & incuruam dicas, à כֶּפֶף, incuruauit. Lamed deducitur à מַלְמַד ſtimulus ſeu veru, cui ſimilis eſt. Mem à poteſtate ſic dicitur, ſicut Græcis & Latinis. Nun ſimiliter à poteſtate. Samech, id eſt, continua & in ſeipſam ducta, à סָמַךְ innixus eſt, continuauit. Aain, oculus; cuius figuram imitatur. Pe, à poteſtate. Sade, venabulum, quod ſummâ parte exhibet: deriuatur à צוּד venari. Coph, à poteſtate. Res, caput; ob craſſitiem capitis: Subtiliùs poteſt exponi, pauper; quòd plerique careant facultate rectè proferendi hanc litteram. Schin vel Sin, dens; quaſi dentata littera, quòd tres dentes videatur continere. Tau, terminus, quòd Alphabetum terminet & claudat, ab ordine vocatur, vt Aleph. Hæc ille: qui principem & ducem Aleph eſſe maluit quàm bouem. Nec malè profectò. Me certè liberauit à bouis capite, quod in paruo Græcorum Alpha quidam ſibi finxerunt. Sed quid refert? ſit princeps, ſit doctrina, ſit vitulus, ſit bos, ſit quiduis; modò nullius ſanæ orationis principium efficiat. Sed vide, rogo, diligenter, quàm rectè congruant doctiſſimi huius viri rationes cum litterarum figuris. Equidē vt in Beth non plus ſpatij video quàm in Aleph, quàm in Mem, quàm in

Hebraicarum litterarum ſignificationes ſecundū Martinum Gilbertum.

Hebraorum litterarum ſignificationes ſecūdum Antonium Cheuallerium.

Scin,& aliis quibusdam; ita non facilè vel cameli gibbum in Gimel,nec portam in Daleth,nec venabulum in Sadi agnosco; vt cetera valere sinam. Hoc interim laudo, quòd litteras non magis quàm Caninius, aut Abraham de Balmis, aut alij quamplurimi graues eiusdem linguæ professores, inuitas coëgerit cõmenticiæ alicui suæ seruire orationi. Rogati & alios doctissimos huius linguæ professores, vt omnibus Syrorum, Chaldæorum, Arabum & Hebræorum viribus coniunctis ad vnam orationis farraginem congerendá, disquirerent ecquid sanius excogitare possent: quorũ cùm alius alia collegisset, tandem deprehendi nihil certius esse, quàm è nominibus litterarũ nec apud Hebræos, nec apud cognatarum linguarum homines vllam construi posse sanam orationem, sed mania & vana & absurda somnia esse quæcumque hactenus ad integram sententiam reddendam obtruduntur. Quò magis laudandi doctissimi quique Hebræorum grammatici, quòd his nugis nec se fatigarint, nec deceperint lectorem: qui si hoc in litterarũ nominibus artificium esse sciuissent, vt ex omnibus simul vinctis integra oratio consurgeret, numquam illud neglecturi fuissent; quando videmus quosdam tam ambitiosos linguæ suæ fuisse præcones, vt stolidos Cabalistarum numeros diligẽter excusserint, & ad linguæ suæ ornamentum adsciuerint, rem tam vanam, vt nihil vanius inter vanissima queat excogitari. Quamobrem cùm neq. Rabbi Dauid Kimchi, nec Ioseph Kimchi, neque Abraham de Balmis, nec Elias Germanus, Grammaticorum apud Hebræos facilè princeps, quidquam tale deprehenderint, nec posteriores intra Hebraicæ linguæ terminos citra magnam vocum corruptelam ea quæ conati sunt comminisci potuerint tueri; cuius tandem sit insaniæ id genus monstrosis somniis fidem adhibere? Relictis igitur his, vti nulla ratione nixis, videamus ecqua gens reperiri queat, quæ non Phœnicibus tantùm, sed Hebræis etiam & Chananæis, qui sedes eorum antea tenuerunt, & ipsis pariter Chaldæis, vnaque toti Arabiæ fuerit orientalis: in cuius lingua Alphabetum primùm integram absoluat & congruam orationem; & præterea eas habeat figuras quæ in nominum significata sic quadrent, vt symbola nequeant vel inueniri vel cogitari conuenientiora. Hanc si queam demonstrare, non opinor quemquam tam vel stupidum vel peruicacem inuentum iri, vt non potius in nostra sententia, quàm in aliorum acquiescat. Primùm itaque iis quæ in Cadmi nomine obiter attacta sunt, fusius copiosiusque repetitis, quæramus an Cadmus litteras primus inuenerit, an iam olim inuentas primus Syrophœnicibus tradiderit: & si primus tradiderit, quo medio & occasione vt id faceret, fuerit adductus. Hîc nobis Indoscythica nostra succurrent; ostensura Chaldæorum, Assyriorum, Arabum, Phœnicum & gentium ceterarum cognatam linguam vsurpantium maiores ab eo loco qui primus post cataclysmum habitatus est, Occidentem versus commigrasse; atque illic in campis Sennaar linguarum accidisse confusionem. Veritati igitur consentaneum, vnà cum prisco sermone scribendi etiam vsum periisse; propterea quòd is antea non alij linguæ, quàm primæ accommodatus fuisset: quæ cùm modò oblitterata esset, fieri non potuit vt ex eius collatione litterarum notæ linguis recens enatis possent applicari. Quo enim modo Biscainus, solius sui sermonis peritus, ex alia lingua iam scribi consueta litterarum sibi figuras mutuabitur? Num potest fortè scientia vlla ex rebus ignotis comparari? Num imitationis exempla queunt ex iis duci quæ prorsus ignorantur? Quòd si nullo modo in nostram id cadere potest cogitationem, vt ex ignotis ignota discamus; fatendum erit, vnà cum prima locutione primam quoque scribendi periisse rationem. Quamobrem si ea recuperanda erat, non potuit aliunde peti, quàm ab iis qui eam retinuissent. Cùm igitur & Moses, & totius vetustatis cùm apud historiographos, tum apud poëtas celebratæ consensus ostendat, primum sermonem in Oriente mansisse, committere non possumus quin fateamur, litterarum vsum iam vnà cum prima lingua in Occidente abolitum, ab Orientalibus fuisse mutuandum. Hoc itaque concesso, quærendum qui primarij eorum fuerint qui in iis locis permanserant, circa quæ & arca consedit, & vitis est inuenta, & prima post diluuium hominum sedes collocata. Vt in coloniis emittendis non ipse summus magistratus ex vrbe sua ad nouam emigrat, sed alios amandat; nec paterfamilias, dum sedes liberis sunt ampliandæ, è domo sua discedit, sed quos visum fuerit aliò emittit habitatum; ita Nochum quoque feciſſe existimare debemus. Contra naturæ ordinem, contra omnem omnis imperij & patriæ

potesta-

Ex litteris Hebraicis in ipsorum idiomate nullam orationem consurgere.

Scribendi prima ratio cum primo sermone vnà periit.

poteſtatis dignitatem ſententiam dixerit, ſi quis non dico aliter faciendum, ſed cogitandum etiam iudicarit: atque idcirco non arbitror pluribus mihi opus eſſe ad id perſuadendum, de quo nemo, qui modò non omnino ſit communis ſenſus expers, dubitare poſſit. Cùm ergo Nochus omnium pater eſſet, atque hoc ſuo iure Rex omnium, & vnà Pontifex maximus, non poſſumus nec naturæ ordini, nec rectis humanæ ſocietatis inſtitutis conſentire; niſi dicamus Nochum in primis ſedibus à ſe occupatis imperantem, eos quos vellet ad alias terras colendas emiſiſſe. Deinde nec venerandum patris ſenium, nec regia toti orbi imperantis maieſtas, nec ſacroſanctũ Pontificis maximi nomen ferebat, vt nullum omnino filiorum ad ſubſidium ſuum apud ſe retineret. Quem igitur dicemus apud eum manſiſſe? Quem alium, quàm eum quem ſacra hiſtoria gratiſſimum ipſi fuiſſe tradit, quemque fauſtiſſimis verbis fratrum ſuorum imperatorem & dominum ipſemet conſecrauit? Commigrantibus ergo duobus fratribus vnà cum ſuis, Nochus & Iapetus ad Nyſam & Bactra remanſerunt, & vicina loca colonis frequentarunt. Interea qui ad Sennaar conceſſerant, & in maximam hominum multitudinem excreuerant, paullatim cœperunt à vera pietate & priſca religione degenerare, & in giganteam viuendi rationem relabi: vti apud eos fieri ſolet qui in Regis & Pontificis abſentia bonos mores & veteres in Deo colendo ritus primùm negligunt, deinde contemnunt, poſtremùm abiiciunt. Hæc autem vitæ licentia & corruptela tam immanes breui fecit progreſſus, vt nihili facientes ea quæ à Nocho patre ſuo & ſacrorum antiſtite acceperant, in tantam proruerint dementiam, vt arcem fabricari moliti ſint, qua ſeſe aduerſus Deum tuerentur, ſi fortè iratus diluuio rurſus terras cooperiret: quod impium ipſorum propoſitum præſenti vltione punitũ eſt ad eum modum, vt primo ſermone ſtatim apud omnes perdito, plures & confuſæ linguæ audirentur, nec alius cum alio loqui poſſet aut communicare. Vnde & religio ipſa magnam mox cladem accepit, abolita nimirum ea lingua è qua diuina nomina & ſollennes precum formulæ petendæ fuiſſent. Nochus tanta ſuorum clade & diuini cultus iactura audita, nihil ſibi prius duxit, quàm vt quamprimùm rebus lapſis ſuccurreret; atque, quoad eius fieri poſſet, religionem & bonos mores inſtauraret: quod cùm citra præſentiam ſuam fieri non poſſe cerneret, coactus eſt de noua peregrinatione cogitare, & regiam ſuam Nyſam, primam poſt diluuium vrbem, nepotibus ſuis committere gubernandam. Quia verò iam admodum ſenex eſſet, nec tot laboribus par futurus; nec æquum videretur ſummum monarcham, & eundem Pontificem maximum, citra inſignem aliquem adiutorem & miniſtrum tantam ſuſcipere expeditionem, tantaſque aggredi moleſtias, Iapetum filium ſuum cariſſimum Archidiaconum ſibi ſumſit; cuius nimirum tum ſuaui conuictu ſuam recrearet ſenectutem, & animi ægritudinem, quam ex noua ſuorum clade acceperat, ſolaretur, tum fido miniſterio deuios Semigenas & Chamigenas, & ſi qui, vt veriſimile eſt, ex Ianigenis vnà fuiſſent; ad rectam religionis doctrinam reuocaret, ac denuò litterarum vſum, quem perdiderant, doceret. Et oportebat alioqui Iapetum ſedulò curare, vt quos in minore Aſia vicinos eſſet habiturus, eos veris de Deo opinionibus imbueret, ac ſi quid in iis corruptũ inueniret, id diligentia ſua emendaret, ne mala viciniæ contagione tandem etiam ſui corriperentur. Deinde tempus iam erat vt iter in Europam pararet, terram ſibi de patris voluntate contributã, in qua diuino inſtinctu acceperat, completum iri eam quam pater conſecratione ſua promiſerat, poſterorum felicitatem. Sic igitur Nochus & Iapetus iter inſtituunt, vt ex Oriente Occidentem verſus pergant; atque ille quidem Epiſcopi partibus fungens ſacros ritus & cærimonias inſtituit, & qui ſacris operandũ eſſet exemplo ſuo cõmonſtrat. Verùm quia non intelligebãtur à Babyloniis, cogebantur Chaldaicum & Hebraicum ſermonem ediſcere: cuius facultatem aſſecuti, veram priſcæ religionis doctrinã, quam Sethini ab Adamo vſq. per manus acceperant, tradunt. Quò autem ea ad poſterorum quoque memoriam pertineret, Iapetus eos vetuſtos docuit characteres, eosque iiſdem nominibus nuncupauit, quibus in primo ſermone & olim ante cataclyſmum fuerant vocati, & adhuc apud Bactrianos & Margianos & ceteros Iapeti filios vocabantur. Hinc itaque vetus ille de Cadmo ſermo: quo nomine Iapetum, quòd ex oriente ad ipſos veniſſet, appellarunt occidentales; eiúſque patrem Agenorem dixerunt, eo quòd ampliſſimus crater lucis eſſet; quippe is qui non ſolùm primus crateras meri hominibus propinaſſet,

Nochi poſt diluuiũ ſedes.

Linguarum confuſionis occaſio.

Nochus & Iapetus ex Oriente in Occidentem proficiſcuntur.

Iapetus Cadmi, Nochus Agenoris nominibus appellati.

propinaſſet, verùm etiam lucem omnis religionis, omnium ſcientiarum, omnium artium magno cratêre largiter omnibus effudiſſet. Fingitur autem Agenor Phœniciæ Rex, eo quòd illic diu conſederit, quò medius eſſet inter minorem Aſiam & Semi & Chami regiones, ad quas Iapetus docendi cauſſa ſæpius excurrebat. Hinc Damaſcus nomen accepit, eo quòd illic Nochus totius ſanguinis ſui procurator & gubernator diu moratus fuiſſet. Neque enim alio nomine aliàue cauſſa hanc ſibi ſedem delegerat, quàm vt ad eam ceu commodiſſimam omnes ſuos filios & nepotes verum ſuum ſanguinem conuocaret, comitiaque ad remp. totius orbis conſtituendam haberet, omniumque regionum habitatarum religionem & ſalutem procuraret. Eſt autem hæc phraſis qua ſanguis pro cognatis ponitur, linguæ noſtræ vernacula: atque inde coniicio ipſum Nochum ſermonis iam Phœnicum peritum, Damaſci nomen vrbi indidiſſe; quò intelligerent omnes eiuſdem linguæ homines in ea Nochum tamquam in puppi clauum gubernaculi tenuiſſe, quo totius orbis velut vna nauis in vaſto & procelloſo opinionum oceano dirigeretur. Eſt itaque Damaſcus compoſita dictio ex דם, quo ſanguis notatur, & משק, qua voce procuratio & procurator dicitur. Poteſt tamen eadem vox Cimbricam habere interpretationem, & eam quidem perquàm conuenientem Hebræorum ſcripturæ. Si enim דמשק ſic efferas, vt idem ſonet quod D'om-ſtic/ nihil aliud in veterum Nyſæorum lingua ſignificaueris, quàm bonam domus diſpoſitionem; propterea quòd Stic idem ſit quod ordino; D'om verò conciſum ſit ex articulo De & Dom/quo domus notatur; quam vocem Britanni hactenus ſeruant ab hui-om, id eſt, vndique cuſtodio & tueor. Hinc veriſimile fit משק pro gubernatore originem e prima lingua duxiſſe, atque ſic dici, quaſi Me-ſtic nobis eſſet; quo is vocabitur qui in rebus ordinandis cuipiam ſocius eſt & adiutor. Verùm id minimè prætereundum, vrbem priùs דרמשק dictam fuiſſe, quo ad verbum notatur D'arme-ſtic / id eſt miſerorum ordinatio; quoniam nimirum illic Nochus miſeros ſuos filios & nepotes in ordinem redegit, & confuſam ipſorum cum remp. tum religionem iuſta via & ratione diſpoſuit. Græci quidam Damaſci nomen viri cuiuſpiam fuiſſe credunt, qui vites à Baccho ſub Libano conſitas ſecuri exciderit: ob quod ſcelus cùm à Baccho excoriatus fuiſſet, pro Damaſco dictus fuerit Darmaſcus; quaſi vter excoriatus vocaretur. Alij aliter; inter quos quidam Aſcum Gigantem Lycurgi ſocium fuiſſe fabulantur, & ab eo Bacchum ligatum, atque in flumen præcipitatum fuiſſe: mox Dionyſium quidem à Mercurio liberatum, Aſcum verò excoriatum, pellem ſuam vtri conficiendo, quo vinum ſeruaretur, reliquiſſe. Videmus hîc obſcura quædam antiquitatis veſtigia Nochum nobis ſub Bacchi nomine indicantia: è quibus probabile redditur Nochum vrbis fuiſſe conditorem, & in ea giganteam & confuſam miſerorum hominum vitam legibus & inſtitutis diſpoſuiſſe atque formaſſe. Atque hoc illud eſt quod de Dionyſio & Gigante fabulantur. Vocatur autem & Hermes in partes, eo quòd Nochus & Ianus vetera nomina iis qui Babylonicæ interfuerant confuſioni, coacti ſint interpretari. Quamuis itaque Darmaſcus principiò vrbs nominaretur, melioris tamen ominis cauſſa vox ad eum modum eſt commutata, vt Hebræis quidem ſanguinis ordinationem; Nyſæis verò domus diſpoſitionem deſignaret. Porrò hæc probabiliora redduntur Nyſæ & Scythopolis vicinia: quarum illa clariſſimè clamat, ſe à Nyſa Indoſcythica ſiue Merica nomen accepiſſe; hæc verò, quamuis Græcam habeat nomenclaturam, oſtendit tamen Scythas primos ſuos indigenas fuiſſe. Quos verò alios in ea Scythas habitaſſe ſuſpicemur, quàm eos à quibus prima poſt diluuium ætas Scythiſmi nomen accepit? quod ita eſſe licet nec de nomine, nec aliunde, ex ipſa tamen Nyſa doceretur. Dicitur enim Scythopolis in Nyſa regione Syriæ condita fuiſſe, ita vt regio Nyſam antiquiorem, vrbs primos Scythiæ habitatores memoriæ ſuggerat. Plinius à Libero patre Scythopolim conditam, & eò Scythas deductos docet; nomen verò Nyſæ de nutrice ipſius datum fuiſſe. Quæ verò Nyſa nutrix Bacchi fuit? Ea nempe quæ in Mero Liberum patrem vitigineo ſuo liquore ſuauiter lactauit. Prodidit Stephanus, Scythopolitanos olim Bæſos vocatos fuiſſe: quod nomen vt nec ab ipſo nec ab alio eſt intellectum, ita nobis perſpicuam habet interpretationem. Hactenus enim Baes pro eo ponitur qui toti domui præeſt, ab alimentis ſuppeditandis nomen adeptus, & Baes quaſi Bie-aes vocatus, id eſt, præbens nutrimentum. Nochus ergo & Ianus & eorum ſocij Bæſos ſe vocarunt, propterea quòd in regione illa non ob

Agenor cur Phœniciæ rex fingatur.

Damaſcus vnde nomen acceperit.

Damaſci etymon.

Stic.

Dom.

Aſcus gigas.

Nochus Bacchi nomine intelligitur.

Scythopolis in Nyſa regione.

Nyſa Liberi patris nutrix.

Bæſi nomen vnde Scythopolitanis impoſitum.

Baes.

aliam

aliam caussam commorarentur, quàm vt misero populo alimenta præberent; non illa quidem corporum, sed animorum; quæ verum hominum pabulum vocari merentur. Quis modò tam læuo ingenio erit, quis tam obstinata probabilibus repugnandi pertinacia, vt nec ex Nysa, nec ex Bæsis, nec ex Scythis, nec ex Damasco, nec ex omnium horum consensu sibi persuaderi sinat, Nochum, quem Liberum patrem vocant Latini, in illis locis quondam consedisse, & has vrbes sui reliquisse monumenta? Primus ergo huius partis Syriæ conditor quam Phœniciam plerique veterum nominarunt, tametsi frequentius id nomen maritimo tractui detur, Nochus dicetur fuisse; quem Syra lingua Agenorem idcirco vocauit, quòd se fecundissimum præbuerit omnis lucis craterem. Huius igitur filius Iapetus litterarum tum figuras tum nomina Phœnicibus tradidit, quem Cadmum vocarunt; & quia ex oriente cum patre venisset, & vt perpetuò posteri recordarentur, litterarum & nomina & figuras ex Nysa Scythica originem habuisse. Tacitus Phœnices litterarum figuras aliunde quidem accepisse scribit; sed dum ab Ægyptiis eas petit, ex diametro cum veritate pugnat. Eadem enim ratione Iapetum Cadmum Phœnices nominarunt, qua Ægyptij fabulam de Bec confinxerunt; propterea quòd, vt Bec ostendit vnde panis doctrina ad Ægyptios venerit sacerdotes; ita Cadmi nomen docet ab Orientali homine in Babyloniam & Syriam litterarum venisse & nomina & figuras. Postquam verò Iapetus satis diu Phœnices docuisset, iussus est à patre suo in Europam nauigare, quæ filia Agenoris fingitur, quia eam præ ceteris terris maximè videtur adamasse: quod satis declarauit, dum ad eam quærendam carissimum suum filium amandaret. Memini alibi Europæ nomen sic me interpretatum esse, vt perfectam hominum multitudinem indicare dicerem: hîc addam non hanc modò, sed aliam etiam in hoc nomine succurrere notionem, quam intelliges, si ea quæ de Francorum insignibus scripsi consulas: in quibus ostendi hoc nomine maximum mysterium humanæ salutis denotari. Esse enim vocem in E-ur-hop soluendam, atque sic interpretandam, vt vnionis & connubij excellens spes denotetur. Non caret ergo magna ratione quòd Europa Agenoris siue Nochi filia dicatur. Spes enim vnionis, qua Ianigenæ erant per Christianam fidem Deo rursus copulandi, è Nocho, tamquam diuino magistro & propheta altissimi, nata erat; idque tum cùm in consecratione Iapeti indicaret, aliquando fore vt in tabernaculis Sem habitaret, & Chanaan seruus eius esset. Iussit ergo Agenor vt Cadmus Europam quæreret, vel alioqui exsulij pœnam subiret. Et certè exsulaturus erat, nisi Europam, siue præstantem vnionis spem, inuenisset: nec vulgari quidem exsulio, vt eo quo è patria cælesti excluderetur. Iapetus igitur Cadmus est, id est, orientalis apud Phœnices litterarũ doctor: qui vt priùs eas Damasci & in Phœnicia & locis vicinis ostendit; ita mox inde easdem in Europam quoque portauit. Hinc vetus fama, Phœnices primos esse litterarum inuentores; quòd nimirum post Babylonicam confusionem Iapetus eas in Syrophœnicia primùm tradidisset. Hinc modò liquet, Cadmum litteras multò antè inuentas primùm in Syria & Phœnicia docuisse, sed ei minimè deberi primam earum inuentionem.

Phœniciæ primus conditor Nochus.

Europa cur Agenoris filia.

Europa etymon.

Iapetus in Europam à Nocho destinatus ibidem litteras docuit.

RVRSVS igitur alia via quæstionem aggressi, inuestigemus quis tandem princeps fuerit huius tam illustris ornamenti, quo scientiarum omnium & artium atque adeò ipsius religionis memoria conseruatur. Hîc ea nobis via tenenda, qua de rerum priscarum veritate vetustissimus quisque sententiam rogatur: quam solam rectam esse Socrates, cuius paullò pòst verba recitabo, clara voce confitetur. Si nobis dubias obscurorum hominum & nullis idoneis testibus nixas opiniones in medium adferre placuisset, facillimè docuissemus, litterarum vsum ante diluuium fuisse. Scribit enim Iosepus ex suorum hominum, ni fallor, traditione, duas ante diluuium à Sethinis columnas erectas fuisse; alteram lateritiam, ne igne dissiliret; alteram lapideam, ne aquis corrumperetur: quarum vtrique Astronomiam inscripserunt. Accepisse enim eos ab Adamo geminam totius orbis euersionem futuram; alteram per vim ignis, alteram per vastam aquarum inundationem; & idcirco cauisse, vt vtrouis modo mundus periret, cælestium saltem motionum doctrina superesset. Egregium sanè commentum; sed tale tamen, vt nemo mihi Iudæorum sit persuasurus. Dignam scilicet piis viris curam audimus, dum magna sollicitudine hoc agitur, ne astrorum cursus vlla vmquam obliuione perdatur; quo nihil est quod suiipsius cognitionem faciliùs & certiùs queat tueri. Si bene res omnes expen-

Astronomiã duabus colũnis ante diluuium in scriptam falsò à Iosepho tradi.

expendiſſent, hac cura Soli & Lunæ, qui ceterorum ſiderum reuerſiones metiuntur, relicta, hoc omni ſtudio contendere debuiſſent, ne oracula de generis humani per Chriſtum ſalute apud poſteros ignorarentur. Diluuium autem futurum legimus Nocho primùm fuiſſe à Deo reuelatum; & eius ſcriptoris qui hoc prodidit, tanti facimus auctoritatem, vt eos qui diuerſa tradunt, aut nihili aut minoris nihilo æſtimemus. Bene igitur valeat Ioſepus cum ſuis columnis: nos interim Moſem ſequamur, ne tam ſiniſtram de Sethinorum piis animis concipiamus opinionem, vt maiorem Aſtrologiæ quàm religionis & vaticiniorum à maioribus editorum rationem atque curam eos habuiſſe dicamus. Porrò quæ de prophetia Enoch D. Iudas citat, ea poterant per manus primùm à maioribus accepta, & multo poſt à quopiam litteris tradita fuiſſe: tametſi ſciam & ea inter apocrypha numerari, atque idcirco minùs idonea eſſe ad fidem dubiis & controuerſis rebus faciendam. Ante cataclyſmum igitur nullam inuenio firmam ſacræ ſcripturæ teſtificationem, qua ſcribendi tum rationem exſtitiſſe conſtet. Poſt diluuium deprehendo Iacob & Laban lapides erexiſſe, quibus fœdus inter eos initum inſcriptum fuiſſe vix dubitare poſſum. Iam idem Iacob titulum ſcribitur erexiſſe in loco in quo Deus eum fuerat allocutus; qui niſi aliquam habuerit inſcriptionem, haud video quis eius vſus eſſe potuerit ad memoriæ omnino vllius perennitatẽ. Qui Moſi hanc laudem adſcripſerunt, longiſſimè mihi videntur aberraſſe; cùm ſacris litteris proditum habeamus, eum omni ſcientia Ægyptiorum eruditum fuiſſe, atque inde veriſimile reddatur, Ægyptiis litteras multo prius fuiſſe vſitatas: idque eo credibilius ſit, quòd Hieroglyphicorum antiquitas omnem omnium ſcriptorum memoriam longiſſimè excedat. Cui verò præclarum hoc munus vti primo datori acceptũ ferant Ægyptij, Plato indicauit; aiens apud eos Theut primum haberi litterarum inuentorem; & non litterarum tantùm, ſed arithmetices etiam & omnium aliarum diſciplinarum. Quis autem Theut, ſiue Thot, vt alij ſcribunt, fuerit, de vetuſtiſſima Philonis Biblij narratione, è Sanchuniathone Berytio antiquiſſimo Phœnicum ſcriptore ſumpta, perſpicuum fiet. Is enim quem Græci Hermen vocant, apud Phœnices Taantum, apud Alexandrinos Thoot, apud Ægyptios ceteros Thoyt dicit nũcupari; addens hunc litterarum eſſe inuentorẽ. Vixit autem hic Sanchuniathon, teſte Malcho Phœnice, non multò poſt Moſen; ea ætate qua Semiramidẽ quidam regnaſſe ſcribunt, qui ſuam de mundi exordio opinionẽ ex ipſius Taanti doctrina cõfirmat, aiens eum Saturni ſcribam fuiſſe. Cicero item tertio De natura Deorum Mercurium apud Ægyptios Thoyt vocari aſſerit, eique primum anni menſem ſub eodem nomine dedicari. Nos licet quis Thoot ſit, & cur ſic vocetur, in Gallicis noſtris ſatis declarauerimus; hîc tamẽ id breuiter repetere cogimur. Thoot tam perſpicuæ apud noſtrates & indubitatæ eſt notationis, vt nemo ſit qui non ſtatim intelligat ipſum caput eo deſignari. Cùm igitur Thoot dicimus, non adiicientes de cuius capite loquamur, meritò mentẽ attollimus ad ipſum caput totius vniuerſitatis: quod niſi faceremus, à Grammaticorum & Sophiſtarum pueris non iniuria rideremur; qui mox in ipſis litterarum initiis à magiſtris ſuis Exoches figuram docentur. In noſtro ſermone ea viget hactenus loquendi conſuetudo, vt cuiuſuis ordinis & corporis ſupremũ Hootman vocemus: quod ſi Latinè capitalem virum verteres, inſolentem faceres & abſurdum ſermonem. Qui rerum ſigillatim ſuis vocibus exprimendarum quàm Ciceronianicæ dictionis ſunt ſtudioſiores, Capitanei nomen receperunt: qua voce ſi noſtrates ad phraſim ſuam vernaculam exteris hominibus explicandam aliquando vtantur, minimè accuſandi videntur. Scimus principes dici poſſe, ſed ea vox capitis vim non exprimit; nec illud deſignat imperium quod capiti eſt in cetera membra, nec itidem eam obedientiam qua omnia membra reliqua capiti promptiſſimè parere cernuntur. Hanc tam inſignem & luculentam ſignificandi efficacitatem totam videbis perire, ſi capitis omittas mentionem: & profectò fruſtra aliud vocabulum quæras quo breuiùs, quo clariùs, quo copioſiùs & ſupremi magiſtratus & eorum qui magiſtratui ſubſunt officium ob oculos ponas. Sed hæc non curat Ciceronianus Hippoclides, qui pulcerrimarum paſſim rerum iacturam facere mauult, quàm voculam aliquam admittere, qua M. Tullius non ſit vſus. Quemadmodum igitur Hootman capitaneum virum ſignificat, ita Thoot ſolum pronuntiatum ipſum caput ſignificat; non alicuius quidem viri aut ciuitatis aut exercitus aut alterius corporis, ſed ipſum, inquam, caput vniuerſorum. Thoot autem compoſita dictio eſt ex articulo

Ægyptij Theut primũ litterarum inuentorem putauerunt.

Theut quis fuerit Ægyptiis.

Hermes.

Taantus.

Thoyt.

Sanchuniathõ Berytius, antiquiſſ. Phœnicũ ſcriptor.

Thoot.

Hootman.

Capitaneus.

Het & Hoot/è quibus de more noſtrati Thoot formatur,vt ipſum caput denotetur. Quòd ſi iam velimus ipſas antiquiſſimas Mercurij ſtatuas ſiue hieroglyphica ſimulacra cum vocali ſymbolo conferre, deprehendemus adamuſſim hæc ad illa quadrare, nec aliam per ipſum nomen auribus vſurpatum, aliam per aſpectabile ſignum notionem repræſentari. Et hæc quidem vera eſt norma ad quam ſacra veterum ſimulacra ſiue hieroglyphicæ notæ ſunt examinandæ: & rurſus ea vera eſt nominum interpretatio, quæ vetuſtiſſimis ſacrorũ reſpondet figuris. Si enim nomina ſymbola ſint,neceſſe eſt vt cum ipſis adſpectabilibus imaginibus conſentiant, & illud exprimat nomen quod figura demonſtrat. Hoc igitur ſit nobis omnium hieroglyphicorum principium & ſolidum fundamentũ,cui omnia noſtra quę de id genus imaginibus trademus,innitentur. Quamobrẽ ſi Thoot ipſum caput ſignificet,ſitque hoc Cimmeriũ Mercurij nomen,atque huic conueniens fingẽda ſit ſiue ſtatua ſiue pictura ſiue ſcalptura, eandem oportet nobis proponamus notionem quam nomen indicauit. Quales olim Hermæ fuerint (ſic enim vetuſtiſſimas Mercurij ſtatuas nominabant) neminem puto latere eorum qui vel à limine veteris mythologiæ ſtudium ſalutarunt;nec ij qui in vetuſtis Romanorum monumentis inquirendis verſati ſunt, terminorũ formam ignorare poſſunt:quam dum vident, Hermas ſe videre credant. Macrobius etiam auctor eſt, pleraque Mercurij ſimulacra quadrato ſtatu figurari ſolere, ſolo capite inſignita: quam formam quis non videt eſſe terminorum? Phornutus præterea quadratas ſtatuas ſine manibus & pedibus Mercurio tribuit:cuius tamen figuræ cauſſam non prorſus eſt aſſecutus. Et hæc quidem fuit antiquiſſima Mercurij forma;cui pòſt Athenienſes,teſte Herodoto,erecta faſcina adiecerunt,ritu eo accepto à Pelaſgis: cuius cauſſam in Gallicis meis habes explicatam. Nunc igitur ſi huic columnæ quadratæ,ſolo capite ſupernè inſignitæ,Cimmerium nomen dandum ſit,an non rectiſſimè Thoot vocabitur,id eſt,ipſum caput? Viden' quàm vocale ſymbolum cum ſtatua quadret,quamque aptè eandem vtrumq. ſignum exprimat notionem? Cùm ergo in vetuſtiſſimo Mercurij tum nomine tum ſimulacro caput agnoſcamus, quærendum vlteriùs, cui vel homini vel Deo hoc ſignum fuerit à priſcis conſecratum; aut quid tandẽ hoc figmentum, cui nec pedes eſſent nec manus,denotarit. Hoc,ſi Cimmerio ſermoni credamus,obſcurum eſſe non poteſt; cùm per ipſum caput aliud intelligere nequeamus quàm totius vniuerſitatis Imperatorem, cui ad vnam omnes totius & adſpectabilis & nõ adſpectabilis mundi partes,quales quales tandem ſunt,perinde atque capiti ſuo debent obedire. Erant igitur Hermæ ipſius Dei ſimulacra & hieroglyphica ſigna, quibus principiò graues ſententiæ & vtilia vitæ præcepta incidebantur; vt qui legerent, ſtatim de figura capitis cognoſcerent, eorũ veritatem ab ipſo Deo pendere,& non aliter accipienda eſſe quàm ſi à ſummo totius vniuerſitatis capite fuiſſent pronuntiata. Hinc Hipparchus plurimos Hermas, teſte Platone & aliis, Athenis erexit, quibus ea inſcripſit,quæ putaret maximè facere ad communem hominum ſalutem. Horum quanta fuerit reuerentia, eo maximè tempore, declaratum eſt; cùm capita eorum deiecta magnum periculum plurimis pepererunt,& non Alcibiadem tantùm,ſed complures etiam alios miſerè vexarunt. Primus ergo & antiquiſſimus Hermarum vſus fuit, vt iis graues ſalutaréſque ſententiæ inſcriberentur,& præterea quicquid in vllo diſciplinarum genere ab ipſo Deo proficiſci videretur; atque idcirco in triuiis atque quadriuiis & aliis locis plurimùm frequentatis erigebantur,quo publicè quæ diuina eſſet voluntas,omnes monerentur. Sicut autẽ apud Ægyptios à capite nomen acceperunt;ita apud Græcos Hermæ dicti ſunt ab hac publica admonitione, quoniam nimirum Herman idem ſit in ſermone Cimmerio, quod publicè moneo; ſicut Herban publica via eſt, & Hertog communitatis dux. Latini Mercurij nomen ex eadem lingua ſeruarunt,quo conſiderationis excellentia denotatur: & huic nomini alæ petaſi reſpondent, quibus cogitandi celeritas indicatur. Deus ergo ſic conſideratus vt caput eſt omnium,Thoot;vt omnes publicè monet,Herman;vt & ipſe ſui ipſius præſtantiſſimus contemplator,& ceteris contemplationis excellẽtiam largitur, Mercurius nuncupatur. Hîc non otioſè animaduertas oportet,tria vetuſtiſſima Dei nomina noſtratia eſſe,nec eorum vllum abillis gentibus à quibus vſurpatur,ad originem vocari poſſe. Nec enim Ægyptij quid Thoot ſignificet intelligunt,nec Græci vocis Hermæ rationem inuenire domi ſuæ poſſunt, nec Latini Mercurij nomen rectè interpretabuntur. Quamuis enim Mercurium à mercibus,quibus præſit,Romani

Hieroglyphicarum notarum explicandarum recta ratio.

Mercurij ſtatuæ ſiue Hermæ quales olim fuerint.

Herma quid ſignificent.

Hipparchus Athenis plures Hermas erexit.

Hermarum primus et antiquiſſimus vſus.

Herma notatio.
Herman.
Herban.
Hertog.

Deus quibus rationibus Thoot, Herman & Mercurius nominetur.

Mercurij etymon.

dici existiment; earum tamen terminis minimè circumscribitur amplum huius Dei regnum: quod, tantum abest vt sordibus mercatorum finiatur, vt ne tota quidem terræ latitudine contineatur; sed maximam suam potestatem per omnes cælos & corũ exercitus, per ipsos etiam Manes & obscura Tartara extendat: ad quæ omnia & horum singula, non viles hominum merces, at præstantissima volucris mentis consideratio, quam

Mercur. *Merx, mercis.*

Mercur nobis significat, pertingit. Quid? quòd & Mercis nomen nostratis est originis, vt in Gallicis copiosè declaraui. Græci Herman dici putant quod sit interpres: verùm in hac etymologia cancri modo procedunt, propterea quòd ab Herma ἑρμηνεύεσθαι, non contrà, deriuetur. Verùm vt hoc hysteron proteron illi demus, ex eo tamẽ minimè efficiẽt, vt rationem verbi ἑρμηνεύεσθαι è domesticis suis copiis assignare possint. Nos scimus Herman illud vocari quod publicam rei cuiuspiam habet monitionem: quo fit, vt Deus admirabili ingentium & stupendorum operum suorum spectaculo homines diuinæ prouidentiæ & maiestatis commonefaciens, Herman tanto priùs sit vocandus, quanto hæc monitio ceteris omnibus antecellit. Alia verò inferiora tantum habent rationis, vt ad nominis admittantur communionem, quantum virium habent ad res quaspiam vtiles & salutares publicè monendas. Hinc quia sermo inter homines communis est eorum monitor quæ cogitantur, factum est, vt is maxime in Hermæ præsidio esse atque tutela putaretur: qua de re factum, vt ἑρμηνεύειν pro sermocinari, & quæ obscura sunt interpretari, in vsum Græcorũ veniret. Num quicquam hîc Græcus habet quod opponat? num aliam potest verbi originem explicare? Si quid habet, in medium afferat: sin nihil inuenit, fateatur necesse est, (nisi Platonem deserere velit,) hoc verbum peregrinos habere natales. Videmus itaque non Ægyptios tantùm, sed Græcos etiam & Latinos primo litterarum & ceterarum artium liberalium inuentori ac datori nomen de nostro sermone mutuatos esse; idque tam olim, vt nihil prius aut antiquius commemorare possint. Phœnices ex Thoot / Taaut fecerunt, dum quid nomine denotaretur ignorarent; nisi fortasse Philonis Biblij liber fuerit corruptus: & ceteroqui nihil miri, ignotæ originis vocem ab hominibus eam non intelligentibus corrumpi, & semel vitio cuiuspiam corruptam, perpetuò deinde corruptam manere. Videamus nunc an Hebræi quoque, qui Ægyptiis & Phœnicibus medij sunt, aliquam etiam habeant Mercurij notitiam. Scio Prouerbiorum capite vicesimo sexto scriptũ esse: *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij; ita qui insipienti tribuit honorem:* quo loco pro aceruo Mercurij Hebræi legunt Marguma, quæ vox pluribus plurimum negotij fecit; & mirum est quàm frigida & ridicula quidam de ipsa somniarint. Equidem de illorum controuersia sic colligo, peregrinam ipsis vocem esse, & idcirco me nihil mirari, magnas de illius interpretatione lites exstitisse. Illos laudo, qui Mercurij aceruum verterunt. Solent enim apud priscos in viis lapidum cumuli congeri, ad iter viatori demonstrãdum: quibus ij qui præteribant & eorum beneficio de recto itinere tenendo moniti essent, lapidem adiicere, quò paulatim aceruus viæ monitor augeretur. Hunc igitur Marr-man vetustissimi nuncuparunt; quod ad verbum redditum designat limitis monitorem, vel monitorem qui diligenter sit considerandus, vel eum qui monet vt accuratè quippiam contemplemur. Marr enim dum verbũ est, idem notat quod diligenter attendo: at dum nomen est, quoduis signum generatim significat, & peculiari notatione pro quouis limite vsurpatur. Ex Marr-man quàm facilè Marguma factum sit quiuis facilè cernet. Dicit ergo Salomon, eum qui insipienti tribuit honorem, non plus gratiæ apud eum inire, quàm is init qui lapidem in aceruum mittat Mercurij, quid accipiat nihil prorsus intelligentem. Sunt hactenus in Hispania id genus acerui quamplurimi; quorum non paucos vidi dum ex Augusta Emerita Guadalupam proficiscerer. Quamuis igitur Marr-man & ab Herma & à Mercurio differre videatur, re tamen & nomine sic conuenit, vt priorem syllabam eandem habeat cum Mercurio; posteriorem eandẽ cum posteriore in voce Herman. Marr enim & Merr nullo apud nos significationis discrimine pro diligenter attentéque considerare ponuntur. Vnde Marci prænomen apud Romanos è vetere Cimmeriorum lingua remansit; cuius originem ridiculam & ineptam Grammatici dederunt. Is igitur qui nos commonefacit vt accuratè in re quapiam expendenda considerandáque versemur, Marrman dici potest: nec minùs is qui nobis limitem designat; quorum vtrumque iuxtà Hermarum proprium fuit munus. Quamobrem non malè acerui viarum indices Marcomani

Sermo cur in Herma tutela. *ἑρμηνεύειν.*

Mercurij apud Hebræos notitia.

Marguma.

Lapidum cumuli in viis à viatoribus cõ geri soliti.

Marrman.

Marr.

Merr.

Marcus.

Marcomani.

dicti

dicti sunt: in quo tamen quisquam fortè quæret, an Marcomani vetus Germaniæ populus nomen habeant eiusdem significationis. Aliud apud nos Man vocali breui, aliud vocali longa designat: per breuem quidem elatum, virum denotat; per longam idem est quod moneo; ita vt Marcoman vocali breui virum limitaneum denotet: quo sanè modo dum populo tribuitur, est & pronuntiandum & exponendum, eo quòd is orientalem Germaniæ limitem quondam teneret, & ab eo nomen sortitus esset. Marcoman verò postremam syllabam producens, id notat quod modò explicatũ; è quo Marguma siue Margoma Hebræi fecerunt. Sed nimium diu his immoramur, cùm eadem à nobis alibi satis prolixè tradita sint; vbi quid Man/ quid conuersum Man significet, vnà cum iis quæ annexa sunt, exposui. Fuit tamen hæc vocum interpretatio necessariò mihi in memoriam vocanda, vt ex ea tandem liqueret, cui litterarum omniumq. artium liberalium inuentio ab antiquissimis fuerit attributa. Quando nemo nescit, vocem nullius alterius appendice ad certum quiddam denotandũ coarctatam, pro eo accipiendam esse, quod sit præstantissimum eorum quibus applicari posset; expendamus penes quem sit summa contemplationis excellentia, quę Mercurij nomine denotatur. Si hîc Aristotelem rogemus, dicet summam & perfectissimam contemplationẽ esse ipsius Dei seipsum contemplantis, & æterna sui contemplatione gaudentis. Rursus si quæras, quis sit excellentissimus totius mundanæ communitatis monitor Derman vocatus, confestim inuenies Deum esse; qui, vt modò dixi, admirabili cælorum & elementorum omnium machina, & eorum quæ illa complectitur, omnes publicè monet, non solùm se Deum solum esse, & solum adorandum; sed præterea sic nobis eius voluntatem sequendam, vt in cælis eam perpetua obedientia obseruari videmus. Porrò cùm iam Thoot audis, an non mox supremum caput intelligis, vnaque intelligis, eius imperio tibi sic esse obsequendum, vti membra corporis nostri capiti suo obtemperare cernimus? Cùm igitur in his nihil amplius dubij sit, nec aliter res queat supputari, necessariò cogemur fateri, primam litterarum scientiarumq. inuentionem Deo fuisse attributam: ab illis, inquam, qui horum nominum quæ exposuimus auctores fuerunt. Operæ pretium fuerit hoc loco Platonis è Philebo verba audire, vbi rectam & numquam fallentem ad sapientiam viam quærit. Non tamen est, Socrates inquit, præstantior via, neque esse poterit, quàm ea est cuius ego semper amator sum, sed quæ iam sæpe mihi fuga elapsa dubium me ac consilij inopem constituit ac reliquit. Protarchus: Quæ est hæc, dicatur solum modo? Socr. Quam indicare quidem non admodum difficile est; vti verò longè difficillimum. Omnia enim quæ arti innituntur & vmquam inuenta sunt, per hanc manifesta facta sunt. Considera quæ dico. Protarc. Dic tantùm. Socr. Deorum in homines donum, vt mihi videtur, alicunde ex Diis demissum est per quendam Prometheum, vnà cum lucidissimo quodam igne. Et veteres quidem nobis præstantiores, & Diis propiùs habitantes. Hæc Plato Cornarij verbis; quæ deinde vetustæ idearum traditioni accommodat. Cernísne hîc, eam Socratis fuisse sententiam, omnem scientiam à Deo ad homines tamquam clarissimum donum venisse, & aliquem omnino primum fuisse, quem Deus scientiarum artiumque thesauris locupletarit; atque tanto antiquiores esse præstantiores, quanto primæ artiũ traditioni sunt propinquiores? Illud igitur nobis tenendum, vetustissimos minimè cuipiam mortalium, sed ipsi Deo litterarum inuentionem adscripsisse. Hinc quicquid vmquam rerum sacrarum & ad reip. salutem tendentium litteris traditum fuit, id ad Thoot siue ad Hermen, siue ad Mercurium fuit relatum; quem idcirco Trismegistum vocarunt, vt Deum vnum & trinum intelligeremus: quod dum simulacro aspectabili ob oculos ponere vellent, vni quadratæ pilæ tria capita imponebant, clarissimo indicio demonstrantes, se nulli mortalium, sed soli Deo ter maximo hanc statuam collocare. Et hæc quidem fuit eorum sententia qui nominum & symbolorum primi fuerunt architecti. Verùm posteriores nomina quidem & simulacra à priscis accepta retinuerunt; sed paulatim ad eam tandem delapsi sunt ignorantiam, vt nec voces quidem ipsas intelligerent; atque inde plebeio more de illis cogitantes, hæc nomina hominis alicuius propria fuisse putarẽt: vnde mox omnium errorum de Mercurio Trismegisto seminarium; de quo ridiculas admodum & aniles fabellas gentes omnes prodiderunt; inter quas & illa est quam Plato commemorat; Venisse videlicet ipsum Thoot ad Thamum Ægypti Regem, & ei cùm alias artes, tum scribendi rationem demonstrasse: quam, quia nota est in vulgus, & in libris Platonis

Man.

Litterarum scientiarumq; prima inuentio Deo tributa.

Trismegistus, eiúsq. statua.

cognoſci poteſt, nos miſſam faciemus. Nec verò Ægyptij tantùm de ſuo Thoot, vt de homine quopiam, multa commenti ſunt, quæ ab ipſis ad Græcos manarunt; ſed Phœnices etiam; adeò vt ante Troiam captam Sanchuniathon Taantum ſuum hominem fuiſſe ſcripſerit, & eum quidem Saturno à manibus, & tandem Ægypti Regem: cui nimirum litterarum & ſapientiæ omnis inuentio deberetur. Quid? quod eò hæc mendacia proceſſerunt, vt quo tempore Mercurius hic vixerit, in Chronica commentaria relatum ſit, vti licet apud Euſebium videre. Reiectis igitur ſtolidis his ineptiis, quæ pariter vetuſtiſſimis & nominibus & ſimulacris ipſius Thoot repugnant, Deo ter maximo munera ſua pro eo ac debemus feramus accepta; & ingenuè confiteamur, à Spiritu ſancto, omnis præſtantis contemplationis, omnis ſalutaris monitionis, omnis denique inuentionis ad veram vitam fructum aliquem adferentis principe & capite ſupremo, litteras homini primò traditas fuiſſe; nec litteras tantùm, ſed omnium etiam aliarum rerum, hominum ſaluti vel vtilium vel neceſſariarum, eruditionem. Imitemur etiam hac parte antiquiſſimorum hominum modeſtiam, nec quicquam nobis eorum arrogemus quæ nobis diuina Spiritus ſancti gratia dictauit; ſed ex aſſe omnis eum bonæ ſanctæque doctrinæ & principem & Regem dicamus: tametſi ea nonnumquam per impuros canales & ſordidas clepſydras fluere cernatur. Veniat in mentem Balaam: quid Balaam? de aſino eius cogitemus: recordemur Caiphæ; oraculorum de vero Deo à cacodæmonibus aliquando editorum memoria refricetur, & mox intelligemus, liquorem non ipſis vaſis, non ipſis canalibus, ſed ei ſoli deberi, qui primus eius fons eſt & prima ſcaturigo. Hac re diligenter conſiderata atque perſpecta, ſumma religione vetuſtiſſimi illi patres cauerunt, ne quicquam eorum quæ ad ſacroſanctam rerum diuinarum doctrinam ſpectarent, vlli mortalium inſcriberetur: quò nimirum ſua ſemper vetuſtis de veritate traditionibus inuiolata conſtaret auctoritas; vtpote non ab vllo homine mille erroribus & mendaciis obnoxio, ſed ab ipſo Spiritu ſancto profecta, perpetuo veræ doctrinæ veræque ſcripturæ in Eccleſia ſua ſempiterna cuſtodi ac magiſtro. Non igitur falſum illud fuit, licet ſtolidiſſimè à Phœnicibus intellectum, quod Sanchuniathon Berytius prodidit; Mercurium videlicet ſiue Thoot Saturni ſcribam fuiſſe. Quid enim ni ſcribam voces eum cui Deus pater, qui verus eſt Saturnus, perpetuæ ſuæ voluntatis omnia diſponentis ac ordinantis, æternique ſui teſtamenti tabulas dedit ſcribendas atque cuſtodiendas? Hanc tamen veriſſimam ſententiam à Ianigenis acceptam inſana deuiorum hominum interpretatio non ineptam modò & plus quàm anilem, ſed impiam etiam ac ſacrilegam fecit, dum de Mercurij Triſmegiſti libris ea dicunt petita eſſe, quæ cacodæmonum fraus & humanæ prauitatis dementia ad impiam idolomaniam & ſuſcitandam & alendam litteris mandauit. Quid enim veſanius eſſe poteſt iis quæ Berytius ille ſcriptor è veterum traditionibus ſiniſtra manu acceptis, magno faſtu memoriæ prodidit? Verſatur hactenus in hominum manibus libellus Mercurio Triſmegiſto inſcriptus, in quo quibuſdam veritatis ornamentis primùm oſtentatis, ſceleſtiſſima tandem idolomania ſuccedit, tam ab auctoris nomine, qui præfertur, aliena, quàm vaſtum eſt & immane inter Deum & diabolum, inter veritatem & mendacium, inter lucem & tenebras interuallum. Ceterùm quia latiùs multo harum rerum patet contemplatio quàm propoſitæ mihi breuitati conueniat; totumque adeò ſacræ ſcripturæ regnum, cuius ſceptrum Spiritus ſanctus tenet, propiùs oſtendit, nec mearum eſt virium in eo luſtrando præmonſtratoris partibus fungi; cenſeo mihi gradum reuocandum, vt fontibus vniuerſæ veritatis oſtenſis ad riuum meum tenuem deſcendam.

Litterarũ primus traditor Spiritus ſanctus.

Mercurius ſiue Thoot Saturni ſcriba.

Triſmegiſto libellus inſcriptus.

LIBER

LIBER II.

PRIMAM itaque litterarum inuentionem Deo acceptam ferri debere, priſci illi magiſtri tradiderunt, qui hæc Phœnicibus, & Ægyptiis, & Græcis, & Latinis nomina reuelarunt, quibus primus earum inuentor vocaretur: quæ cùm noſtris hominibus ſunt vernacula, perſpicuum eſt, eos qui vetuſtiſſimos Phœnices & Ægyptios litteras docuerunt, noſtra vſos lingua fuiſſe; & idcirco hanc totius antiquitatis habere principatum. Quando igitur priſci illi Phœnicum & Ægyptiorum & ceterarum gentium doctores ipſum Deum ter maximum, ſiue Spiritum ſanctum, principem faciunt litterarum inuentorem; neceſſariò fateri oportebit, ſummum in iis artificium contineri; propterea quòd quidquid à patre luminũ deſcendit, non poſſit non eſſe perfectiſſimum. Quamobrem minimè credendum Zopyrioni Grammatico, litterarum tum numerum tum ordinem fortuitum eſſe dicenti; verùm in iis accuratiſſimè quærendus neceſſe eſt, quæ ratio ſit, vt litterarum nomina hac ſerie quam omnis antiquitas religioſè ſeruauit, non alia recenſeantur. In primis diligenter ſingularum conſiderata poteſtate, clariſſimè cernimus cognatas cognatis non eſſe coniunctas, nec vllam omnino ordinis quo numerantur rationem de natura pronunciationis inueniri: quæ res cuiuis tam perſpicua eſt, vt hominis inepti videri poſſit & nimiũ otioſi, velle eam pluribus verbis explicare. Quemadmodum autem nulla ſonorum obſeruata eſt vel cognatio vel cõſequentia; ita nec figurarum vlla aut comparatio aut affinitas in earum enumeratione reperietur. Quoniam itaque nec è poteſtate, nec è figura ordinis vlla ratio dependere cernitur, reliquum eſt vt ea ab ipſis nominibus petenda videatur. Iam nomina vt nudæ voces ſunt ad res ſignificandas non vſurpatæ, quas materialiter accipi arguti ſuppoſitionum magiſtri dicunt, nullam rurſus ſeriem in Alphabeto conſtituunt naturæ conſentaneam. Reliquum eſt igitur vt nomina iuxta ſignificationem ſuam ita collocata dicantur, vt eum ordinem ſeruent, quo melior non poſſit inueniri. At optimum ordinem in nominum poſitu non videbimus, ſi ſic enumerentur, vt nullam perfectam abſoluant ſententiam: quam rurſus reddere nequeunt, niſi apta conſtructione colligentur. Porrò non ſatis fuerit ad hoc vt diuinum quiddam videatur Alphabetum, ſententiam aliquam integram eo perfici, niſi & ipſa per ſe diuina ſit; & talis præterea, vt pueris iam primùm ad litterarum rudimenta admiſſis, ante alia omnia primo loco ſit proponenda. Vt enim hæc litterarum traditio perfectiſſima ſit, eam viam & rationem ſeruet neceſſe eſt, qua ea quæ pueris diſcere cupientibus prima eſſe debent, prima quoque tradantur: qui ordo niſi teneatur, non tantùm nihil diuini in Alphabeto reperiri dicemus, ſed & illud deſiderari quod in quouis docendi genere ſic eſt neceſſarium, vt à nemine citra piaculum negligi poſſit. Quoniam ergo nemo mortalium, immò ne angelorum quidem vllus, quidquã omnino poſſit citra Dei auxilium, neceſſarium eſt vt cùm in omni cuiuſuis rei molitione, tum maximè in animo excolendo ab oratione exordium fiat. Hoc vt apud Chriſtianos teſtimoniis è ſacra ſcriptura petitis fruſtra docerem; ita apud exteros tum philoſophos tum poëtas tam ſollemne eſt præceptum, vt eius vſum apud omnes paſſim videamus frequentari. Sic Timæus à Socrate rogatus, vt Diis primùm ritè inuocatis ſermonem inciperet; At, ô Socrates, inquit, hoc ſanè omnes faciunt qui vel parum ſapiunt, vt in omni aggreſſione tum paruæ tum magnæ rei Deum ſemper inuocent. Eodem modo Aratus:

Litterarum inuentio Deo à veteribus Ægyptiis, Phœnicibus & aliis tributa.

Litteris magnum contineri artificium.

Litterarum ordinis ratio vnde ſit petenda.

Ab oratione in omni re exordium ſumendum.

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον· μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
Πασαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα
Καὶ λιμένες· πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες,
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Id eſt, vt ex tempore cantilenam ad verbum expreſſam canam Latinis:

Ex Ioue principium capiamus: dicere numquam
Mortales ceſſemus eum: Iouis omnia plena
Sunt fora, ſuntq; viæ, portus pleni, pelagúſque:

Omnibus auxilio Iouis est opus, vsque per omnes
Res; illius enim soboles sumus.

Cernimus itaque ne laudati quidem magistri munere eum perfunctum esse qui primus Alphabetum tradidit, nisi eo mox ab initio docuerit, Deum ante omnia orandũ esse; tantum abest, vt ad originem diuiniorem citra hanc laudem queat referri. Præterea nõ satis est ad perfectionem, preces eo notari; nisi eæ illis verbis sint conceptæ, quæ maximè decora sint pueris initiandis; & illud Deum orent, quo totius vitæ salus cõtinetur. Cùm enim omnis actio de finis cõsideratione proficiscatur, necesse est vt oratio ea quæ pueris primùm occinitur, vltimũ bonorũ finem proponat; & media quibus ad eum peruenirí potest, breuiter ostendat. Neq. enim puer tãtummodò ad orandũ à præceptore incitari debet, sed etiam doceri quis orandus sit, & quid ab eo petendũ, & quomodo petendũ, & ad quem finem toræ preces destinandæ. Quoniam igitur illi qui Hebraicam moliuntur interpretationem, præstare nequeunt, vt quidquam horum in Alphabeto demonstrent contineri; rogamus æquos iudices, vt tantisper nobis patientes aures præbeant, dũ ostenderimus litterarũ nomina clarissima oratione & aptissima syntaxi preces ad Spiritũ sanctum complecti: atque eas tanto artificio explicare, quanti vix humani ingenij captus assequi possit. Bifariam nos de litteris loqui posse, semel vt vocibus & primis vocũ significantium elementis; iterum vt scriptis elementorum notis, Hermathena nostra satis copiosè, ni fallor, ostendit; & nos hîc de figuris, non de sonis, agere, non de verbis modò nostris, sed de ipso etiam operis titulo clarum est. Quamobrem nihil miri accidit, si plures notæ sint quàm simplicia vocum elemẽta, propterea quòd & eiusdem soni plures esse queant figuræ; & præterea aliæ etiam addi, quibus plura elementa comprehendantur. Illius exemplum apud Hebræos est in illis litteris quæ aliter in fine, aliter in medio & principio dictionum pinguntur. Hoc verò liquet è ה ץ ו ש ף, quarum notarum prima C & H notat, secunda T & S semper designat, siue hoc siue illud præcedat, quamquam plerumque semper sibilans littera ipsi Tau præfertur in complexione; tertium C & S, quartum S & C, quintum C & V consonantem. Iam G septimum in vocibus elementum duas etiam sortitum est figuras; alteram qua G lene denotatur, proximè ad sonum C accedens; alteram qua Gh aspiratum & ex imo pectore ductum depingitur. Eodem modo factum, vt ipsi T elemento duæ responderent figuræ; altera adspirato, quæ Thet; altera leni, quæ Tau vocatur. Quamuis autem simili ratione ipsi P duæ dari potuissent notæ, duoque notarum nomina; id tamen à nomenclatore factum non est. Adde quòd alia figura ipsius V vocalis, alia consonantis pingi potuisset, & de numero notarum duæ etiam dari nomenclaturæ. Nec aliter de I vocali & I consonanti cogitandum. Vnde efficitur, aliam quandam rationem in figurarum numero & earum nominibus initam esse, quam vel vocale Abecedarium, vel multitudo ea quæ probabiliter fieri posset, exigere videretur. Quid? quòd ordo quoque alius in elementis, alius in eorum figuris enumerandis seruatus ostendit manifestissimè, aliud quiddam potius nomenclatori visum fuisse, ad cuius regulam & normam litterarum figuras tum numeraret, tum nominibus insigniret. Cùm enim sciret hinc plures longè fieri potuisse notas, hinc etiam pauciores, vt quiuis ex iis quæ modò dixi potest supputare; eum sibi putauit modum tenendum, vt nec nimia paucitas obscuram redderet lectionem, nec ingens multitudo scriptionem operosiorem. Vt enim longum esset ac superuacaneum, singulis sonorum simplicium formis singulas dare figuras; ita rursus nimia paucitas ambiguum lectorem teneret. Hinc igitur libertatem suam sequens architectus, hinc rationem consulens strictiorem, sic moderatus est numerum notarum; vt is qui linguæ quam lecturus est sit peritus, nihil sit habiturus aut impedimenti, aut obscuritatis. At si quis linguæ cuiuspiam sit imperitus, vt is eam multo labore de scriptura tandem intelligere potest; ita nunquam veram & genuinam pronunciationem & germana vocum discrimina è multis magistris assequetur. Hoc igitur seruato temperamento, vt nec nimia paupertate scriptio premeretur, nec diffusa figurarum copia luxuriaret, certus numerus est constitutus; & is quidem tali delectu, vt ad plurima discenda non alius plus vtilitatis adferre posset. qua in re luculenta cernitur certæ atque definitæ multitudinis caussa. Seruatus itaque numerus, vt primis disciplinarum rudimentis tradendis aptissimus; ita plenus arcanæ sapientiæ: cuius neminem ne in proiecta quidem ætate queat

Orandi modus & ratio.

Litterarum notæ plures quàm vocũ simplicia elementa.

queat pœnitere, vti mox aperiemus. Duplices tamen litteras pauciſſimas admiſit; & inter eas quidem ex leni littera & adſpiratione, quam nos litteram etiam dicimus, conſtantes, tres dumtaxat Ch, Th, Gh, quarum tamen poſtrema peculiarem quandam cauſſam habet, à nobis ſuo loco explicandam. Pe autem cum adſpiratione non adiecit, quòd eius loco Vau digãma Æolicum ſcribi queat: nec fuerit alioqui ne ceteris quidem peculiaribus adſpiratarum figuris opus, niſi numeri & orationis ratio eas poſtulaſſet: in qua potiſſimum eſt momentum totius Alphabeticæ ſtructuræ. Hæc enim ipſum Zain quoque & Quof in numerum & ordinem traxit: in quorum poſteriore tamen aliud quiddam deliteſcit, quod in ipſius figura declaranda in lucem vocabo. In Tſade & Scin alia etiam cauſſa inuenitur in eo conſiſtens, quòd in conuerſione vocabulorum hæ litteræ pro vna habeantur, & idcirco non ferant conuerſionem. Verùm hæc omnia in ſingulis litterarum figuris declarabo; additurus etiam genuinam litterarum pronunciationem, quæ figuris ipſis denotantur; quam Hebræi non heri aut nudiuſtertius, ſed iam olim magna ex parte corruperunt, vt ſuis locis ſigillatim docebo. Quemadmodum verò numerus quæſitus, qui plurimum vtilitatis & myſteriorum complecteretur; ita ordinis cauſſa tota dependet à congruo precum ad Spiritum ſanctum fuſarum contextu: cuius rationem etiam in numero conſtituendo vel primariam haberi oportebat. Nunc igitur ad orationis explicatum accedemus, ea tamẽ præmiſſa admonitione, nos germano ſono litterarum nomina pronunciaturos; ſusque deque ferentes, quas litteras confuderint Hebræi; apud quos idem ferè ſonus eſt ת, ש, ס, שׂ cum ſiniſtro puncto. Jam ע non eodem modo in omnibus vocibus effertur: de quibus pòſt, vt dixi, in ſingularum figuris. Nunc quod illic firmis rationibus demonſtraturi ſumus, nobis ſumemus: qua in re quia proprios cuique litteræ ſonos dabimus, ab ipſo ſtatim initio ab æquo iudice conſpectum iri confidimus, quanto noſtra pronunciatio quàm Hebræorum rationem magis & litterarum numerum ſequatur; cui cõfuſus & idem ſonus plurium litterarum prorſus repugnat. In primis itaque numerum conſideremus, in quo multa arcana continentur. Cum enim omnis doctrinæ ratio eò tendat, vt in homine apta ſit cùm corporis & animi perturbationum, & mentis officiorum, & totius vitæ concinnitas; tum horum omnium etiam modulatio cum tota vniuerſitate rerum & ipſa opificis voluntate ad ipſa vſque hemitonia & minima vocum conciſa, vt ſic τρήματα vertam, reſpondeat & conſonet; numerus placuit qui totam Muſices latitudinem comprehenderet; quæ conuenientiſſimè viginti duobus interuallis terminatur, vti illi norunt qui ab imo ad ſummum eius gradum per tres octonarios continuos adſcendunt. Porrò quia nullum eſt ſpectaculum quo magis ad Deum cognoſcendum incitamur, quàm admirabilis cælorum machina, & varij aſtrorum decurſus & reuerſiones; nec horum nobis menſura conſtare poteſt, niſi ratio aliqua inueniatur qua circularis figura ad rectam comparetur; viſus eſt huic quoq. inueſtigationi idoneus aut potiùs neceſſarius numerus viginti duorum, eo quòd circulus per hunc æquabilibus portionibus ſectus diametrũ nobis oſtendat, cui eſt triplus; & vlterius tanto maior, vt viceſima ſecunda parte triplicatum eius ſeptenarium excedat. Quantum ex hoc inuento vtilitatis Mathematicorum dimenſionibus accedat, vt docti norunt; ita nõ eſt huius loci latiùs explicare. Multo ſanè ante Archimedem Alphabetarius noſter magiſter hanc nobis circuli & diametri propoſuit commenſionem; qua ſimul ſtudium noſtrum ad difficillimam Arithmeticæ partem ſurdis numeris intricatam excitauit. Quoniam autem hac circuli partitione litterarum numerum incluſit, ſummo artificio ſupremum & maximum orbem in Alphabeto expreſſit, dum à Dei patris perſona exorſus ad eandem eſt reuerſus: quod mox clariùs aperietur. Et hæc quidem de toto numero ad Mathematicas diſciplinas relato, & Alphabetum ad circulum accommodante, quem Hebræorum interpretatio ex Aleph ad Tau progreſſa non aſſequitur, eo quòd ex eodem non redeat ad idem, ſed ex doctrina, vel vitulo, vel capite, vel ex neſcio quo alio veniat ad ſignum quod per Tau dicunt denotari. Videamus modò huius numeri diuiſionem. Ea ad duos vndenarios nos deducit; quorum ſingulos ſi nomine noſtrati exprimas, vnam vitam denotari cernes. Æ leuen/ ſiue Æ leue/ ſiue Elef/ & exempta littera per ſyncopen, Elf/ vnam vitam ſignificat; à qua vndenarius, quia eius ſymbolum gerit, nomen accepit: cuius cauſſam, ſi Deus vitam mentemque dederit, in Cimbricis numeris explicabo. Duæ igitur vitæ in toto

Littera duplices pauciſſimæ.

Tſ & Sc in vocum conuerſionibus pro vna littera habentur.

Litterarum numerus cum tota Muſices latitudine conſonat.

Litterarum numeri & partitionis myſteria.

Vndenarius ſymbolum vnius vitæ, à qua & Cimbricè nomen accepit. Elf.

Alphabetum duas vitas indicat.

Alphabeto indicantur. Prior perfecta & æterna in ſummo contemplationis diuinæ gaudio conſiſtens : altera vita hominis lapſi & adhuc militantis, & ad priorem illam contendentis. Illam & totam eius deſcriptionem prior litterarum vndenarius exponit; poſteriorem alter vndenarius abſoluit. Verùm aliud adhuc myſterium in duobus vndenariis deliteſcit, quo nihil admirabilius, nihil diuinius, nihil homini ad ſalutem magis neceſſarium. Duabus enim hendecadibus abſolutis geminæ vitæ abſolutæ ſymbolum habemus; numeri illud quidem nomine minimè expreſſum, ſed per diuiſionem vnius circuli & vnius numeri indicatum. Atqui ad totius vniuerſitatis perfectionem & integram pulcritudinem non diuiſio circuli, ſed circuli vnio neceſſaria eſt;

Duodenarij myſteria.

citra quam non modò non bene eſſe, ſed ne eſſe quidem quidquam poteſt. Quòd ſi ergo duas vitas ſigillatim duobus vndenariis denotatas, quorum vterque Eleuen / id eſt, vnam vitam pollicetur, coniunxeris; & vno numero, & vno vnius numeri nomine deſignes, Twe leuen / & conciſa voce de more noſtro, Twelf habebis, id eſt, duas vitas vno numero & vno nomine vnitas atq. firmiſſimo vinculo copulatas. Twelf enim dodecada ſiue duodenarium in priſca Ianigenarum lingua, quam primam eſſe dicimus, ſignificat: quo in nomine Cimmerij Tauricam hactenus Cherroneſum habitantes ipſum Leuen / id eſt vitam integrè exprimunt, citra conciſionem nobis vſitatam: quod & in ipſo hendecadis nomine Eleuen obſeruant, quo clariſſimè vna vita citra omnem ſyncopen & apocopen denotatur: quod à teſtibus fide digniſſimis acceptum, in quibus primarius eſt Boeſbecanus, Cæſaris apud Turcum ante aliquot annos legatus, admonitum volui, vt de germana horum nominum origine nihil dubij relinqueretur. Quia ergo duodenarius duas diuiſas vitas vnit & firmiſſimo vinculo colligat, neceſſarium omnino eſt ad abſolutam mundi & parui & magni perfectionem, vt hic numerus occultam ſuam vim affundat. Sed quia hoc magnum illud eſt & occultum Dei conſilium, quod ne callidiſſimus quidem draco priùs agnouit quàm ad finem ſuum perductum eſſet; ſtupenda quadam arte factum eſt, vt licet in Alphabeto nulla partitione tolerabili ad duodenarium peruenireturr, eius tamen cognitio è duobus vndenariis exiſteret; propterea quòd, cùm ſinguli vnam vitam exprimant, neceſſariò duæ vitæ conſequantur: quas ſi vno numero & vno nomine in Cimmeria lingua efferas, atque ita & nominis & numeri vnitate coniungas, Twe leuen / id eſt, duodenarium agnoſces; qui à duabus vitis ſimul copulatis nomen accepit: quem tamen non antè ex Alphabeto colligere poſſis, quàm totum ſit duobus vndenariis abſolutum. Hic eſt igitur duodenarius ille occultus, qui nec priore Alphabeti vndenario, nec poſteriore continetur, nec rurſus ex his duobus coniunctis efficitur aut componitur; ſed vocibus dumtaxat Cimmeriis per conſequentiam quandam neceſſariam indicatur, à nemine mortalium intelligendus, niſi linguæ noſtræ ſit peritus. Quia verò hic vndenarium, vnius vitæ indicem, vna dumtaxat ſuperat vnitate; dictus eſt apud veteres Ianigenas imparem Deorum numerum ad æqualitatem redegiſſe. Qui verò Dij ſunt? Qui alij quàm qui viuunt, à quorũ numero mortales ſunt excluſi; cùm hi moriantur, non viuant: adeò vt longè diuinior ſit illa ſententia quam Euripides, eius, ſi rectè memini, ſcriptor, intellexerit; qua interrogatur: Quis ſcit an hoc noſtrum viuere ſit mori, & ipſum mori ſit viuere? Nunc igitur cùm viuentium ſiue Deorum, quod idem eſt, vita per vndenarij ſymbolum denotetur, & Cimmerio eius nomine exprimatur, quid ni hendecas numerus Deorum vocetur? Quoniam verò vnitas vnius vitæ fons eſt, ipſam vitam ſolam conſtituens, dimetiens, & terminis ſuis includens; vndenarius hac parte ſola numeratur & abſoluitur, tamquam principio ſui interno; & ab eo ipſo principio nomenclatura quoque exordium ſumit, ipſi Vni vitam addens, ceu vna ipſius vnitatis vita diceretur. Hæc illa eſt vita ab Vno ſiue patre vniuerſorum mundo primùm tributa; & idcirco non vna tantùm vita, ſed ipſius Vnius vita nuncupata. Ab hac primùm Lucifer cum ſuis excidit in mortem ſempiternam: quam cladem Deus compenſaturus, aſpectabilem hunc mundum creauit, & in eo hominem ad imaginem ſuam formatum, principem conſtituit, quò iucundiſſima ipſius voluptate perfrueretur. At Lucifer ſiue Draco inuidia concitatus, fraude ſua homines quoque ex vita illa prima & beatiſſima in mortem pertraxit. Hac igitur parte magnum vitium mundus recens ad hominum vſum creatus fecit, & ingentem integritatis ſuæ paſſus eſt lacunam: qua pulcritudo

Duodenarius cur imparem Deorum numerum dicatur ad æqualitatem redegiſſe.

Hendecas Deorum numerus.

Vita ipſius Vnius qua dicatur.

eius

eius miserrimè defœdata tantam accepit maculam, quantam mors æterna attulisse potest cogitari, alta & tartarea caligine tot sexcentas myriadum myriadas inuoluens. Post hoc igitur grauissimum & altissimum vulnus pulcerrimæ & formosissimæ mundi parti inflictum, quod mortem secum traxit sempiternam, ipsius Vnius vita in illis solis mansit qui ab ea non exciderunt, atque ij Dij siue viuentes postea soli poterant vocari; quorum vndenarius vnam ipsius Vnius vitam continens proprius meritò habebatur: qua de re latius in numeris Cimbricis. Porrò vt mundus in integrum restitueretur, atque humanum genus, ad cuius vsum cælum & terra erant creata, à morte in secundam vitam reuocaretur, externa opus fuit vnitate; haud secus atque in vulneribus latè dehiscentibus externa opus est vnione, & ad partes corruptas rursus implendas & æquandas noua carne. Accessit igitur hæc vnitas lacunam omnem impletura, & quidquid discesserat vnitura: qua vndenario prioris vitæ indici adiuncta, duodenarius enatus est; qui quòd alteram vitam adderet priori, Twe leuen vocatus est, id est, duæ vitæ: quod tamen nomen geminam habet intelligentiam, perinde atq. Hendecadis quoq. nomenclatura. Statim enim prima fronte geminã offert significationem; alteram qua duæ vitæ, vti modò dixi, intelliguntur; alteram qua vita ipsius binarij denotatur. Twe enim & duo significat, & binarium; sicut E vnum, & vnitatem; & Dri tria, & ternarium. Quemadmodum igitur prior vita vnius vita dicitur; ita altera binarij vita nuncupatur. O bone Deus, Spiritu tuo sancto nos dirige in his abditissimis arcanis in lucem tandem proferendis! Quis hic est binarius cui dodecas nomine suo Cimbrico alteram vitam adscribit? Si clarum est ipsum Vnum Patris nobis denotare personam, nihil dubij quin binarius secundam in Trinitate personam designet: è quo perspicuum fit, hanc alterã vitam esse vitam ipsius filij. Sicut enim Pater E / id est, Vnum, & Vnitas, à firmitate in se compressa, quæ omnium rerum est fundamentum, vocatur, vt Hermathena nostra docuit; ita Filius Twe dicitur, ceu Het-wi-e diuisis vocibus vocaretur, quo vel ipsum illud quod vnitatem dilatat, vel ipsum Vnum dilatatum denotaretur. O stupendã vocalæ fabricam! cuius simplicissima & cuiuis obuia interpretatione totius rerum vniuersitatis creatio, & creationis modus, & vnà Filij à Patre progressus apertissimè declaratur! Sed hæc latius suo loco. Hinc mox liquet, alteram vitam, quæ Twe lef dicitur, ipsius Filij esse propriam, atq. idcirco nemini communicandam qui cum Filio non sit vnitus: quæ res Christianis perspicuam habet veritatem, atque idcirco non amplius declarandam. Verùm an quemadmodũ Ianigenæ dodecadis nomine hoc nobis humanæ salutis mysterium indicarunt, ita fabularum quoq. inuolucris tectum ad posteros transmiserint, operę pretium fuerit videre. Herculi duodenarium sacrum esse, duodecim eius labores ab omnibus celebrati, à nemine intellecti, satis nobis apertè demonstrant. Hunc prisci tradiderunt imparem Deorũ numerum, vt modò dixi, ad paritatem redegisse: quod Seneca elegans Tragœdiarum scriptor in Agamemnone ad carminis sui quod Chorus canit, ornamentum vocauit:

Duodenarij duplex intelligentia.

Twe.
E.
Dri.

Vita binarij qua.

Vnũ primã, binarius secundam in S. Trinitate personam denotat.

Argos nobilibus nobile ciuibus,
Argos iratæ carum nouercæ,
Semper ingentes educas alumnos,
Imparem æquasti numerum Deorum,
Tuus ille bisseno meruit labore
Allegi cælo magnus Alcides.

Duodenarius imparẽ Deorum numerũ ad paritatem redegit.

Hæc Seneca: cui alios eiusdem rei testes adiungere in re vel ipsis Grammaticorũ pueris clarissima, superuacanei foret laboris. Quis autem hic Hercules apud primos fabularum textores intelligatur, ipsum nobis aperit nomen. Idem enim nobis significat ac si masculam vim totius vniuersitatis diceremus, quæ apud vetustissimos fascino erecto notabatur: quod statuis ipsius Thoot additum, significabat ipsum Thoot omnium rerum esse creatorem. Herculis igitur nomen Cimmerio sermone, pro eo ac debet, explicatum, symbolum eius exprimit cui communis rerum omnium & singularum generatio debetur: ad cuius eiusdem rei significationem Hermarum Ithyphallos referre oportet. Sed quid huic masculæ generandi facultati, per quam Pater supremum caput totam rerum creauit vniuersitatem, cum duodecim laboribus, & gemina ipsius binarij vita? Nempe quòd Deus vt per filium masculam suam vim, cuius persona dyade signatur, om-

Herculem quem intellexerint primi fabularum textores.

tur, omnia creauit; ita per eundem humanum genus à morte liberatum ad ſecundam vitam, duodenario notatam, perduxit. Verus igitur Hercules Chriſtus eſt, cuius nomen ad inſaniſſimas nugas, ab omni propè natione decantatas, ſerpentis calliditas detorſit: qua tamen in re tantum fraus eius non potuit, vt priſcæ veritatis veſtigia prorſus obſcuraret atque deleret. Dodecadis enim ſymbolum in laboribus eſt apertiſſimum, & in eo vitæ ſecundæ nobis per Chriſtum datæ Cimmerium duodenarij nomen nos reddit certiores. Quid domita monſtra totius mundi aliud deſignant, quàm Herculem totum mundum atque omnes eius partes ab omni fœditate purgaſſe? qua in re maximos ſubiit labores, & grauiſſimas pertulit ærumnas; quas duodecim fuiſſe propterea finxerunt, quia ab ipſo vno Patre omnium progreſſus per omnes rerum creatarum numeros, deſcendit ad ipſam vſque humanam naturam; qua accepta, totum mundum in priſcum decus reſtituit. Quid dico priſcum decus? immo longè reddidit quàm antè vmquam fuiſſet per ſecundam ſuam vitam pulcriorem. Maxima igitur hæc fuit mundi felicitas, qua non ſolùm eſſe ſuum accepit antiquum, verùm etiam longè maiore quàm illud prioris vitæ fuiſſet decorauit ornamento. Hercul igitur dictus, vt is per quem omnia creata ſunt; quod nomen ſi vertas, videbis quid filius Dei in hominem verſus præſtiterit. Luc-reh enim, producta poſteriore ſyllaba per ſpiritum appoſitum, idem nobis deſignat ac ſi Latinus diceret felicitatis præparatorem. Poteſtne quicquam eſſe clarius? Quid vltrà dubij relinquitur, quis Hercul reuera ſit nuncupandus? Hunc aiunt hydram, feralem generis humani peſtem, multis capitibus ſemper in omnes mortales ſæuientem occidiſſe: quo quid aliud ſignificatur, quàm à vero Hercule draconem illum magnum, qui totum genus humanũ lethifero ſuo veneno perdidit, interemptũ iri: cuius vt perpetuum apud homines exſtaret monumentum, primus ſtellarum nomenclator ingentem nobis draconem in Septentrionali cæli plaga, in qua Lucifer ſedem ſuam ponere volebat, deſignauit; atque illi ſic Herculem commiſit, vt genibus innixus, maximumque præ ſe ferens conatum, iam iam caput draconis clauа ſua fracturus eſſe videatur. Hæc, idque genus quamplurima alia priſcæ incorruptæque veritatis veſtigia à nobis alibi latiùs perſequenda, ſatis declarant quis Hercules verus fuerit antiquis, & cuius myſterij inuolucrum fabula de laboribus eius conficta complectatur. Redeamus ergo ad noſtrum Alphabetum, in quo duæ vitæ ſigillatim enumeratæ nos deducunt ad duodenarij cogitationem: cuius nomen duas vitas exprimens arcana humanæ ſalutis oracula mirabili artificio ſuggerit. In primis itaque hac diuiſione totius Alphabeti duas vitas deſignatas videmus; alteram ipſius Vnius, alteram ipſius Binarij; qui non dilatat modò abditam patris potentiam ipſius boni per creationem communione, quod noſtras Binarij nomen apertè ſignat; ſed vitam etiam ſecundam largitur, & omnem hominibus labore ſuo comparat & inſtruit felicitatem. Illud ferè exciderat in tanta myſteriorum occurrentium copia, quòd, quemadmodum vnitas vndenario addita alteram vitam facit, & vndenarij nomen geminat; ita vndenarius geminatus numerum conſtituit, qui diametrum, Spiritus ſancti totum mundum ab extremis ad extrema permeantis indicem, ter acceptum, vna ſuperat vnitate; citra quam vnitatem totus totius vniuerſitatis circulus lacunam & hiatum pateretur. Quia igitur Pater centro, filius circulo, Spiritus ſanctus diametro centrum & circumferentiam coniungente & ab vtroque progreſſo denotatur, intelligimus ipſum filium toti vniuerſitati per diametrum ter acceptum deſignatæ (ſpiritus enim ter maximus omnia complet & permeat, vnam vitam diffundens,) addere vnitatem ad totam integritatem ſic abſoluendam, ne quicquam omnino reſtet lacunæ. Atque hæc ſatis ſunto ad arcana ipſius totius numeri & vndenariorum duarum eius partium indicanda potiùs quàm vel minimo tenus euoluenda. Ceterùm vndenarius quia ſicut vnius vita eſt, ita ab vno dumtaxat menſuratur; vlteriorem diuiſionem in æquales partes non admittit. Quamobrem is qui litterarum nomina digeſſit, aliud partitionis genus ſecutus eſt, qua impar numerus per imparem diuiſorem ſecaretur, quò diuiſionis totius ratio numeri naturæ conueniret. Quia igitur primus imparium partientium ternarius eſt, in tres partes vndenarium diſtraxit; & vt ſuus diuidenti numero honos tribueretur, primam trium partium ipſum ternarium in vndenario priore diuidendo conſtituit, quo diuerſa trium perſonarum in Deo vno attributa explicauit, aptiſſimo ordine à Patre ad filium, à filio ad Spiritum ſanctum progreſſus. Huic ternario pri-

Hercules verus Chriſtus.

Herculis etymon. Hercul. Luc-reh.

Herculis de hydra interfecta fabula explicatur.

Trinitatis in mundi ſtructura ſymbolum.

rio primæ omnium rerum cauſſæ numerum illum ſubiecit, qui hanc ad primam triadem ternarium ſecundum adiecit, prioris in omnibus rebus creatis imaginem. Is eſt Senio, per quem omnia à Deo eſſe accipiunt & ſtabilem firmitatem, à qua Ses nobis dicitur, à Set/ quod eſt conſtituo. Mutatur autem Tau in Sigma, cùm vt nomen à verbo differat, tum maximè, vt circularis & perfecti numeri vocabulum quoque ſit circulare. Set itaque radix nominis eſt, quo numerus hic apud nos, apud Hebræos, apud Latinos, apud Græcos exigua facta mutatione nuncupatur: qua prorſa quidem id intelligimus, quod Latini colloco atque firmo dicunt; verſa verò duo indicantur; alterum vt ſit idem quod Hoc eſt; quo monemur, res eo ipſo eſſe, quòd ſint per hunc ternarium ſecundum à priore emanantem firma ſede atque ſtabili fundamento conſtitutæ: alterum, vt Tes compoſitum intelligatur; non ex Het es / ſed ex Te es / quo denotetur, ad id quod eſt. Quemadmodum enim hic ſecundus ternarius ſimulacrum eſt quod rebus omnibus à Deo creatis imprimitur, velut character quidam Trinitatis, atque per hoc res omnes à Deo fluunt; ita per eundem ternarium res omnes ad ipſum illud quod verè Eſt, reducuntur. Quantum, bone Mercuri, ſapientiæ tribus litteris indicaſti! quanto breuiùs, quanto clariùs, quanto ſolidiùs, quanto copioſiùs primum rerum omnium creatarum principium nobis expoſuiſti, quàm quiſquam omnino philoſophorum! Verſa ergo ipſius Set denotatio non hoc ſolùm luculento ſigno demonſtrat, vocem prima ab origine noſtratem eſſe, atque ab ea ad Hebræos שׁוּ & שׁב veniſſe, nec aliunde Latinos Sedere ſuum, & totam habere cognationem, & ad eandem etiam καθέζομαι & ἕδραν, & affinia Græcorum vocabula pertinere; ſed totam præterea vniuerſitatis bene conſtitutæ oſtendit firmitatem in eo conſiſtere, quod ad ipſum illud quod Eſt per ternarium reuertatur. Ceterùm vt hæc vocis conuerſio, noſtratibus ſolis vſitata, abditiſſima primæ philoſophiæ adyta recludat; longè tamen adhuc maius arcanum prorſæ voculæ nomenclator intexuit. Sicut enim Es pro Eſt, ab E valida vi, quæ per ſibilantem ventoſamque litteram denotatur, procedit, atque E Pater eſt, Es filius, vbi Vnius ad Ens perſpicitur progreſſus; ita ſi vocem retrò legas, Se habebis, quo nobis idem denotatur quod Latinis verbo, Dicebat. O ſtupendum myſterium! ô nullis vmquam hominum vel eloquentiſſimorum linguis ſatis laudandum! Quid dico laudandum? cùm ne cogitando quidem vllus vmquam auguſtam eius maieſtatem ſit aſſecuturus. Quamobrem & mihi in his cenſeo plura eſſe ſancto ſilentio veneranda, quàm verbis nec aptis ſatis, nec ſignificantibus fuſiùs explicanda. Omnes norunt vehementem ipſius Sigma ſibilum, quo non video quæ vis & facultas conuenientiùs queat denotari, quàm ea qua Deus mundum creauit. *Formauit*, inquit Moſes, *Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Viden' hîc ſpirantem Deum in vita homini danda? Quod hîc vides expreſſum, id de reliqua etiam cogita creatione, in qua omnibus rebus Deus ſuum cuique eſſe adſpirat: quæ ratio optimè per Sigma exprimitur. Ab E igitur, quo vnum ſiue Pater denotatur, Sigma ſiue valida flandi vis procedit, quæ filius eſt; deinde ab vtroque Spiritus ipſe promanat. Quòd ſi nunc Sigma ipſi E præmittas, filium ſignificabis, per quem ipſum Vnum omnibus afflatur, atque eo ipſo tota rerum vniuerſitas creatur. Iam porrò quia Sigma ipſi E præmiſſum, vernaculo nobis ſermone idem ſignificat quod dicebat, ſtatim intelligimus id quod Moſes ſcripſit, *Dixit & factum eſt*, ab eodem ſpiritu dictatum eſſe; qui nomenclatori noſtro hanc vocum formandarum rationem oſtendit: Nec equidem vel ingenio meo, vel induſtriæ acceptum fero, quòd hæc primus poſt tam diuturnam tot ſeculorum caliginem in lucem protraxerim; cùm verè iurare poſſim, non antè mihi huius myſterij in mentem veniſſe, quàm in hoc vocis Ses examine calamus ad ipſius Es conuerſionem ſcribendum delatus eſſet. Nunc igitur iudicent qui volent quis primus linguæ noſtræ fuerit inuentor: in qua ſic ſunt Trinitatis & creationis myſteria expreſſa, vt ea vltrò ſeſe vel nolentibus offerant; & id vna vocula hinc prorſa, hinc verſa doceant, quod inter myſteria Moſi diuinitùs reuelata vti primarium admiramur. Hæc igitur de Es & Se noſtris hominibus ſint indicata; quò craſſæ pecudes tandem homines fiant, & ſermonis ſui, quem hactenus impiè contempſerunt, & turpius quàm lutulenta ſus roſas conculcarunt, agnoſcant diuinitatem. Ex Se Set fit, adiecto Tau: quod vinculum eſſe firmiſſimum, vt communis apud nos loquendi vſus demonſtrat, ita Plato ceteriſque tradiderunt. Hac itaque

Senionis myſteria.

Ses.

Set.

Tes.

Es.

Se.

Sigma littera ſibilus.

Set.

nota

nota adiecta Spiritus sanctus, Patrem & filium amore colligans, exprimitur;& tota vox tribus litteris tres personas ea ratione exponit, qua filius ipsum Vnum omnibus afflat, & Spiritus sanctus ipsam vim, quæ ipsum quod Vnum afflat & aspirat omnibus rebus creatis,& ipsum Vnum inter se deuincit,& eo suo vinculo totam rerum colligat vniuersitatem. Set igitur pro colloco nobis vsurpatum has habet significationis causas, à quo Seg factum est vocabulum circulare, atque idcirco ad omnia firmo nexu continenda aptissimum. Firmitas autem ei contingit ab amore Spiritus sancti omnia validissimo nexu colligante, vt modò in Set annotatum. Et vt hæc vocis docet explicatus; ita & ipsius numeri natura, quæ tota coaluit è tribus partibus; quarum prima Patrem, secunda filium, tertia Spiritum sanctum designat. Senarius igitur, firmitas, perfectio, pulcritudo totius vniuersi meritò ab antiquis Cimbris Veneri & Vestæ sacer habitus est, cùm illi pulcritudo, huic firmitas debeatur. Primus ergo Alphabeti doctor ab ipso Deo vno & trino exorsus, ad ipsam primam omnium rerum pulcritudinem & perfectionem omnibus numeris absolutam discipulum deduxit, vt in ea velut in imagine Deum ipsum intueretur. Post senarium, binarium adiecit, quo tota vita prior expletur. Eius nomine monemur dilatationis, qua vnum omnibus bonitatem suam communicat. Voluit igitur litterarum nomenclator nos sic in totius vniuersitatis pulcritudine contemplanda versari, vt ea inuitati, nos ipsos etiam dilatemus: quod fieri non potest, nisi eius beneficio qui vnum dilatat, qui filius est vnius. Atque hæc quidem prioris vndenarij diuisio & partium collocatio. Posterior verò vndenarius alio ordine partes enumerat. Quia enim pulcritudinem & perfectionem complectitur eam quæ hominibus à priore statu delapsis est quærenda; principio viam per quam ad eam paulatim peruenitur, describit, atque huic totum impendit senionem. Quoniam verò hæc per filium peccata nostra abluentem datur, ipsi senario binarium statim subiicit, vtpote filij symbolum: & quia per hunc ad ipsum Deum trinum peruenitur, postremò ternarium addit; in quo Spiritus sanctus primùm, deinde filius, vltimò Pater propriis quibusdam & clarissimis attributis denotantur: quo ordine totus circulus à Patre exorsus, ad Patrem recurrit, mirabili contextu omnia sapientiæ & religionis arcana complexus: in quo vt omnia essent ordine pulcerrimo distributa, illud etiam cautum videmus, quò omnes totius orationis annularis partes senarius metiatur, cùm vterque vndenarius tribus absoluatur partibus: vnde efficitur, vt totum alphabetum sex partibus constet; hoc suo numero par sex diebus, quibus tota rerum omnium creatio à Mose comprehensa est, & illa absoluta venustas, quam septimo die Deus veluti Sabbatum agens contemplatur. Et hoc quidem est artificium à nobis in litterarum numero & totius alphabeti partitione clarissimis indiciis deprehensum; quod nec ex Hebræa, nec vlla alia lingua quàm nostra potest doceri, & ad nominum significationem applicari, vt sigillatim deinceps in eorũ expositione cernetur. Quamuis verò in his sat rationis sit, ob quam litterarum is quem habemus ordo sit institutus, accedit tamen & aliud orationis ornamentum, idque geminum; alterum principio, alterum fini additum, velut singulare quoddam margaritum. A litteram hunc apud nos vsum habere, vt ea ad progressum hortemur, idque fieri conuenientissimè ipsius siue potestati siue pronuntiationi, Hermathena nostra demonstrat. Quamobrem aptissima fuit non orationis modò sententiæ, sed ipsi etiam omnium disciplinarum exordio, eo quòd hoc recta via per apertum spatium progredi debeat. Quemadmodum autem nihil principio aptius quàm istud ad progressum incitamentum; ita fini & vltimo termino illud est conuenientissimum, quo vlterior progressus impeditur. Tale verò elementum Tau esse tum pronuntiatio, tum ipsum nomen nostratibus declarat, quo vinculum & validus funis ad tenendum comparatus denotatur. Cùm hæc igitur in exordio & vltima orationis clausula obseruatio naturæ sit aptissima, eamque sola nostra lingua queat explicare, multis modis perspicuum est ad quem sermonem litterarum nomina debeant referri. Hæc de numero & eius distributione, deque principio & fine orationis, elementorum figuras & earum nomina digerentis: quæ licet citra ipsius interpretationem quadam tenus intelligi possint, infinito tamen plus lucis accipient simul ac nomina & constructio tota fuerit explicata. Agedum igitur ipsum Alphabetum, quod in quæstione versatur, recitemus, ac deinde vertamus Latinè: Alef, Beth Gimel Daleth He Vau Xan Chiet Thet Iud Caph Lamet Meem

Senarius Veneri & Vestæ sacer.

Binarius Dei filij symbolũ.

Alphabetum cur ab A littera sumat initium, & in T desinat.

Alphabeti recitatio & interpretatio.

Meem Nien Samecht Hoogen Phe Stades Quaaf Reis Scin T'au. Id est ad verbũ: Age, viue, ora. Vos, reuelator. Demitte ex alto sublime Volumen: festinanter funde Ipsum caput, Voluptatis supremum tegmen. Defensor capitis Adiuua eum. Ne connectas excelsum & veterinum. Status Alexicace Erige Imaginem Ad antiquum. Hæc tota est oratio de sermone nostro ad verbum expressa: in qua distincta est singularum litterarum pronuntiatio, quam Hebræi non parum corruperunt, vti pòst in singulis ostendam. Huic igitur in primis distributionem à nobis expositam accommodemus. Prior vndenarius prioribus vndecim nominibus integram absoluit sententiam, priorem, vt dixi, vitam ad summum bonorum deducens: Posterior posteriorem vitam ad supremam quoque euehit felicitatem. In priore hendecade prima tria nomina tria diuersa trium personarum attributa distinguunt. Pòst succedit senio, preces continens prioris vitæ modum exponentes. Huic binarius subiungitur eleganti Grammaticorum appositione vitæ modò declaratæ appendicem nectens, quæ nullo modo potest ab ea diuelli: quandoquidem summi capitis contemplationem non potest non sequi voluptas suprema, cuius propria est summa animi dilatatio & verissima consecratio, quam binarij nomenclatura designat. Secundus vndenarius vitam hominis lapsi sustinet, atque ad antiquum dierum reducit; in quo primum locum hexas habet, collapso homini scipionem, cui innitatur, ostendens. Deinde binarius sequitur, qui vt filio sacer est; ita quid filius homini collapso præstet, pulcerrimè & significantissimè describit. Cimmerium enim binarij nomen denotat hominem esse expurgandum, dilatandum & sanctificandum; quibus rebus vt sit instructus & ornatus prius quàm ad antiquum dierum veniat, necesse est. Postremus est ternarius à Spiritu sancto ad filium, & ab hoc ad Patrem per distincta & propria personarum vocabula progressus. Exposita modò diuina totius orationis architectura, reliquum est, vt ad exordium reuersi, consideremus num quicquam eo artificiosius bene ornatéque dicendi magistri inuenire possint. Ex horum placitis tale orationis principium esse debet, vt attentum, vt docilem, vt beneuolum reddat auditorem. Atqui hæc tria præcepta sic in Alphabeto sunt obseruata, vt nec significantius, nec efficacius, nec elegantius, nec breuius quicquam possit ab vllo prorsus oratore, quamuis eloquente, cogitari. Incipit enim præceptor non veluti plagosus quisquam Orbilius vel ab aspera sæuaque voce, vel ab aure de vetusto Romanorum ritu vellenda; sed à sono lenissimo: quo suauiter ore aperto, rectum ad progrediendum iter demonstrat, & vt illud ingredi velit, benignè hortatur: simul ad attentionem excitans ipsa vocis significatione: simul suauitate soni beneuolum reddens: simul etiam recta via per pronuntiandi modum demonstrata, & ostio versus eam recluso, ad doctrinam præparans. Verùm quia adhortatio hæc infinita est, & ad nullum officium, ad nullam certam actionem terminata, additur mox, ad quid eum progredi velit ac rectum iter tenere: qua in re illo vtitur verbo quo nullum est quod hominem vel magis excitet atque inuitet, vel magis beneuolum reddat: & cùm tale sit, totius præterea orationis scopum demonstrat, & argumentum tribus litteris exponit. Lef enim idem est quod viue. Quo in verbo littera prima supremam cæli in ore partem linguæ summo feriens, classicum canere videtur, vt mentem sursum tollamus. sed hac de re pòst iterum: hìc verbi notationem consideremus. Quid, rogo, posset efficacius inueniri ad cuiuspiam attentionem excitandam, quàm si res noua quæpiam ad vitam conducens adferri audiatur? Cùm enim hanc quisque maximè amet, maximéque cupiat tueri, non potest non vehementer permoueri ad ea arrectis auribus auscultanda, quæ hanc quauis ratione vel longiorem vel iucundiorem pollicentur. Nunc an quicquam est in omni hominum sermone quo maior beneuolentia concilietur, quàm si quem viuere iubeamus? Vt summis Regibus blandiamur, totiúsque simul studij nostri & amoris erga eos calorem voce declaremus, quid aliud clamamus, quàm, Viuat Princeps, Viuat Rex, Viuat Imperator, Viuat Cæsar, Viuat Augustus? Quid igitur gratius discipulo accidere potest, quàm si mox ab initio à doctore suo viuere iubeatur? Porrò eodem verbo confestim summa totius orationis explicatur, & vnà proponitur scopus & finis vltimus omnium disciplinarum: quarum tota vtilitas in hoc cernitur, si ex iis veræ vitæ promantur adiumenta. Hoc igitur principio vsus, mox discipulum instruit qua via id consequi possit ad quod hortatur & blanda voce inuitat, iubens eum preces ad Deum effundere. Verùm quia adhuc rudis

Orationis quæ ex litterarum interpretatione cõsurgit, mysterium.

Orationis quæ ex Alphabeti interpretatione cõtexitur, artificium.

Lef.

est, nec edoctus quis orandus, quid orandum, quomodo & quibus verbis orandum ipsemet pro discipulo orat, statim ab initio Spiritum sanctum inuocans, à quo omnis sapientiæ scientiæque dona petenda sunt, iuxta D. Paulli, atque adeò ipsius Christi, doctrinam. Ab hoc igitur non triuiale aliquid aut terrenum petit, sed ipsam rerum diuinarum, & ex iis confestim patris cælestis cognitionem vnà cum gaudio sempiterno. Quia verò metuendum, ne pater puerum peccato originali inquinatum, & ob id capitis reum, ad tantum decus & felicitatem non admittat, rursus blandis verbis Spiritum sanctum compellat, vocans eum infirmi capitis protectorem, & rogans vt puerum adiuuet, nec permittat animum eius ad excelsa & sublimia à Deo creatum, cum veterina & bruta corruptæ carnis natura perpetuò ligatum manere. Ceterùm quia puerum suum non tantùm in terrestris paradisi vitam restitui cupit, & ad priscam illam innocentiam redire; sed vlteriùs ad patrem ipsum cælestem intuendum erigi atque sustolli, tertiò Spiritum sanctum inuocat, nouo rursus & faustiore eum nomine salutans. Vocat enim Alexicacon, siue omnis mali Auerruncum; vnà indicans, statum nostrum primum corruptum esse, nec ad eum nos redire posse, nisi ab his malis in quæ nos peccatum æterna pœna dignum præcipitauit, liberemur. Porrò ne possent preces reiici, excellentissima arte adiecit, discipulum Dei imaginem esse: idcirco rogans, vt ipsam sui imaginem erigat & attollat ad antiquum dierum siue patrem vniuersorum. Non est diligentiore animaduersione indignum, immo de mirabili mysterio potiùs stupendum, quòd in tota oratione tribus diuersis nominibus Spiritus sanctus salutetur; & primùm quidem Gimel, quo Apollo siue manifestans; deinde Lamet/ quo capitis custodia; postremò Quaaf/ quo Alexicacus siue Auerruncus omnium malorum denotatur. Quia enim ternarius tertiæ personæ sacer est, ter salutatur Spiritus sanctus, & id tribus diuersis epithetis; in quibus ille ordo seruatur, vt primùm omnium ad salutem necessariorum manifestatio, deinde custodia ac defensio, vltimò omnium malorum depulsio ac integra purgatio ab eo petatur. Verùm si omnes huius artificiosissimæ & prorsus diuinæ orationis loculos rimari atque excutere velim, nec ego ad capiendum, nec vlla verborum copia ad explicandum satis sit futura. Nos ex tempore totam orationem & vim verborum paraphrasi paucis versibus inclusa explicemus:

Orationis Alphabetica paraphrasis.

Aleph. *Nunc age care puer, postquam rationis ad vsum*
Mens admissa nigram dispellere corporis ægri
Occepit nubem, noctemq; odisse profundam,
Celantem radios & dy luminis auram,
Viuus; At vitam non quam plebs inscia veri
Sic vocat, & quæ te fallaci decipit vmbra,
Cùm nil sit nisi mortis iter tacitæq; ruinæ;
Sed puram, cui nil mortis tristísque veneni
Admistum: quæ sola animum corpúsque ciebit
AEterno motu super alti sidera cæli
Lef. *Euectum, quod Lef vox Cimbræ cognita linguæ*
Protinus ex ipsis elementis, exq; solutis
Particulis monstrat; cæno depressa leuare
Corpora promittens: quod non nisi vita perennis
Præstabit, secura necis, secura malorum,
Nil metuens Hydræ dentes virúsque malignum,
Nil mundi immundi rabiem sæuásque procellas,
Quæ nos vexabunt donec mors inuida clauum
Nostræ puppis aget sub falso nomine vitæ.
Ergo cùm moriaris adhuc vix natus, agásque
Faucibus in diris Erebi mox matris ab aluo,
Admonitus fugias lethum, vitamq; sequaris
Me duce, & auspiciis eius qui solus in omnes
Vitam auidos fundit; calidi de pectoris imo
Bet. *Orari tantùm cupiens, nullumq; repellens:*
Hunc precibus pulses. nec sit mora, feruidus insta

Vltrò

Vltrò inuitanti; facilem votisq; benignum
Experiere: roga tantùm. prece vendit Olympum.
Sed ne quid pecces rudis ignarusq; precandi,
Pro te verba prior faciam, tu sedulus audi,
Mente Deum tota venerans, pia vota sequendo.
O vos ter magnum, ter sanctum numen Apollo, Gimel.
Diuinæ pandens animis mysteria legis,
Semper & humanæ reserans arcana salutis,
Notitiæq; omnis disciplinæq; magister,
Dimitte ex alto cælo sublime volumen, Dalet.
Cui Patris æterni inscripta est æterna voluntas; He.
Ocyùs ex illo iam fundas & caput ipsum, Vau.
Et capitis summi perfectum munus amorem, Xan.
Cuius in excelsis tectis terramq; polumq; Chiet.
Desuper amplexis nunquam peritura voluptas Thet.
AEternum manet, ambrosiam nectarq; propinans. Iud. Cap.
O nostri infirmi capitis fidissime custos Lamet.
Huic tenero præsens semper succurre puello, Mem.
Quò grauiter lapsum tollas firmesq; labantem,
Ne permitte adytis cæli sublimibus ortum
Hunc animum turpi veterini corporis antro Nien.
Includi, grauibus vinclis durisq; ligatum. Samecht.
O ter sancte omni statui Auerrunce malorum Hoogen.
Semper Alexicaci totum subiture per orbem, Stades.
Herculeas partes postremo hoc munere fungi Quaaf.
Digneris, quo mens diuinæ mentis imago Res.
Præpetibus pennis summi ad fastigia cæli Scyn.
Auxilij sublata tui, pertingat ad ipsum Tau.
Antiquum patrem, Cronium qui condidit æuum.

Quando igitur satis ostensum est, nihil posse hac oratione vel artificiosius, vel diuinius, vel primæ ætati formandæ aptius excogitari, si de sermone nostro eam interpretemur; restat modò demonstrandum, antiquissimas litterarum figuras his nostratibus vocibus ita ad vnguem conuenire, vt nemo mortalium, quamuis subtili sollertis ingenij acumine præditus, symbola posset meliora comminisci, & ad res ipsas per nomina significatas rectiùs iustiusque quadratura. Id autem sic aggrediemur, vt ordine modò exposito singularum litterarum nomina & figuras inter se conferamus, & symbolicas rationes in iis examinemus. Quoniam tamen sic vulgo persuasum videmus, hanc figurarum & nominum conuenientiam in solis hieroglyphicis notis posse reperiri, nec eam omnino vel apud Hebræos, vel apud alios in elementorum delineatione seruari, non paruum operæ fecero pretium, si quid de hac re à veteribus memoriæ proditum sit, quidq. veritas ipsa dictare videatur, breuiter enarrem. Eorum opinionem qui Phœnicum litteras ab hieroglyphicis diuersas esse credunt, Lucanus vir antiquitatis omnis, historicæ præsertim, curiosus indagator, in Pompeij exercitu recensendo, his versibus confirmat: *Hieroglyphicas litteras à Phœnicum litteris esse diuersas.*

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris:
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Nouerat, in saxis tantùm volucresq; feraq;
Sculptaq; seruabant magicas animalia linguas.

Herodotus item Ægypti diuturnus incola, & plurimarum in ea rerum commemoratu dignarum testis oculatus, quem Plautus decem præfert auritis, duo litterarum genera fuisse prodit; alterum populare, alterũ sacrum. Quinetiam Diodorus Siculus, autoptes Ægypti explorator, hæc litterarum genera agnoscit, duo illa quidem fuisse scribens, sed sacras notas non quosuis, sed sacerdotum dumtaxat filios doceri consueuisse. Et his quidem duobus testibus simul euntibus contenti, quid vox Hieroglyphicorum significet, expendamus. At hîc nulla difficultas, nullum dubium, quin sacræ scalpturæ Latinis *Litterarum duo genera; alterum populare, alterum sacrum.* *Hieroglyphicorum vocis interpretatio.*

tinis verti possint. Cùm igitur hæ notæ sacræ & habitæ sint semper & dictæ, constetque solos sacerdotum filios ad eas cognoscendas admitti solere, probabili mihi collectione concluſurus videor, si dicam, Hieroglyphicis litteris non alia quàm res sacras à maioribus acceptas notari consueuisse; nec cuiquam fas fuisse iis res profanas designare. Ad harum enim scriptionem cõmunes & in vulgus notas litteras non minus sacrifici quàm plebeij addiscere cogebãtur; ne videlicet sacræ imagines ad religionem tantùm & Dei cultum memoriæ suggerendum à priscis destinatæ, profano vsu inquinarentur & in contemptum venirent. Quod si ita est, non parum illi aberrarunt qui Ægyptios scripserunt antè animalium figuris, quàm communes litteræ inuentæ essent, in quauis re describenda vsos fuisse: quorum sententiæ Tacitus historiæ suæ lib. vndecimo accedere videtur. Quamobrem insigniter Herodotum sacrifici fefellerunt, dum litteras hieroglyphicas gradatæ ad Memphim pyramidis ita sunt interpretati, vt iis significari dicerent, quantum in apio, alliis & cepis operæ absumsissent. Nec minus deceptus est Germanicus, dum Ægyptias litteras senior quispiam sacerdos ad veterem rerum ab Ægyptiis gestarum historiam, aut potiùs fabulam, & priscas diuitias sigillatim accommodaret. Pudebat nimirum eos ignorantiam suam fateri, atque idcirco quæ idonea admirationi antiquitatis putabant, sacris notis contineri comminiscebantur. Nec maiorẽ mihi fidem ea faciũt quæ sunt ex Hermapione ab Ammiano Marcellino allata ad eius obeliſci qui in Circo maximo Romæ iacet sepultus, interpretationem. Diodorus Siculus, qui Ptolemæi Dionysij tempore in Ægypto fuit, fatetur nihil certi de pyramidum auctoribus exstare, & quosdam fuisse qui conditores earum ante ter mille annos & eo amplius obiisse dicerent: quæ quidem annorum supputatio vt maior est quàm vera chronologia ferat; ita satis docet ante omnem annalium scriptorum calculum has immẽsas moles in Ægypto erectas fuisse, & tum simul litteras etiam hieroglyphicas vel inuentas vel illatas. Ne miremur ergo si Latini litteras ignorabiles hasce nominarint, quia reuera iam olim earum lectio nemini fuerit nota. Nobis itaq. verisimile videtur tum de nomine ipso, tum de vtentium professione, hieroglyphicas solis sacris seruiisse: & quia sacerdotes antiquitatem suam & successionem sic computabant, vt Cimbricè dicerent καλὸν κἀγαθὸν ἐκ καλοῦ κἀγαθοῦ, siue, Probum è probo natum esse; quod Herodotus Piromis ex Piromi scripsit, nos Phrom van phrom, siue Ferom van ferom dicimus; non possum mihi aliud persuadere, quàm sacerdotibus sicut litteras; ita & linguam quandam in sacris ritibus peculiarem fuisse, & eam quidem Phrygiam siue nostratem, quam Lucanus rectius Magicam linguam nuncupauit quàm ipsemet cogitarit; eo nimirũ quòd in hac sola vera magia, siue vera cognatio rerum exprimatur, seruata etiam vocum & rerum significatarum inter se cognatione, quam nulla alia lingua custodit. Sumam igitur hoc mihi nunc quod pòst exemplis suo loco adducendis dẽmonstrabo, Litteras hieroglyphicas non Ægyptio sermoni scribendo, sed Phrygio accommodatas fuisse; & ne potuisse quidem ad aliam linguam referri, propterea quòd, vt modò luculento Hermarum exemplo ostendi, symbolorum vocalium & scriptorum ea debeat esse cõuenientia, vt eandem notionem & vox exprimat & figura. Quid? quòd crebrò hæc occulta & ænigmatica sententiarum notatio non tam è rebus aut pictis aut sculptis, quàm ex ipsarum rerum nominibus depẽdet, quod in Canopo mox perspicuum reddam. Adde quod contrà etiam ipsa rerum nomina non rarò de symbolica ratione dependeant, vt Alauda nostra clarissimè demonstrabit. Hinc efficitur, vt Hieroglyphicorum interpretatio ab aliis frustra quæratur, quàm ab iis qui linguæ eius sunt periti, ad quam hæc per tesseras loquendi ratio est applicata. Nunc igitur sic statuamus, Hieroglyphicas notas omnes eas fuisse quibus Cimmerij sermonis periti ad res sacras per inuolucra tradendas vtebantur; nec quidquam obstare quò minus litteris etiam communibus ad eundem scopum vterentur. Quamuis enim Ægyptij eisdem litteris sua scriberent, non tamen ex iis figuris in notitiam eorum veniebant quæ à Cimmeriis per eas intelligebantur, propterea quòd nomina quibus vocabantur, nihil iis denotarent quod ad figuræ faceret explicatum. Demus, Aleph eadem forma apud Ægyptiam plebem qua apud Phrygios pingi solere, ex eo tamen non efficitur vt Ægyptius sciat quid Phryx aliúsue Cimber per figuram Aleph designet. Ignorat enim Aleph adhortationem denotare qua viuere iubeamur: quo fit vt ne figuræ quidem intelligentiam facilè assequi possit;

Hieroglyphicis notis sacra tantùm res notantur.

Herodotus deceptus ab Ægyptiis sacerdotibus.

Ægyptios sacerdotes Cimbrica lingua in sacris vsos.

Hieroglyphica nota Phrygio sermoni accommodata fuerunt.

Hieroglyphicorum interpretatio à quibus petenda.

possit; quam nos simul ac nomen audimus, statim vitæ significationem habere cernimus; ad eum omnino modum quo intelligimus, columnam cui caput impositum est, & vocabulum Thoot, quo ipsum caput denotatur, eiusdem omnino rei notionem repræsentare: quod nemo hactenus vel Ægyptiorum vel Græcorum aut est assecutus, aut assequi omnino de suo quidem sermone potuisset. Similiter fulmen in manu statuæ virilis cernentes euestigiò Cimmerium Iouis nomen, quo eum Donder nuncupamus, in mentem venit; eo quòd Donder significet tonantem: vnde dies Iouis Donder dach vocatur. Nec aliter dum alas in capite & talaria in pedibus pulcerrimi iuuenis videmus, mox Mercurij nomen succurrit, propterea quòd magna attentæ considerationis rerum omnium præstantia celerrima sit, momento temporis cælum, mare terrasque percurrens; atque eo semper maiorem nacta vigorem, quo discursu vario plura pererrarit. Alæ igitur & ipsæ iuuentæ flos adamussim cum Mercurij nomine conuenientes, totam nobis symbolicam & statuæ & nominis rationem bellissimè exponunt. Et licet Latini ceterique alterius linguæ homines ad huius rei intelligentiam de adspectabili simulacro queant venire; nullo tamen modo possunt nominis & statuæ nouisse cognationem, nec suam de ipsius significatione sententiam de nomine confirmare. Ægyptij Harpocratem silentio præsidere per digitum labris admotum intelligebant, sed totam ipsius effigiem de nominis notatione interpretari, & ad causas reducere nequiuissent. Quid multis? Omnia adspectabilia siue sacrarum siue aliarum etiam rerũ signa manca sunt, & maximam partem gratiæ perdunt, si nomina iis respondentia non intelligantur. Quamobrem fatebimur litterarum figuras nec Ægyptiis, nec Græcis, nec Latinis, nec Phœnicibus, nec Hebræis, nec Chaldæis aut hieroglyphicas aut omnino symbolicas notas fuisse, tametsi apud Ianigenas non minus quàm quæuis aliæ huius generis imagines in sacris notis & essent & haberentur; propterea quòd ad earundem prorsus rerum notationem à primo artifice comparatæ essent, quæ per ipsa litterarum nomina significarentur. Hinc efficitur, non de omnibus hieroglyphicis symbolis homines plebeios sermonis nostri peritos celatos fuisse; sed ad earũ admissos cognitionem quibus vocum elementa notarentur. Quamuis igitur Aleph, Bet, Gimel, Dalet, & cetera eiusdem classis nomina apud alias gentes non alij vsui quàm litterarum figuris & potestati notandis in alphabetica enumeratione seruiant, nobis tamen præter litteras & earum potestatem aliam habent vlteriùs significationem, & eam omni ex parte adamussim ipsis nominibus concordem, & idcirco si in saxis scalpantur, hieroglyphicæ notæ dicentur. Summatim enim & vno verbo nihil aliud est signum hieroglyphicum, quàm rei sacræ symbolum materiæ cuipiam incisum. Vt igitur Hebræis daremus aliquid litterarum nomenclaturis in ipsorum sermone denotari, id tamen tale esset, vt nihil faceret ad litterarum figuras enucleandas. Verumenimuerò hîc mox quæsitum iri video, quænam illæ sint litterarum notæ quibus hæc nomina respondeant. Id licet non aliis argumentis possem docere, attamen vel de hac ipsa vocum & figurarum concordia manifestarem. Nam si rogetur vtrum præstantioris sit artis, magisque deceat litterarum inuentorem, imagine sue nominibus in significando conuenire, an non conuenire? neminem puto fore tam rationis omnis & communis sensus expertem, vt dicere audeat, nullum esse in his duobus laudis discrimen; nedum conuenientiam artificiosam figuris, nihil facientibus ad nominum significationem, posthabere. Quoniam itaque litterarum inuentionem singulari Spiritus sancti gratiæ tribuimus, necessariò nobis erit fatendum, in omni litterarum apud diuersas nationes varietate eas, vt præstantissimas, ita antiquissimas esse, quæ ad vnguem quadrant ad ipsorum nominum significationem. Quòd si præterea huic conuenientiæ certa & minimè dubia Ogeniæ antiquitatis monumenta accedant, impudentiæ magnæ fuerit, his reiectis, alias vel quærere vel præferre litterarum figuras. Nos igitur, ne sæpius idem agere cogamur, in singulis litteris antiquas earum formas delineabimus, additis rationibus quibus ita faciendum esse demonstretur. Magna enim diuersitas est characterum, non apud omnes modò nationes; sed apud singulas etiam, dum aliàs alia placuit pingendi ratio, nec eandem omnes eiusdem linguæ homines vsurpant. Quamobrem nos nihili facientes commenticias quorumuis vel populorum vel singulorum hominum notas, eas solas explicabimus in quibus symbolica & hieroglyphica ratio ipsis nominibus accommodata reperitur. Quemadmodũ autem

Iouis statua & nomen Cimmerium.
Donder.
Donderdach.
Mercurij statua.
Litterarum figuræ solis Cimmeriæ hieroglyphicæ & symbolicæ.
Hieroglyphici signi definitio.
Litterarum figuræ præstantissimæ & antiquissimæ quæ sint.

litteræ nomen noſtratis eſſe originis Hermathena noſtra demonſtrat; ita hîc obiter annotabo γράφω Græcorum & Scribo Latinorum natales ſuos ſermoni noſtro acceptos ferre debere; atque inde etiam probabile reddi, ſcripturæ principē noſtra lingua vſum fuiſſe. Graf omnem foſſam denotat; cui & ordine litterarum & notatione Barg contrarium eſt, quo mons notatur. Nos tamen, b in f mutato, Graf dicimus, à Gar-af, id eſt, omnino deorſum: quo dum vt verbo vtimur, idem ſignificatur quod fodio; non ruſticis modò notum, ſed illis etiam qui foſſularum ductibus vel in ligno, vel in ære, vel alia materia quidquam delineant. Ex hoc igitur poſteriore vſu Græci γράφω retinuerūt, f in φ, pro eo ac litterarum vis poſtulat, mutato: vnde γράμματα pro litteris vſurpata, potiore iure de inciſis vel effoſſis litteris, quàm de pronuntiatis vel pictis dicerentur. Hinc liquere credo, antiquiſſimos illos tabulis ligneis ad notas temporarias vſos fuiſſe, perinde vt ad diuturnas & perpetuæ memoriæ deſtinatas ſaxis & ære. Libri nomen, cortices ad hunc eundem vſum adhibitos fuiſſe, demonſtrat; qui ſic dicuntur, quòd arborem, ne quid exterius patiatur, defendūt; quod Li-war nobis ſignificat. Adde maiores tabularum moles iam ad iuſtam trunci magnitudinem excreſcentes, codices dici; qualibus mercatores ad accepti & expenſi rationes deſcribendas vtuntur: atq. eo modo Cicero inter aduerſaria & codicem diſtinxit. Nomen quo noſtrates vtuntur, non à materia, quæ aliis ſeculis alia fuit, ſed à primario librorum vſu acceptum. Librum enim Boir vocamus, à Boi-ken, quo ſignificatur mandata noſce. Nam ad illū maximè finem libri olim fiebant, vt præcepta Dei à maioribus accepta & patrias leges cognoſceremus. Bie idem eſſe quod præcipio ſiue mando, non ſemel in aliis tradidi; à quo præteritum imperfectum Boi ſiue Boe: vnde Boiorum nomenclatura. Boeken igitur, & per apocopen Boek, idem eſt quod mandata noui, ſi in prima perſona liber loqui intelligatur; vel mandata noſce, ſi ad eum modum vox capiatur, vt nos liber nomine ſuo videatur commonere ad quoduis genus præceptorum cognoſcendum. Neſcio ſanè an cuiuſquam vnquam mortalium tanta fuerit eloquentia, vt perpetuam nomenclatoris noſtri vigilantiam verbis vllis aſſequi poſſet. Sed quid ego de eloquentia nugor? Hoc ſcio, neminem viuere cuius ingenij captus tantus ſit, cuius tanta ſollertia, tanta ſagacitas, vt vel ſexcenteſimam ſedulitatis & artificij partem comprehendat, nedum verbis exprimere poſſit. Satis igitur mihi ſit tantillum dixiſſe, in hac vocula boek definitam eſſe omnem libri cuiuſuis vel ſcribendi vel legendi rationem: à qua ſi diſcedat, Cimbrica hac nomenclatura ſit indignus. O grauem cenſuram, & ſemper in animo iis habendam, qui vel ad ſcribendum, vel ad legendum ſeſe componunt, ne rebus inutilibus & nihil ad recta vitæ inſtituta facientibus, tempus, res omnium & pretioſiſſima & fugaciſſima, teratur! Bonæ Muſæ, quot libros vna hæc vocula proſcripſit! quot chartas miſerè perditas eliminauit! quot in exſulium inanium librorum, ne dicam bonis moribus noxiorum, protruſit auctores! Videmus modò diuinarum legum volumen primas ſibi inter omnes libros vindicare, & ratione quadam principe & plus quàm herculana boek debere nuncupari; ac deinde ceteros codices tanto hac nomenclatura eſſe digniores, quanto plus vtilium præceptorum ad rectum vitæ curſum tenendum lectoribus exponunt: at eos in quibus non modò nihil eſt doctrinæ ſanioris, ſed claſſicum etiam canitur ad ſpurcam vitiorum turpitudinem, quiduis potius quàm boeken vocandos. Ceterùm nullus exitus inueniretur, ſi nominis huius admonitionem, licet quatuor dumtaxat litteris comprehenſam, & eius vtilitatem latiſſimè patentem perſequi vellem. A Boek arbor illa nomen accepit, quæ veterum Germanorū iudicio aptiſſima viſa eſt, vt ex eius aſſulis tenuiſſimis codices compingerentur. Eam Græci Oxeam dixerunt, Latini Fagum: quidam etiam quòd in tenuiſſimas laminas ſcinderetur, Sciſſimam vocarunt: cuius hiſtoriæ memini me aliàs non parum lucis, priùs à ſeculi noſtri hominibus haud viſæ, intuliſſe. Profectò nulla arbor eſt quæ ſe patiatur in tenuiores aſſulas findi; cuius quotidianum & vbique obuium documentum cùm alia, tum vaginæ gladiorum nobis exhibent. Habeo hactenus libellum ſatis ſpiſſum ex hac materia confectum; nihil vt veteres mirer ante lineæ chartæ inuentionem hanc arborem ad libros delegiſſe. Nec credo ſanè, cùm huius copia non deeſſet, ex alia tabulas confici ſolere. Vt igitur Liber ab vſu & fine ſuo Boek vocatur; ita arbor quæ libris materiā ſuppeditare conſueuit, Boekenboom, id eſt, librorum arbor vocata eſt. Porrò quò tabulis eiſdem ſemper vti liceret,

cera

γράφω & Scribo Cimmeriā habere originem.

Graf. Barg. Graf.

γράμματα.

Libri etymō, & Cimmeria nomenclatura.

Codex.

Boic.

Bie.

Boy.

Boek.

Librorū materia ante chartæ lineæ inuentionem.

Sciſſima arbor.

Fagus in tenuiſſimas aſſulas ſe ſcindi patitur.

Boecken-boom.

cera inducebatur; quæ ſtylis exarata, & variis foſſularum ductibus excauata, ſermonem denotabat. A Graf igitur, quod eſt fodio, γράφω ſuum cum tota ſobole Græci acceperunt; & ab eius præterito imperfecto nos Griefie pro ſtylo habemus; quam vocem ad ſurculos quoque quos fodiendo inſerimus, tranſtulimus: quod monitum volui, ne quis Griefie à γραφὶς manaſſe crederet. A Griefie fit Griefier/ pro eo cuius officium eſt ſtylo aſſiduum negotium in curia exhibere. Verùm Latinorum ſcribo à noſtro item verbo manauit. Scrib enim Germani ſuperiores, Scrif noſtrates dicunt: cuius verbi ratio eſt à Scrab petenda, & huius rurſus à Crab. Crab idem eſt quod frico; vnde Crefen & Crefelen/ pro leniter & cum pruritu quodam fricare. A Cref per metatheſim Latini frico fecerunt. Nunc qui tanta vi fricat, vt ductus ſui ſignum depreſſum relinquat, is Scrabben dicitur, ſibilo vehementiam addente. Hinc Scrib vocali longa, ſiue, vt ſuperiores Germani pingunt, Screib/ pro quo nos per digamma, quod in fine vocum amamus, Scrif dicimus: vnde Scref lineam deſignat. Hinc liquet tum Græcos & Latinos à noſtratibus vt verba, ita rem quoque ſignificatam quondam accepiſſe; tum ſcriptionem omnem principiò depreſſis foſſulis conſtitiſſe, atque hactenus hieroglyphicis notis ſimilem fuiſſe. Poſtea Ægyptij papyrum inuenerunt; de cuius compingendæ, glutinandæ, plicandæque ratione in littera Vau nonnihil è Plinio aliiſque adferemus. Alij etiam, in quibus pergameni maximè celebrantur, membranas ad librorum materiam præpararunt: qua certè neſcio an elegantius quicquam aut durabilius adhuc ſit inuentum; tametſi & linum & lana xylina chartas nobis dent pulcherrimas. Nolo in hoc comparationis deſcendere certamen, in quo non deſunt vtrique parti inſignia laudis argumenta, quæ vix vno libro, quamuis ſpiſſo, queant explicari. Profectò quiſquis lineam & goſſypinam chartam primus inuenit, næ is rem inuenit, vt humanis vſibus vtiliſſimam; ita facillimam comparatu. Chinæ optimam iam olim faciunt, è qua librum vidi oblongiorem quàm latiorem, ante aliquot annorum centenarios, vt videbatur, typis excuſum. Emporeticam eorum & candidiſſimam & ſubtiliſſimam, ſed tenuiorem quàm vt atramentum non bibat & tranſmittat, domi habeo; & à Luſitanis paſſim pro mercium inuolucris adferri videmus. Poſt papyri igitur, membranæ, chartæ lineæ goſſypinæque vſum, litterarum figuræ pingi cœperunt: quæ res quia in locum ſcriptionis ſucceſſit, & ad eundem finem comparata eſt, in poſſeſſionem quoque venit vocum antiquarum, licet earum primæ veræque rationes ex alio principio ducantur. Hebræorum verbum quo Scribere denotant, longiùs ab origine receſſit, propterea quòd multarum conſonantium in vna voce impatientes, omnia ferè vocabula miſeris modis truncare conſueuerunt. כתב enim à Bort-telim deriuari non dubito, ſolo n reiecto, & verbo præpoſterè pronuntiato; quo ad verbum ſignificatur, Librum notare. Quid autem eſt librum notare, quàm litteras in eo ſcribere? Quòd ſi nullam aliam etymologiam Hebræi domi ſuæ reperiant, & hæc ſit ratio clariſſima; quid ni dicamus Hebræos ab iis ſcriptionem didiciſſe, à quibus verbum, quo res ipſa deſignatur, acceperunt? Si roges, vnde Latini Dialecticam, Grammaticam, Rhetoricam, Geometriam, Arithmeticam, Aſtronomiam, Muſicam, ipſam denique Philoſophiam habeant; nemo erit qui non mox reſpondeat, omnes has ſcientias à Græcis acceptas eſſe; & eius rei certiſſimum ſignum in ipſis vocabulis remanſiſſe. Quamobrem effrontis potiùs hominis & impudenti peruicacitate quiduis negantis, quàm ſani & amantis veritatis eſſe videatur, ſi quis hanc rationis concludendæ formulam contemnens, aliunde res ipſas, aliunde proprias earum voces veniſſe contendat. Neſcio an hîc de פָּרַר & eius cognatione verba facere debeam; & rationem addere, cur non ſolùm recenſere & numerare, ſed narrare etiam & nuntiare & quandoque ſcribere deſignet. Nobis certè clarum eſt, quòd Wſ-bar/ vnde Wſ-par/ ſignificet quouis modo dare cognoſcendam rem quampiam; quod fieri poteſt numerando, narrando, ſcribendo & nuntiando. Bar enim nobis idem eſt quod in lucem edo: à quo vtrumque verbum apud Latinos & Parco & Pario, & apud Hebræos בָּרָא pro creare. Hinc Wſ-bar ſiue Wt-bar/ quod eſt idem, expono, enarro, ſiue generatim quauis ratione notionem mentis meæ exteriùs aperio & declaro. Hinc igitur פָּרַר, in quo verbo duo fuerunt Hebræis commutanda; alterum, vt vocalis ipſi Sigma præpoſita reiiciatur; quoniam nefas ipſis habeatur, vocem vllam à vocali capere exordium: alterum, vt hæc vocalis in eam mutetur quæ radicibus ipſorum eſt familiaris. Ab hoc verbo פָּרַר pro libro quo res exponuntur, & מְפָרֵר is qui ex-

Griefie.

Griefier.

Scribo.
Scrib.
Scrif.
Scrab.
Crab.
Creſen.
Creſelen.
Scrabben.
Scref.

Papyrus ab Ægyptiis inuenta.

Pergameni membranas ad librorum materiã præparauerunt.

Charta linea & goſſypina.

China optimam chartã iam olim fecerunt.

Litterarum figura quando pingi cœperint.

Scribendi rationem Hebræos à Cimmeriis accepiſſe.

Bar.

Pario & Pareo verborum etymon.

ponit quicquid vel ſcribit, & סְפָרוּת ſcripturam. Ex his coniecturam facias, Hebræíſne nos, an illi nobis tradiderint ſcribendi rationem; atque adeò vtra lingua prior ſit & antiquior habenda. Quando igitur luculentis rationibus nunc mihi videor euiciſſe, primam ſcriptionis originem à Deo linguæ noſtræ contributam fuiſſe, totamque eam orationem, quæ litterarum notis recenſendis nuncupata eſt, ex ea interpretationem accipere debere, tempus eſt vt cauſſas reddamus, cur ſuam quæque littera ſortita ſit figuram.

LIBER III.

Scribẽdi progreſſus vter ſit rectior, Hebræorũne an Latinorum & Græcorũ.

VERVM quò id minùs eueſtigio aggrediar, facit illa dubitatio quam mox ab initio hîc video exoriri. Magno enim plurimorum applauſu ab Hebræis iactari ſcio, ſe rectum ſcribendi progreſſum tenere; Latinos & Græcos dum contrario ductu pingunt, prorſus à primis exarandorum characterum inſtitutis aberrare. Se enim à dextris ad ſiniſtra in ſcribendo progredi, primi mobilis hac in re ductum ſequentes: eos qui ex aduerſo litteras ſcribunt, planetarum ſiue etronum curſum tenere; & quanto ille quàm hic naturæ conuenientior eſt, tanto ſuæ ſcriptionis modum eſſe præſtantiorem. Argutum, ita me Dialectica amet, concluſionis genus, & vnà cum Diopete Troianorum Palladio è cælo, vt puto, delapſum. Vt tamen hunc Gordium nodum vel diſſoluam vel gladio diſſecem, non Alexandri illo quidem, ſed veritatis præfari oportet, quæſtionem hanc in eo maximè verſari, An litterarum multarum deſcriptio per verſus rectos deducta ad dextram debeat tendere, an ad ſiniſtram. Cùm igitur nec Hebræi nec ceteri vlli verſus ſuos in circulum regredi faciant, ſed per rectas lineas porrigant, non video quid nobis ſit cum orbiculari motione. Quid? quòd ne ſimilitudo quidem vlla ab orbiculari ad rectum progreſſum, ad hanc quam agimus rem transferri poteſt; cùm ille ex ſe in ſe redeat, hic à termino quopiam ad alium tendat, non minùs illi diſſimilis, quàm idem ab alio differt. Vnica eſt Latinorum & Græcorum figura quam circulus abſoluit, in qua liberum cuiuis eſt vt à dextris ad ſiniſtra, & hinc rurſus ad dextra procedat: verùm ne illud quidem aut neceſſarium aut pluribus vſitatum, cùm plerique in hac littera exaranda à ſuperiore parte dextrorſum ad inferiorem, & ab hac ſiniſtrorſum ad ſuperiorem calamum reducant: quod non citra magnam cauſſam facere videntur. Cùm enim hæc littera quandam æternitatis habeat ſignificationem, & in æternitate conſideranda & ad res creatas deducenda ab ipſo apice incipere oporteat, & hinc deſcendere vſque ad infima eorum quæ rotunditate hac continentur, & rurſus inde gradum referre ad ſuperiora, nec ante conſiſtere quàm ad ipſum redieris patrem vniuerſorum; non poteſt figura eius melius delineari, quàm ſi hunc mentis noſtræ motum, atque adeò ipſius opificis ordinem, dum depingitur atque formatur, imitetur. Quòd ſi id quod nos ſupremum dicimus, quiſquam dextrum vocare velit, vti memini à Ioanne Sacrobuſtano rudimentorum ſphæricæ contemplationis auctore ſcribi; dicam nihil mea referre, quas ſibi quiſque in rebus æternis & diuinis ſimilitudines fingat; modò mihi quoque concedatur, id quod reuera ſupremum eſt, ſupremum vocare; non in figura tantùm huius elementi vocalis, ſed in tota etiam rerum vniuerſitate. Sed vtcumque tandem & quoquo modo hæc dicantur, quid inde ad Hebræos, apud quos nulla littera inuenitur quam integer circulus abſoluat? Taceant de primo mobili, planetas accuſare deſinant, qui æquè à ſuis dextris ad ſiniſtra, & inde ad ſua dextra redeunt, atque ipſum primum corpus; tametſi contra primum mobile obliquis curſibus ferantur. Verùm hæc alterius loci; nec quicquam faciunt ad id quod in quæſtionem modò vocatur, quæ de recta litterarum ſerie deſcribenda, non de orbiculari in ſe regreſſione tractat. Repulſis igitur Hebræorum ſophiſtarum nugis, nos ipſam rimemur veritatem; quæ non aliunde clariùs exiſtet, quàm ſi quid ſcriptio ſit, breuiter definiatur. Ea namque luculentiſſima eſt demonſtrandi via & ratio, quam formæ rerum de quibus agitur, oſtendunt. Quamuis itaque ipſa verbi ſcribo interpretatio ſatis declaret quid ſit

O litterarum pingendi modus & ſignificatio.

ſcriptio,

ſcriptio,& ad quod genus rerum ea ſpectet; quo tamen nihil ſcrupuli relinquatur apud quemquam, ſed omnia ſint expedita & libera ab omni obſtaculo, non verebimur rurſus incurrere in illorum criminationem, qui nos nimium didaſcalicos, nimiumq; eſſe curioſos in minutiis quibuſque exiliſſimis diſcutiendis non ſemel obiecerunt. Reſpondebo enim illis quod aliàs crebrò feci, in paradoxis, qualia omnia mea ſunt, docendis nihil mihi videri nimis accuratum; nihilque tam planum, vt non plurimi offendantur. Quid? an non frequenter audiui à viris Latinæ, Græcæ, Hebraicæ & affinium linguarũ peritiſſimis, me rationibus niti admodum firmis, & talibus, vt eas vel reiicere vel frangere nequeant; ſe tamen adduci non poſſe, vt ea quæ docere nitor probent, atque vera eſſe fateantur? Apud hos igitur num quidquam nimium eſſe poteſt, qui ne illa quidem quæ vident videre volunt, aut ſaltem fateri ſeſe quæ vident videre? Sed dicet quis, & optimo iure dicet, apud id genus homines non curioſam modò in docendo prolixitatem, ſed omnem omnino orationẽ, quamuis ſuccinctam, nimiam eſſe: quandoquidẽ perinde eſt ſiue ſurdo canas, ſiue contumaciam ab errore liberare coneris. Nos tamen ſi non aliis, at nobis certè & Muſis canemus. Scriptionem ergo eam vocabimus ſiue actionem, ſiue operationem, quæ linearum ductu litterarum nominibus conuenienti, ſermonem & eius partes ob oculos ponit. Neque enim hîc de quibuſuis notis cuiuſuis arbitratu excogitatis agimus; ſed de illis dumtaxat quæ vim nominum quibus Hebræi in litteris enumerandis vtuntur, exprimunt, & aptis & conuenientibus eorum ſignificationi exponunt figuris. Verùm de his, vt dixi, in ſingulis elementorum nomenclaturis diſputabo, demonſtraturus ſuam ad quodque nomen formam quàm aptiſſimè quadrare; nec melius artificioſiusque poſſe rem per litteræ cuiuſque vocabulum denotatam depingi, oculisque ſubiici. Quemadmodum igitur in figuris accuratiſſima ratio habita eſt, vt nominibus litterarum reſponderent; ita in tota ſermonis per id genus notas delineatione conuenientia quædã & concordia eſſe debet ſermonis & ſcriptionis; haud ſecus atque pictura rem eam quam oculis oſtendere molitur, quoad eius fieri poteſt, ſtudioſè imitatur. Qua de re fit, vt ſi quæratur an dextrã an ſiniſtram verſus ſcriptionem progredi oporteat, conſulenda ſit natura ſermonis; atque diligenter videndum, an locutionem ad nos ipſos an ad alios dirigamus. Nam ſi nobis ipſi loquamur, ſcriptio ad nos tendat neceſſe eſt; ſin aliis per ſermonem cogitationes noſtras ſignificemus, quis nõ videt ſermonis delineationem à nobis exterius porrigi debere, ſi picturam quidem rei pictæ velimus conuenire. Quòd ſi in Panathenaicis virgo quæpiam Mineruæ peplum ſua acu pictum oſtẽdiſſet, in quo deam ſic delineaſſet, vt auerſa à gigantibus ad cælum contendere videretur; an non eam omnes ſpectatores exploſiſſent, ceu contumelioſam & impiam; eo quòd Palladem non inuadentem, ſed fugientem texuiſſet? Quis non exſibilet eum pictorem, qui eum qui foras progrediatur ſic nobis delineet, vt faciem habeat portæ aduerſam? Cùm igitur nemini ſit obſcurum, quin ſermo mentis ſit interpretatio, de qua Ariſtoteles titulum Hermenias mutuatus eſt; non poteſt non perſpicuum eſſe, eum à nobis exterius deſtinari, & idcirco in ipſo pingendo eam ſeruãdam eſſe rationem delineationis, vt clarè demonſtretur exteriùs tendere locutionem. Quid inſanius quàm ſibi quemquam loqui, & verbis ſignificare quid mens intus cogitet atq. meditetur? Hæc cùm ſint perſpicua, reliquum eſt vt conſideremus dextrúmne an ſiniſtrum exterius dicatur; vt hac quæſtione deciſa liqueat in vtram partem tendere ea debeant quæ ſic pingere volumus, vt à nobis exteriùs ad alterum proficiſci denotentur. Quid dextrum ſit, quid ſiniſtrum, vt cuiuis videtur liquere, ita penitiùs conſideranti non admodum facile fuerit definire.

Scriptionis definitio.

Scriptio quà progredi debeat.

Sermo à nobis exterius deſtinatur.

Dextrũ quid & quid ſiniſtrum in animalibus.

Plato hoc partiũ in homine diſcrimen, ſoli conſuetudini & educationi adſcribit, cui natura ipſa videtur reclamare. Quid? an non bruta animantia ſolo ſolius naturæ inſtinctu atque ductu priùs dextrum pedem mouent quàm ſiniſtrum? In hominibus item dextra validiora cernimus ſiniſtris, non ſolũ de conſuetudine exercitationis, ſed ab ipſo mox ortu. Iam nulla in re natura frequentiùs monſtrum producit quàm in dextro & ſiniſtro. Cùm enim illa pars corporis dextra animalibus ſit, in qua hepar venam cauam vel emittit iuxta Galenum, vel ſuſcipit ſecundum Ariſtotelis ſententiam; non rarò videmus in hominibus euenire, vt pars ea dextram manum habeat, in qua lien ſedem habet; quod alius quo nomine velit appellet, equidem monſtrum vocare non verebor.

Quòd

Quòd si manibus & pedibus id accidat, maior erit ab ordinaria naturæ constitutione discessus. In his itaque in quibus contrà ac in ceteris dextrum habetur, manifestum est non tam consuetudini quàm naturæ dextri & sinistri in corpore differentiam adscribi oportere; cùm in iis nulla cura & exercitatio efficere queat, vt non ea parte sint robustiores & ad motionem promtiores in qua splen collocatur. Adde quòd quidam sic à natura sint comparati, vt vtraq. manu æque valeant, atq. idcirco ambidextri & sint & vocentur. Non eo interim infitias, magnas quoque vires esse consuetudini, quam lubenter fatebor alteram esse illam quidem naturam; sed tamen sic alteram, vt & secunda sit, & minus virium habere censeatur. Veriſſimum enim illud est,

Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.

Dextri & sinistri in corpore differentia naturæ, non consuetudini adscribenda.

Consuetudo altera natura.

Ex his quæ quotidiana nobis experimenta demonstrant quæstio existit, in quo dextri & sinistri in homine, vt de ceteris taceamus, principium sit collocandum. Nam si vel in corde, vel in hepate, vel in cerebro id ponas, necessariò confiteberis aut idem in omnibus dextrum esse, aut has primarias partes non in eadem sede in omnibus hominibus locari. Atqui & cor & hepar & cerebrum eundem situm in eo habet qui ordinario & communi hominum ritu dextris & sinistris partibus præditus est, atque in illo qui contrario modo partes has possidet. Cùm dextrum & sinistrum propria sint animalium ad progrediendum natorum, in iis oportet vel solis, vel prius quàm in aliis, huius discrimi-nis causſa quæratur. Quoniam autem dextrum in latitudine, sursùm & deorsùm in longitudine, antè & retrò in altitudine capiuntur, & hæc omnia in peculiaribus motionibus considerentur, ita vt Superum quidem nutriendi, Dextrum progrediendi, Anterius sentiendi principium sit; videamus quibus instrumentis progressus fiat, & à quo principio descendat. Aristoteles dextra omnia in animalibus calidiora & validiora & efficaciora esse dixit, atque adeò in agendo tantùm, non etiam in patiendo, dextrum notari; & ideò non inueniri in sensibus qui patiuntur ab iis quorũ occursu mouentur, nihil contrà in ipsa actionis edentes. Idem auctor est, dextra viscera omnia præstantiora & nobiliora esse sinistris; vt hepar liene, renem dextrum rene sinistro, & id quidem in calore & propriis operationibus. Quando igitur prima caloris sedes in corde est, & inde per venas tamquam per canales totum corpus irrigetur, & sanguinem vti alimentum suscipiat, atque etiam è corde nerui oriantur, iuxta eiusdem sententiam in corde dextri & sinistri ratio quærenda erit. Atqui cor in omnibus hominibus eundem situm habet, ac parte sui dextra qua venam cauam ad hepar emittit, calidius est, si credimus eidem magistro. Quo fit, vt necdum mihi liqueat, cur quidã contrà ac ceteri partem dextram eam habeant in qua lien est. Medici partem cordis sinistram calidioris sanguinis & eius qui per arterias fertur statuunt officinam, & neruos negant à corde exoriri. Maior igitur hîc controuersia & altercatio aperitur, quàm vt tota hoc loco sit persequenda. Satis esto eam indicasse. Porrò cùm motus ille cuius proprium dexrrum & sinistrum Aristoteles fecit, à neruis oriatur; necesse fuerit, vt nerui eius partis in qua hepar est, calidiores sint in omnibus corporibus in quibus idem est viscerum situs: vnde rursus efficitur, vt nemo vel ambidexter esse, vel læua manu pro dextra vti de naturæ quidem ratione possit; cui rei quotidiana aduersantur experimenta. Nos igitur viscerum eorum quæ ad motum eum in quo dextrum & sinistrum spectantur, nihil faciunt, nulla habita ratione, ad neruorum exordium adscendemus; & in eo partem illam considerabimus quæ spinæ medullam emittit; propterea quòd ab hac nerui manus & pedes mouentes procedant, vti rami à primo trunco in cerebro radicato enati. Quoniam verò certis morborum argumentis deprehendimus alteram huius partem citra alteram lædi impediriq̃ posse, vti in paralysi alterius lateris videmus; dicendum videtur, communem & ordinariam naturæ regulam esse, vt ea medullæ pars quæ hepar propiùs adspicit, validiores calidioresq̃ ramos emittat quàm altera. Verùm in paucis contrà euenire, & id esse inter monstrosa recensendum: cuius causſa vel è patris semine, vel ex vtero matris petenda; non verò ex hepate vel dextro cordis ventriculo, vti Aristoteles videtur sensisse. Quòd si nunc vlteriùs roges qui dextrum in cælo sit ponendum, breuiter dicam, Aristotelis rationem hac in re mihi nequaquam probari. Vt enim cælum animal statuat, nullam tamen viam inueniet qua oriens cæli pars potentior & efficacior ad mouendum dicatur quàm occidens; quando cælum sic suis partibus omnibus similaribus constat, vt nec

Positionis differentia vnde sint capienda.

Dextrum in cælo quomodo ponendum, secundum Aristotelem.

maior

maior vis vni quàm alteri parti tribuenda videatur, ad motionem localem ciendam: nec celerius pars orientalis quàm occidentalis feratur, nec item prius illa quàm hæc queat cieri; tametsi motionis principium cælo tribuas. Quid quod cælo à principio interno nulla pars vel oriens sit vel occidens; sed tota hæc res ei tribuitur collatione eorum quibus sidera oriuntur, & idcirco sit externa. Iam cùm dextrum & siniſtrum priorem differentiam, quæ supero & infero continetur, requirat; si Peripateticus verum asserat, necessariò confitendum, non magis dextrum cælo quàm superum inesse. At superum non inest, eo quòd non nutriatur. Quamobrem si dextrum & siniſtrum in cælo quærantur, per solam comparationem ad ea quibus dextrum est & siniſtrum in eo poterunt inueniri. Quocirca si dextrum à calore & efficacia ducas, Sol in cælo suo dextra pars erit; & item in reliquis ea pars quæ plus virium habet. Sed hoc absurdum, nec pertinet ad motionem localem. Restat igitur, vt si in cælo dextrum & siniſtrum collocetur, ea ratione qua in animalibus progredientibus dextrum illud sit quod ad mouendum, siniſtrum quod ad quiescendum magis idoneum videtur; & id quidem in latitudine, in qua sola dextrum & siniſtrum consideratur: Latitudo autem corporis sphærici ab axe ad circumferentiam computanda. Quoniam enim Mathematici lineam definiunt imaginarium puncti ductum, superficiem ductum lineæ, corpus ductum superficiei; videndum quæ superficies ducta sphæricum corpus constituat. Id Euclides ceteriq́ue Geometræ definierunt, dicentes globum illud esse corpus quod nascitur è ductu superficiei; quæ fixa diametro tantisper mouetur, dum eò redeat vnde principio cœpit moueri. In hoc motu si dextrum quæras, peripheria dextri pedis rationem habebit, axis verò pedis siniſtri. Quod si in medio peripheriæ inter polos Solem colloces, & vnà cum superficie moueri intelligas, pars vnde moueri incipit, terminus à quo; pars ad quam mouetur, quæq́ue maximè distat, terminus ad quem fuerit: & quia id à quo animal mouetur posterius est, id ad quod, anterius; res planè contrà fuerit supputanda quàm Aristoteles fecit. Fingas enim cùm ipso cælum moueri cœpisse, & illum esse orientem, vnde motionem secundum latitudinem exorditur; certè peripheria dextra erit, axis siniſter, oriens posterior, & occidens anterior. Quando enim homo progreditur dextro pede, siniſter quiescit; & si continuò dextrum pedem promoueat, siniſter axis & partium circa axem rationem subibit, dexter circulum absoluet; haud aliter atque in circino cernitur fieri, in quo si roges vter pes dexter sit, quis non eum dextrum vocet qui mouetur & circumducitur? Relicta igitur hac consideratione dextri & siniſtri in cælo ex positu partium ipsi ingenito, transeamus ad comparationem eam quam Aristoteles comminiscitur, vt videlicet cælo ex collatione corporis humani, cui globus circumscribatur, consideretur; videamúsque quàm feliciter hoc ei succesſerit. Sumit illud dextrum esse à quo motus incipit, atque ex eo colligit orientem dextrum esse, & occidentem siniſtrum; quod est absurdissimum: eo quòd dextrum & siniſtrum non inter terminum à quo & terminum ad quem à quoquam statuantur, nec statui quidem possint; cùm ea quæ progrediuntur naturali ductu ad anteriora ferantur, & inter antè & pòst dextrum & siniſtrum nequeat computari, nisi hæc de quibus agimus positus discrimina confundantur. Quis rogo ferat, si homo dicatur à dextro progredi ad siniſtrum, cùm ipse sermo ipsaq́ue natura clamet nos anteriùs progredi, termino à quo posteriùs relicto? Inepta est itaque hæc Atlantis descriptio, & prorsus cæli motioni repugnans. In ceteris enim dum pars dextra mouetur, siniſtram quiescere oportet; quod fieri in axe & peripheria dixi, & in circino clarè cernitur. Quamobrem Peripatetici argutiis relictis, quibus Pythagoreos oppugnat; nos aliud consilium eiusdem secuti, quo censet vnicuique in sua scientia credendum esse, Astronomos rogemus quid dextrum, quid siniſtrum in cælo appellent. Apud hos profectò longè alia ratio dextri supputatur, in qua naturæ ductu obseruato, anteriùs & posteriùs in motu locali inter terminum à quo & terminum ad quem constituuntur; atque ita Sol progrediens anterius spectat, quo fit dextrum eius latus Septentrionem, siniſtrum ad meridiem vergat. His consentiunt Poëtæ vetustissimi scriptores, quorum hac de causa auctoritas non est negligenda. Illis igitur quia in sua scientia versantur, his quia primo homini à Diis edocto proximi fuerunt, credere debemus. Cosmographorum clara est sententia ex iis quæ de longitudine & latitudine locorum scribunt, quorum hæc inter polos

Sphæricũ corpus quid sit.

Dextrum & siniſtrum in cælo quid secundum Astronomos & Poëtas.

& cir-

& circulum æquinoctialem capitur, in meridiano ſupputanda; illa inter orientem & occidentem, in æquinoctiorum circulo conſideratur, vti in progredientium ſpatiis metiendis fieri debere natura ipſa demonſtrat. Quod ad Poëtas attinet, nihil dubij fuiſſet, niſi Simplicius Homerum ad Peripateticam tuendam abſurditatem aduocaſſet. Verſus quos indicat, adſcribere placuit:

Homeri locus explicatus.

Τύνη ὀιωνοῖσι ταναυπρύγεσσι κελεύεις
Πείθεσθ', τῶν οὐτι μετατρέπομ' οὐδ' ἀλεγίζω,
Εἴτ' ἐπὶ δεξὶ ἴωσι φρὸς ἠῶτ' ἠελίοντε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

Id eſt, vt nos ex tempore iuxta ſententiam noſtram Latinè vertamus:

Præpetibus mandas auium tu credere pennis,
Aſt ego nil moueor, nec me cura vlla moratur,
Siue ad dextra volent, ſeu tendant Solis ad ortum;
Siue ſiniſtra petant, ſeu captent noctis opaca.

In his non duæ tantùm plagæ, vt Simplicius exiſtimauit, ſed quatuor enumerantur; quod alios quoque ſenſiſſe Euſtathius teſtatur, quos tamen nec de conſtructione verborum, nec de intelligentia verſuum reprehendit. Quid igitur neceſſe eſt ſic Poëtam capere vt ſolus ab omnibus aliis & ab ipſa natura diſſentiat? Cùm enim Poëtæ Soli Apollinem aurigam dederint, non potuerunt committere vt non partem cæli Arcticam dextram, & oppoſitam facerent ſiniſtram. Neque aliter Homerus ſtatuere de his potuit, quando Auroram orienti luci præficit, & eius ductu mortalibus lumen reddi crebrò cantat; quæ dum ex orientis cardine emergit, neceſſariò dextra ſui parte vergit ad Septentrionem. Virgilius, diligentiſſimus priſcæ veritatis inquiſitor, clariſſimè quid hac de re ſenſerit, his verſibus oſtendit:

Zonæ mundi.

Quinque tenent cælum Zonæ: quarum vna coruſco
Semper Sole rubens & torrida ſemper ab igni eſt,
Quam circum extremæ dextra læuáque trahuntur
Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris.

Ouidium vetuſtiſſimos ſcriptores in iis quæ de mundi exordio, diluuio, & aſtrorum poſitu cecinit, diligenter ſecutum eſſe, res ipſa declarat; adeò vt non deſint qui eum Moſis libros legiſſe ſuſpicẽtur. Apud hunc Apollo Phaëthontem rectum Solis iter docens, inter alia cognitu non minùs vtilia quàm iucunda præcepta hoc etiam exponit:

Neu te dexterior tortum declinet ad anguem,
Néue ſiniſterior preſſam rota ducat ad aram.

Hoc loco nemini obſcurum eſſe poteſt, dextram rotam eam vocari quæ ad Arctos ſpectat, quos draco maximus vaſtis ſinibus intortus comprehendit; ſiniſtram quæ cæli partem oppoſitam reſpicit, in qua Aræ monumentum ſtellis conſignatum videmus.

Anguis ſidus in Septentrionali cæli plaga.

Anguem autem Septentrionis plagam tenere Maro declarat his verſibus:

Maximus hic flexu ſinuoſo elabitur anguis
Circum, perq; duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Ouidius item priore libro dextrum & ſiniſtrum in mundo ſic deſcripſit, vt inter polos latitudo, quæ hoc partium diſcrimen facit, contineretur:

Zona.

Vtq; duæ dextra cælum, totidemq; ſiniſtra
Parte ſecant Zonæ; quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemq; plagæ tellure premuntur.

Varro tamen orientem ſiniſtram mundi partem, occidentem dextram facit; poſticam Septentrionem, anticam meridiem: quem Plinius lib. vndecimi capite octauo imitatur. quam cæli partitionem collatione eorum ſibi finxerunt, qui ſeſe ad meridiem conuertunt; vt illa nimirum dextra dicantur quæ nobis ſunt ad dextram. Verùm hæc ratio plebeia eſt, & à poëtis non alibi quàm in auſpiciis & auguriis vſurpata. Sic apud Plautum coruus à læua cantat Euclioni, & apud Virgilium ſiniſtra cornix monet à litibus abſtinendum eſſe. In cælo curſus ipſius ſolis conſiderandus, qui ab oriente in occidentem progrediens, neceſſariò Auſtrinam partem ſiniſtram habet, Arcticam dextram.

Hinc

Hinc Lucanus:

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Lucani locus explicatus.

Deſcribit eos Arabes quibus vltra Tropicum æſtiuum habitantibus vmbræ, dum Sol in Cancro verſatur, Auſtrum verſus meridianis horis porriguntur: qui, dum apud Romanos multo citra ſideris viam militarent, mirabantur vmbras in ſolſtitio æſtiuo ad dextram mundi partem, non ad ſiniſtram ſiue Notiam ferri. Quando igitur clarum eſt Arcticam, cæli partem dextram, Notiam verò ei oppoſitam ſiniſtram vocari; atque ex his teſtimoniis conſtet quî ſint Homeri verſus quibus quatuor cæli partes deſcripſit, intelligendi; reliquum eſt vt videamus, vtra harum partium vel interior vel exterior vocetur, vt eo inuento quæſtio nobis propoſita decidatur. Ne recedamus ergo à poëtis, apud quos certiſſima ſunt vetuſtiſſimæ Ianigenarum diſciplinæ veſtigia. Horatium conſulamus, qui Satyrarum libro ſecundo luculentiſſimam nobis reliquit teſtificationem, ea in cælo interiora vocari, quæ ad Auſtrum ab Æquinoctiorum circulo ſiue iſemerino declinant; & contrà exteriora quæ ab eodem tendunt ad Septentrionem. Eius verba hæc ſunt:

Exteriora quæ ſint, & quæ interiora in cælo.

Siue Aquilo radit terras, ſeu bruma niualem
Interiore diem gyro trahit.

Horatij locus expoſitus.

Eſt quiſquam tam hebes vt hîc non videat interiorem gyrum eum vocari, quem Sol in ſignis maximè ad Auſtrum vergentibus deſcribit? Nihil ſanè mihi magis perſpicuum videretur, niſi Dionyſium Lambinum inſigniter hoc loco ceſpitaſſe cernerem. Is enim dum ad interiores circulos diei refert breuitatem, & eandem circulorum magnitudinem in brumalibus diebus & æſtiuis reperit, tandem eò coactus eſt confugere, vt Horatium dicat neceſſario epitheto rem diſtinxiſſe, & idcirco non interiore tantùm gyro, ſed die niuali quoque brumam denotaſſe; ita vt, niſi nialis mentionem addidiſſet, interior gyrus æquè æſtiuis ad Cancrum circulis atque hibernis ad Capricornum conueniret. Eâdem circulorum deſcriptione alium quoque locum eodem Satyrarum libro declarat, qui ſic habet:

——Ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.

Verùm turpiter vtrobique hallucinatur Grammaticus, dum doctum puluerem indoctis lineis perturbat. Neſcio profectò an Lambinus Turnebum, an Turnebus Lambinum in errorem traxerit; hoc ſcio, in dextri & ſiniſtri, interioris & exterioris, honorationis & minùs honorati loci diſcrimine annotando, vtrumque ex diametro cum veritate pugnare. Si quis igitur me prolixitatis accuſet, is animaduertat me tam illuſtrium virorum auctoritate compulſum fuiſſe ad totam hanc quam tracto materiam diligentiùs accuratiusque verſandam, & opinionem meam maiore opere muniendam; vtpote quam viderem horum arietibus & vineis oppugnari. Priùs ergo illud quod priore loco ex Horatio citaui, bene à me explicari latiùs euidentiusque demonſtrabo: qua in re, quoniam imaginem Solaris curſus propius quàm ipſum Solem Grammatici poterunt intueri, à Circenſibus ludis argumenta ducam. Circum Soli conſecrari Tertullianus teſtis eſt, & idcirco eius effigiem in medio ſpatio de templi faſtigio, vt eius verbis vtar, emicare. Atque hinc adeò obeliſci in Circis poſiti, de quibus pòſt nobis iterum agendum. Caſſiodorus quatuor diuerſos colores quibus agitatorum diſtinguebantur factiones, ad quatuor anni partes refert; quos exponere, & ſymbolicæ rationi applicare, non eſt huius loci. Satis eſto docuiſſe, Circum & agitatorum certamina ad Solis honores pertinere, & iis quoddam eſſe Apollinarium quadrigarum ſimulacrum. Quamobrem ſi dextrum & ſiniſtrum, exterius & interius in Circo inuenerimus; non poterit ignorari qua ratione eadem in Solis curſu ſint collocanda, ſi nobis quidem per æquos iudices à ſacris ſignis, ab antiquiſſima Etruſcorum memoria repetitis, ad ea quæ denotantur, argumenta ducere licebit. Et quid ni liceat? cùm Ouidius ipſe ſideris decurſum ad Circi ſtructuram compararit, ad hunc modum canens:

Circus Soli conſecratus.

——Heſperio poſitas in littore metas
Humida nox tetigit.——

Si quæratur itaque vtra pars dextra Circi fuerit; quis non videt à quouis reſponſum iri,





Circi pars dextra quæ sit.

eam quæ agitatori à carceribus egresso ad dextram esset; & eam dextram rotam quæ dextris gradibus vicinior decurreret? Verumenimuerò, ne in tenebris micemus, id diligenter considerandum, quadrigas dum è carceribus emitterentur in dextro Circi latere, currere, ac dum ad metam venirent, ad sinistrum latus circumagi solere: quo nimirum Phœbo quadrigas ab oriente occidentem versus agenti similem cursum tenerent. Turnebus nec equestri disciplinæ, quæ defensionem exteriorem postulat, vti quilibet, non dico eques, sed lixa intelligit; nec Solari decursioni, nec priscis Circensium ludorum monumentis conuenientia prodidit, dum agitatores dextrorsum equos circa metam agere solere tradit. Quamuis verò cuiuis perspicuum sit, Solem ab Ortu ad Septentrionem declinare, & dum ad Occasum vergit Austrum versus, & idcirco ad sinistram cursum deflectere; eaque de causa eandem viam & rationem in Circensi decursu tenendam fuisse, vti in cælestis decursionis simulacro; addidi tamẽ duas Circi picturas vnà cum agitatorum & quadrigarum imaginibus, quas, vt veras esse omnes intelligant, è doctissimis Philandri in Vitruuium commentariis mutuatus sum.

Ludi Circenses.

In his clarè ob oculos positum videmus, quadrigas è carceribus ad metam per dextram Circi partem cursum tenere; & medium septum, in quo metæ & obeliscus cernuntur, ad sinistram relinqui, ita vt necessariò in reflectendo sinistra rota interior currat, & ad metas propius quàm altera pertingat. Neque enim prisci illi ludorum auctores tam erant stupidi, vt quotidianam Solaris decursionis viam non animaduerterent & notarent; nec tam alieni ab omni iudicio, vt quem viderent, eum in simulacro & Soli sacro & maximis sumtibus summoq. totius populi studio exhiberi solito, non imitandum sibi putarent. Demiror ergo supinam Turnebi, viri ceteroqui priscorum rituum doctissimi, cùm negligentiam tum audaciam in illo Ouidij versu interpretando, qui est

Ouidij locus explicatus.

in altera tertij Amorum libri elegia: *Nunc stringam metas interiore rota.* in quo, vt modò dixi, interiorem rotam dextram esse contendit, contrà atque Solis decursus & eius imitatio in Circis de sacro ritu fieri consueta, ac claris imaginibus à priscis ad posteros transmissa, demonstrat; contrà etiam quàm omnium aurigarum consuetudo, ab ipsis naturæ rudimentis ad nostram vsque ætatem progressa & perpetuò duratura, declarat; apud quos interiùs & ad se equos attrahere, nihil aliud est quàm eos trahere ad sinistram; & exteriùs ad dextram. Porrò quoniam Lambini & Turnebi, & si qui eorum sint pedissequi, auctoritate premor; non fuerit abs re rationum mearum ponderi sacoma aliquod adiicere, quo lanx illorum magis eleuetur. Aduocemus itaque Virgilium ad partes, & in eo pulcerrimum locum ab errore tueamur, quo necessariò ab

Nauale Troianorũ apud Virgilium certamen.

iis sit corrumpendus qui iuxta Turnebi sententiam eum velint interpretari. Describit hîc nauale certamen, & id quidem ad Circi ludos comparatum; quod vt fieret, metam constituit in mari, haud secus ac si in Circi spatiis naues decursuræ essent. qua de re versus hi leguntur:

Est procul in pelago saxum, spumantia contra
Littora; quod tumidis summersum tunditur olim
Fluctibus; hiberni condunt vbi sidera Cori.
Tranquillo silet, immotaq, attollitur vnda
Campus, & apricis statio gratissima mergis:
Hîc viridem AEneas frondenti ex ilice metam
Constituit, signum nautis pater; vnde reuerti
Scirent, & longos vbi circumflectere cursus.

Virgilij locus explicatus.

Et hæc quidem de meta. In certamine verò depingendo inter alia hæc canit Poëta,

Quo tandem mihi dexter abis? huc dirige cursum,
Littus ama, & læuas stringat, sine, palmula cautes;
Altum alij teneant, dixit: sed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad vndas:
Quò diuersus abis iterum? pete saxa Menœte:
Cum clamore Gyas reuocabat: & ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter nauemq, Gyæ scopulosq, sonantes
Radit iter læuum interior.

Est quis-

Est quisquam qui hîc non videat sinistrum nauis latus metæ siue scopulis saxeis, in quorum vertice meta erat, sinistrum fuisse? Potéstne quicquam à Poëta clarius dici? Quemadmodum autem hoc loco læuum & interius coniunxit, ceu multis pòst seculis committendo à Grammaticis errori reclamans; ita paullo pòst docet gubernatorem interiorem metæ proximum inhæsisse:

Namq. furens animi dum proram ad saxa suburget
Interior, spatióque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus hæsit.

Vide quæso quàm eleganter studioséque diuinus vates Circenses decursionis in nauali certamine expresserit, quod eum non dubito feciisse quò ad delphines in Circo ad Neptuni, cuius equus donum fertur, honorem poni consuetos alluderet, & eorum significationem explicaret. Quàm densa ignorantiæ caligo pulcerrimam hanc tabulam obfuscaret, si quis eam Turnebi pigmentis induceret! Verùm licet colophonium hoc debeat suffragium videri, quia tamen latiùs hic error, quem profligare nitor, grassatur; & plura illustrium tum poëtarum tum aliorum loca corrumpit; cogor paullò altiùs eum eradicare. Nam non rectum modò Solaris & Circensis decursionis iter peruertit, sed in honoribus etiam apud priscos de loco tribui consuetis ita perturbauit omnia, vt priora posteriora fiant; & quem veteres honorandum esse censuerunt, eum posthaberi dedecorarique mandet. At quo res hæc clariùs intelligatur iudicarique possit, quærendum, vter locus apud priscos honoratior fuerit, dextérne an sinister? siue exteriórne an interior. Hîc Turnebus & Lambinus citra hæsitationem respondent, dextrum honoratiorem, & eundem interiorem dictum fuisse. Audiamus ergo si placet ipsa Turnebi verba, quæ libri Aduersariorum decimi quarti capite 24. super hac controuersia scripsit, quæ sic exorditur: *Vísne tegam spurco Damæ latus?* Sermonum 2. scribit Horatius: quod quidem illic ab Horatio fingitur ab Vlysse, vt heroë indignum, recusari: & Oppius ait, Deinde post Racilium; nam is latus Cassij tegebat, quasi responsum ab eo peteret, celeriter dato loco, cùm se insinuasset, sinistra corripit eum, dextraque bis ferit pugione. His locis velut chirographis aut testationibus, tegere latus intelligimus esse, latus sinistrum alterius, qui vel ætate vel honore superior est, claudere; quod qui facit, tamquam pro scuto sit quo latus præsertimque sinistrum tegitur, latus tegere dicitur: aut vt qui in acie nobis ad læuam adstat, dum scutum ad dextram vertimus, nudum latus sinistrum protegit. Addit & Flaccus:

Locus vter honoratior, dexter an sinister; interior an exterior apud priscos.

Ne comes exterior, si postulet, ire recuses.

Quis hic exterior comes? nempe qui ad læuam est. Hæc Turnebus & alia, inter quæ Ouidij locum in quinto fastorum libro turpissimè & audacissimè corrupit, lectione germana inducta, & ea loco illius exarata quam nulli omnino codices vel typis excusi vel manu scripti, quos equidem videre potui, admiserunt. versus hi sunt:

Et medius iuuenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior si comes vnus erat;

Ouidij locus restitutus & explicatus.

in quibus Turnebus pro Interior, scripsit Exterior: quod ego simulac vidissem admiratus, cuestigiò plures libros consulo, & inter alios tres in membrana pergamena descriptos, bene vetustos; quorum Theodorus Pulmannus copiam fecit, & simul testis fuit oculatus, in omnibus Interior, non Exterior, haberi. Pudet me profectò tam effrontis in auctoribus corrumpendis audaciæ, & tanto magis pudet, quòd temerarius hic corrector non viderit, & lectionem suam & expositionem ex diametro Naſoni aduersari. Sic enim scribit Turnebus: Ouidius dextrum hominem, qui in honestiore loco est, interiorem putauit, cùm qui ad læuam esset, exteriorem vocauit. Quid ais Turnebe? Vbi est mens tua? Vel hoc vno loco debuisses intelligere, te toto cælo aberrare; dum exteriorem læuum facis. Ouidius enim docet apud antiquos senioribus summos honores tribui solere, & idcirco semper honestiore loco decoratos fuisse. Tu contrà sic fœdas omnia, vt senem minùs honesto loco colloces: nisi fortasse versum quem corrupisti sic construas, vt comes exterior, senex interior fuisse dicatur. Sed quid nostra, quî verba quæ supponis intelligas? Illud certè falsissimum, & quòd Exterior hoc loco apud Ouidium sit legendum, & quòd dexter locus fuerit honestior apud antiquos iudicatus. Cùm enim modò ostenderimus & grauissima Maronis testificatione, & aliis item rationibus

nibus multo firmioribus, siniſtrum latus interius dici; atque Naſo dicat ſeniorem interiore loco ire ſolere ſi comes vnus ſolus ei adeſſet, neceſſaria collectione efficitur, ſiniſtrum latus honoratius olim habitum fuiſſe. Ceterùm, quia Ariſtoteles id quod melius ac nobilius eſt dextro loco in humano corpore conſtitui libro tertio de partibus animalium & earum cauſſis tradidit, ſintque dextra non robuſtiora modò, ſed feliciora etiam habita; non iniuria cuiquam poſſit videri, Romanos etiam locum dextrum in eundo & ſedendo honoratiorem cenſere debuiſſe; & inde conſequens eſſe, me falſam opinionem & comminiſci & tueri. Quamobrem præter rationes priùs adductas illuſtriſſimum validiſſimumque proferam teſtimonium, quo tota hæc quæſtio profligetur. Nihil apud Latinos Virgilio doctius cùm ceterorum, tum maximè rituum veterum, & totius antiquitatis. Is igitur volens oculis ſubiicere quanto honore Æneas Pallanta ſibi à patre Euandro ſumma fide & calidiſſimis votis commendatum perpetuò affecerit, & quam ſe gratum maximis à rege acceptis beneficiis præſtiterit, inter cetera canit, Pallanti ſemper locum datum fuiſſe honoratiorem. Quemadmodum itaque Ouidius ſenem in medio iuuenum honoris cauſſa conſtituit, dum cum pluribus verſaretur; ita Virgilius Pallantem in medio collocauit, his verſibus:

Siniſtrum latus olim honoratius habitum.

Iamq́; adeò exierat portis equitatus apertis,
AEneas inter primos & fidus Achates,
Inde alij Troiæ proceres; ipſe agmine Pallas
In medio, chlamyde & pictis conſpectus in armis:
Qualis vbi Oceani perfuſus Luciſer vnda,
Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes,
Extulit os ſacrum cælo, tenebráſque reſoluit.

Num potuit illuſtriùs honoratiſſimus locus in multis equitum turmis deſcribi? num quicquam dici explicatiùs, num quicquam pulcriùs exornari? Vt verò hic locus illi Ouidiano modò citato, *Et medius iuuenum non indignantibus ipſis Ibat*, reſpondet; ita alteri parti, *Et interior ſi comes vnus erat.* alter quoque locus Virgilij ſic ſimilis eſt, vt ex eo quid Naſo Interioris nomine denotarit, clariſſimè intelligatur. Libro enim Æneidos decimo Æneam & Pallantem ſolos inter ſe conſidere facit, & quem in magna comitum caterua medium conſtituerat, eum hîc collocat ſiniſtrum. Audias igitur canentem:

Hîc magnus ſedet AEneas, ſecumq́; volutat
Euentus belli varios; Palláſque ſiniſtro
Affixus lateri, iam quærit ſidera opacæ
Noctis iter, iam quæ paſſus terráque maríque.

Conferant nunc qui volent Ouidium & Virgilium, & mox videbunt, eum qui alterius honori concederet, dextrum ſemper latus clauſiſſe. Quòd ſi quis adhuc dubitet quanto dextro latere siniſtrum eſſet honoratius, is legat Suetonij Tranquilli verba ea quibus ſuperbiam Neronis in Teridate Armeniæ rege tractando deſcribit; vbi poſt alia contumeliæ plena hæc etiam leguntur; *Perductum deinde in theatrum, ac rurſus ſupplicantem iuxta ſe latere dextro collocauit.* Quis hîc non videt à Nerone triumphante honeſtiorem locum capi debuiſſe, & tanto quidem honeſtiorem, quanto ſe rege triumphato magis auguſtum videri volebat? Hinc igitur perſpicuum fit, perperam Horatij illud à Lambino exponi:

Loca duo Horatij expoſita, & vnus Iuuenalis & alius Oppij ſiue A. Hirtij.

Ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.

Nec meliùs quod ſequitur paullò poſteriùs:

Víſne tegam ſpurco Damæ latus?

Latus enim claudit qui dexter adſtat: quo modo & Iuuenalis intelligendus.

Diuitis hic ſerui claudit latus ingenuorum
Filius.

Quod igitur Turnebus ex Oppio ſiue Aulo Hirtio citauit, ad eandem conſuetudinis antiquæ regulam examinatum faciliùs intelligetur. Nam cùm Racilius Caſſio dexter & exterior comes eſſet, ac locum Minutio dediſſet; Minutius ſiniſtra ſua dextram Caſſij arripuit: alioqui ſi Racilius ei ſiniſter adſtitiſſet, Minutius ſiniſtram, non dextram,

dextram, arripuisset, vti perspicuum est considerãti; tametsi Turnebus alibi occulatissimus, hic cæcutiuerit. Quando nunc de ritu apud priscos Romanos obseruari consueto satis constat; caussa danda esset aliqua, ob quam siniſtrum latus dextro prætulerint; nisi eam modò satis ostendissem, dum dextram manum dixi defensioni dedicari. Ex eo enim efficitur, vt is qui se dextrum nobis præbet, tantundẽ faciat ac si recipiat se loco dextræ futurum, & pericula omnia & omnem impetum propugnaturum. Hinc apud nostrates Wanten & Tru Wanten apparitores vocantur, eo quòd manuum vice sint in defendendo. Want enim idem est quod Wi-hant/id est manus exterior, siue manus quæ longè latéque à nobis extenditur. Vnde pro chirotheca etiam vsurpatur, eo quòd & illa exterior quædam manus esse videatur. Quia verò eiusmodi manus exteriores exteriora pericula amoliuntur, loquendi consuetudo recepit, vt paries etiam, quo homines non minùs quàm manibus defenduntur, Want vocetur. Tru Want fidum apparitorem defensoremque designat. Ex hac vocula Curbantes quasi Cur wanten dicerentur, id est, cærimoniarum & rituum sacrorum defensores; qui Iouis infantis adhuc custodes finguntur, eo quòd cærimoniæ Iouis siue Dei in nobis generandi primam constituant infantiam. Eadem igitur ratio fuit eorum qui dextrum latus apud veteres claudebant, quæ apparitorum & eorum qui alterius sese defensores fore pollicerentur: quo fit, vt tanto minoris haberentur, quanto pluris sunt quæ in corpore defenduntur, quàm quæ defendunt. Cor & cerebrum in nobis maximè muniuntur, & quanto ea costis & craneo & manibus præstant, tanto qui ab aliis defenduntur, defensoribus sunt honoratiores. Ad hanc rationem Cicero respexit, aut potiùs eam declarauit in oratione pro Marcello: Omnésque tibi, vt pro aliis etiam loquar quod de meipso sentio, non modò excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus & corporum pollicemur. Hinc iuuenes senatoribus dextri adstare debebant, quò hi interiore siue siniſtro loco essent tutiores. Ex hac collatione non exiguum in sacris litteris dubium tollitur, quod exsitit è duobus eiusdem Psalmi versiculis in speciem contrariis: Priùs enim Dauid canit; *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*; & pòst interiectis aliquot versibus dicit Domino suo: *Dominus à dextris tuis*. Hîc cùm Christum Dominum suum Vates appellet, & eum ad dextram Deo patri collocet; qui fit vt mox eidem Christo applaudens dicat, *Dominus à dextris tuis?* Quî enim fieri potest, vt Deus Christo & siniſter & dexter bene veréque celebretur? Duplex est igitur consideratio in mentem vocanda, altera vt honoratioris loci de communi antiquorum consuetudine ratio habeatur; altera vt defensio spectetur. Dum igitur audimus, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*; intelligamus Deum patrem siniſtrum vti honoratiorem assidere filio homini facto, ratione carnis quam Christus adsumsit. At pòst dum canitur, *Dominus à dextris tuis*, cogitemus Deum & Christo vti vero homini, & omnibus creatis defensionem esse & propugnaculum, & locum dextræ manus, quæ ad tuendum comparata est, habere. Hîc alij sese non parum torserunt, & nescio an quisquam satis explicatè nodum dissoluerit. Deus itaque omnibus rebus creatis est à dextris, id est, potentissimus est protector, & tamen si de sessione & loco more humano loquemur, nos ei & omnis vniuersitas dextro loco debemus assidere. Eodem modo dum Rex quispiam veri pastoris munere fungens pro grege suo in acie stat, populo suo est à dextris; at si in palatio cum quopiam subditorum velit sedere, eum sibi à dextris collocabit, eo quòd siniſter locus antiqua præscriptione honorem sibi sumserit. Sic Solomon in throno sedens, matrem sibi à dextris collocat, & Besacis filia libro tertio Esdræ dicitur à dextris Regi assedisse, cuius tantùm erat concubina. Nec aliter Ecclesia, quam Dauid Reginam vocat, dicitur à dextris Christo adstare; cui tamen ipse illa altera consideratione est à dextra, quando eius verus custos est & vnicus defensor. Quandocumque ergo Deus in sacris litteris à dextris cuiquam esse dicitur, sic supputanda ratio, vt defensor & propugnator esse intelligatur. Et hæc quidem satis sunto de dextro & siniſtro. Vnus tamen restat scrupulus ex Horatio mihi iniiciendus, apud quem hi versus leguntur:

Si fortunatum species & gratia præstet,
Mercemur seruum qui dictet nomina: læuum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Siniſtrum latus dextro cur prætulerint Romani veteres.

Want. Truwant.

Curbantes vnde nomen acceperint.

Psalmi 109. duo versiculi in speciem cõtrarij consentire docẽtur.

Hîc ſeruum ſiniſtrum videmus, herum dextrum; quo fit, vt quæ diximus videantur vel omnino aduerſari veritati, vel ſaltem perpetua non fuiſſe. Potuiſſem profectò nonnihil hoc loco commoueri, niſi res ipſa clamaret, hîc non honoris inter herum & ſeruum, ſed miniſterij rationem habendam fuiſſe; quæ non poſtulat modò, ſed cogit, vt ſeruus domino ambienti, & dextram ciuibus porrigenti, & ſingulos nominatim roganti ſiniſter adeſſet; tum ne obſtaret ac impediret, tum vt ab interiore parte commodiùs nomina ſuggereret atque inſinuaret. Inter ſeruum miniſtrantem & dominum non honor loci, ſed commoditas & neceſſitas ſpectatur. Num quiſquam tam rudis, vt non intelligat famulum hero tum ſiniſtrum eſſe debere, dum ſiniſtro pedi vel ocreas vel calcaria accommodat? Concludamus ergo, apud Romanos, & non apud Romanos ſolos, ſed apud Hebræos etiam dextrum locum minus honoratum quondam fuiſſe; tametſi hodiernus vſus aduerſetur. Vnde perſpicuum & illud, Dextrum exteriorem, Siniſtrum interiorem vocari, iuxtà ac naturæ inſtinctus omnibus noſtratibus dictat aurigis. Verùm enimuero ſi cauſſarum in foro patroni præuaricari dicuntur, ſi non omnibus armis partes ſuas defendant, quanto magis cogar ego graue facti mei crimen ſubire, niſi illud adducam argumentum, quo nec firmius vllum & euidentius, nec antiquius vllum & venerabilius queat inueniri. Cui rogo potiùs credemus, quàm ei qui & prima ſui origine Deo proximus fuit, & à ſolo Spiritu ſancto omnem edoctus naturæ & cognationem & repugnantiam. Quis verò hic eſt? Is, inquam, qui primus ſuum cuique rei indidit nomen. Latini dextrum dicunt & ſiniſtrum, Græci δεξιὸν καὶ ἀριστερὸν; ſed neutri vocum ſuarum cauſſas hactenus perueſtigare potuerunt. In his dextrum & ſiniſtrum noſtratis ſunt originis, & δεξιὸν ab eadem radice à qua dextrum pullulaſſe non puto quemquam negaturum, qui modò Hermathenam noſtram audiuerit de vocum primordiis diſputantem. Dexter compoſitum nobis eſt vocabulum ex articulo ſiue pronomine De & Exter/ quo Exterior denotatur. Exter formam comparantium ſequitur, ab Ex deriuatum. Ce pro eo ac debet pronuntiatum, Ex habet ſibi vt litterarum ordine, ita ſignificatione etiam contrarium; de quibus in libris de Sapienti interpretatione modò citatis. Quoniam autem Ce vehementer deſiderantis eſt, & Ex abominantis, Ecs illud denotabit quod reiiciendum eſt. Vnde Exter quod à nobis remotum eſt: qua deriuatione docemur, ſolis nos internis bonis inhiare debere; & quicquid tale non eſt, reiiciendum à nobis eſſe. Hinc apud Latinos Ex, Extra, Exterus & reliqua ab eadem radice. Dexter igitur ipſum exterum reddes, ſi De articulum noſtratem per pronomen notabis. Exter autem Antuerpiæ hactenus in vſu eſt frequenti, dum Exter ergiſteren pro nudiuſquartus dicitur. Sunt in ſuburbano Antwerpianorum agro duo loca, quæ quia vacua ſunt & inculta, Lar nomen ſortiuntur; quorum alteri ad dextram ab vrbe exeuntibus ſito nomen eſt Exter Lar/ de quo mox perſpicitur vnde Dextrum apud Latinos dicatur; de quo ſi conſtet, ne de illo quidem dubitari poterit, à quo δεξιὸν ſuum acceperint Græci. Non ignoro interim Euſtathium à δέχομαι vocem deriuare; qua de re nolim diu multum ſue altercari, eo quòd mihi ſatis ſit, in dextro Latinorum apertam eſſe originem; non ex eo modò quod modò dixi, ſed de ſiniſtri etiam interpretatione; quod perinde factum eſt ac ſi dicas Syn neſter/ quod ſignificat idem quod Latinis redderetur, Suum propinquius. Ex his ergo liquet, Dextrum primi nomenclatoris iudicio exterius eſſe, & Siniſtrum propinquius & interius; quod omnem Romani ſermonis conſuetudinem apud Poëtas & ceteros bonæ notæ ſcriptores ſecutam eſſe, exempla à nobis in medium adducta ſatis, ni fallor, ſupérque docuerunt. Quocirca nihil mihi abſurdi dicturus videor, ſi dicam ἀριστερὸν apud Græcos pro ſiniſtro dici; non, vti ipſi fortaſſis arbitrantur, per oppoſitionem mali ominis euitandi cauſſa, ſed quia reuera ſiniſtrum melius ſit dextro, tametſi dextrum corporis latus robuſtius. Quanto enim quæque res nobis interior eſt, tanto melior præſtantiórque cenſeatur neceſſe eſt; idque tanto, quanto quod ſeruit, eo cui ſeruitur, eſt minoris æſtimandum. Verùm clarius id erit, ſi de prima omnium rerum cauſſa cogitemus; ad quam, cùm ipſa immota ſit, omnia feruntur. Idem cernes, ſi dextrum pedem promoueas, idque immoto ſiniſtro facere pergas. Videbis enim ſiniſtrum centri rationem habere, & dextrum peripheriæ ſiue circumferentiæ. Quia verò centrum prius circumferentia originis ratione, quid ni dextrum ſiniſtro poſthabeamus? Adde ſiniſtri eſſe quietem, dextri motionem; & idcirco rurſus, vt in prima cauſſa dixi, ſini-

Siniſter locus interior, dexter exterior eſt.

Dexter vnde dicatur. δεξιός.

De. Exter. Ec. Ce.

De. Exter ergiſteren.

Lar. Exter Lar.

Siniſtri etymon.

ἀριστερὸς.

Siniſtrũ dextro melius & præſtantius.

siniſtrum dextro melius esse. Præterea, quia siniſtrum frigidius, sensuum operationi magis erit idoneum quàm dextrum; & idcirco locus siniſter senioribus, dexter iuuenili tribuitur ætati. Quemadmodum autem in tota rerum vniuersitate Deus Pater centri rationem habet, atque omnibus rebus proxima & intima causſa est, cum qua siniſtrum maximam habet cognationem, vt interpretatio demonſtrat; ita conus ipsius cordis, in quo dilatationis & compressionis vitalis centrum est, siniſtrum latus occupauit; atque hac consideratione seruata, meritò siniſtra pars dicetur non solùm interior, sed tanto etiam honoratior, quanto principium iis quæ à principio proficiscuntur atque dependent, dignius est habendum. Præterea clariſſimum est è siniſtro cordis ventriculo magnam arteriam, quam aortam vocat Ariſtoteles, exoriri; & in ea sanguinem subtiliorem multo quàm in vena caua contineri; & tanto subtiliorem, vt ei duplice opus fuerit tunica, ad maiorem sanguinis tenuioris & præstantioris custodiam; cùm venæ vna simplex sufficiat: quo fit, vt rursus siniſtrum dextro præstet, ac materiam contineat magis elaboratam; & magis idoneam spiritibus nobilioribus alendis, qui ad actiones longè præstantiores, quibus & vita & sensus tum interior tum exterior constat, destinantur: vt hinc non videam qua ratione dextrum siniſtro honoratius aut nobilius dici queat, nisi imperfecta perfectioribus præferantur, & rudis materia materiæ elaboratæ. Iam vt materia se habet ad materiam, ita facultas materiæ præparandæ ad facultatem, & actio ad actionem. Dextra igitur pars, vti ea quæ siniſtræ materiam rudem subministrat, tanto est inferior siniſtra, quanto is qui ligna cædit statuario, & simpliciter quiuis famulus inferior magistro superiore. Non igitur bene colligit Ariſtoteles è maiore dextræ partis calore maiorem partis, nobilitatem, quando maior calor in corpore humano temperatiori calori seruit; & verò ea ratio est maioris caloris ad temperatiorem, quæ sanguinis fibrosi ad subtiliorem, & concoctionis ad sensuum operationem, & eius qui robusto est corpore & rudi mente, ad eum qui corporis viribus minùs ille quidem valet, sed ingenio, sollertia & prudentia excellit. Quoniam itaque sanguis siniſtri lateris in corde rationis & ingenij operationibus quàm dextri lateris propinquiorem suppeditat materiam; necessariò fatendum, rectam nomenclaturam eum posuisse, qui siniſtrum sic vocauit, vt eo illud significetur quod homini propinquius est; quia videlicet propiùs faciat ad eas actiones quæ humanæ menti sunt præcipuæ & propriæ subtilis sanguis, quàm crassus & fibrosus. Sophiſtica ergo concluſio est atque fallax: Si calor frigore nobilior, maior calor in corpore humano nobilior minore; quàm tamen nisi admittas, ægrè Ariſtoteles se tuebitur, si dicat in toto corpore dextrum nobilius siniſtro. Sit sanè hepar splene, dexter testiculus siniſtro, & ren dexter siniſtro nobilior; non tamen ex eo effeceris, vt dexter cordis ventriculus siniſtro sit nobilior; nec item, quòd maior calor præstet temperato. Sed tandem modus esto huic de dextro & siniſtro disputationi, teneamúsque dextrum exterius, siniſtrum interius dici; & hinc siniſtra auspicia sinere illa quidem id quod proponitur fieri, iuxta festum; verùm non dici à verbo sino, vt ille credit; sed à propiore nobis natura: & idcirco dum aues consuluntur, si ad siniſtram volent, rem ostendunt de qua agitur nobis arripiendam; sin ad dextram exteriùs à nobis, abigendam atque propulsandam. Verùm valeat insana auguriorum superstitio; nos ad propositam nobis quæstionem reuertamur: Quòd si dextrum exterius, siniſtrum interius sit; nec quisquam sibi, sed alij loquatur; ac sit scriptura locutionis ad oculum expressa notatio; pessimus pictor sit, & omnibus modis præposterus oportet, qui sermonem sic oculis subiiciat, vt interiùs; non exteriùs tendere cernatur. Quocirca in scribendo dextram versus manus dirigenda, quò adspectabiles notæ sermonem quem exprimunt quàm proximè sequantur. Absurdiſſimos igitur pictores Hebræos, & omnes eos qui siniſtram versus scribunt, esse dicemus; eo quòd perinde faciant ac si quis eum qui egreditur è templo, depingat velut intrantem. Ceterùm obiectum iri cerno arithmeticas rationes sic scribi, vt à dextris ad siniſtra notæ progrediantur. Primùm nego in numeris simpliciter recto ordine describendis nos à dextris ad siniſtra progredi. Contrà enim fieri in numeris ordine pingendis videmus, in quibus primùm Vnum, deinde Duo, hinc Tria, mox Quatuor, & ita deinceps ceteri dextram versus pinguntur. & hæc ratio in multis numeris scribendis seruatur. Quòd si vnus numerus multis denariis vel centenariis vel

Auguria quæ bona, quæ mala.

Scribendi progressus à siniſtra ad dextram rectiſſimus; contrarius absurdus.

Numeros scribendi ratio.

riis vel millenariis constans pingatur, scriptio quidem eundem seruabit ordinem, verùm maior prior minore scribetur, & idcirco maior sinister erit, minori locum occupans plus sortitum dignitatis. Quòd autem in addendo & multiplicando, in quo multiplex additio fit, à dextris ad sinistra pergamus; nihil facit ad scriptionem, sed ad nouam numerorum generationem, in qua quia à minoribus ad maiores numeros fiat progressio, meritò à dextris ad sinistra tenditur, vtpote à partibus ad totum. Quis enim non videt totum partibus suis dignitatis honorisque ratione præstare, & idcirco totum rectè sinistro loco vti honoratiore poni. Contrà dum numeros diuidimus, quia à toto ad partes descendimus, à sinistro loco, vti honoratiore, ad dextrum fit progressus. Quisquis ergo Cifras nobis opposuerit, næ is magnum rationibus nostris adiumentum adferet, quibus docuimus sinistrum dextro honoratius haberi; propterea quòd clarè in illis cernamus, sinistrum locum maiori numero & toti tribui, dextrum minori & partibus. Minor enim numerus maioris pars habetur, licet non sit semper pars talis, vt aliquoties sumta integritatem maioris absoluat. Quoniam ergo totum partibus præstantius est, maior numerus minori præferatur oportet, atque idcirco sinistro loco dignus, vti honoratiore. Hinc perspicuum, cur additio, siue simplex ea sit, siue multiplex, à dextris ad sinistra; & diuisio, siue binarium, siue diuisorem habeat maiorem, contrà à sinistris ad dextra progrediatur. Et hæc satis sunto hoc loco de numerorum notis, quas cur Cifras vocemus tum explicabimus, cùm de duodecim numerorum nominibus & eorum mysteriis & figurarum quibus pinguntur causas agemus: nisi nos antè Deus ad plurium numerum transferat. Cùm igitur hæc obiectio adeò nihil scriptionis ordinem turbet, vt nostram etiam opinionem luculentissimo iudicio & solida ratione confirmet; procul reiicienda erit à laudatæ picturæ officina Hebræorum scriptura. Sed dicet quis, si Hebræi litterarum nomina & eorum ordinem à Iano acceperunt, cur à recta scribendi via declinarunt?

Numerus maior minore dignior.

Profectò dum mecum diligenter reputo, ac causam tam absurdæ ipsorum scriptionis inuestigo, non aliud animo meo occurrit in quo acquiescat, quàm ipsum Cadmum huius rei auctorem primum fuisse; non illum quidem odio gentis impulsum, sed grauissima ratione ductum. Vt enim Hebræos, Chaldæos, Arabes, & ceteras nationes cognato sermone vtentes perpetuò commoneret, linguam eorum à prima lingua insigni corruptela degenerauisse, sic eos locutionem depingere docuit, vt in quouis versu animaduertere possent, sese cancrorum more procedere. Quemadmodum autem ipsorum sermo à perfecto ad imperfectum ceciderat; ita sermonis quoque picturam ad eundem modum fieri voluit primus scribendi magister, non inuidia, non odio, non vlla maleuolentia; sed contrà ingenti beneficij maximi in eos conferendi studio incitatus. Quod verò hoc erat beneficium? Illud nempe: Voluit vt corrupti sui sermonis ipso scribendi ductu perpetuò monerentur; & id quidem tum maximè, dum audirent Ianigenas in Europa contraria via litteras exarare, & eo scribendi modo locutionis naturam sequi. Huius monitionis is fuit scopus, vt è meliore scribendi ratione de sermone quoque meliore & antiquiore cogitarent, & ad eum discendum incitarentur: cuius tandem ea esset futura vtilitas, vt ex eo cognoscerent, eadem sibi per Prophetas significata esse quæ prima lingua artificiosissimo mysteriorum contextu intelligentibus indicaret, atque ex hoc mutuo consensu firmius crederent ea quæ ad Christum seruatorem omnium pertinerent. Quamuis autem tarda admodum huius vtilitatis ratio videatur, eo quòd nemini hactenus post legem Mosi datam fuerit manifestata; non est tamen ea de causa cogitandum, eam numquam ad frugem peruenturam. Occulta sunt diuina consilia, & eorum abyssi nullis vmquam ingeniis explorandi; & quod nobis fieri posse non videtur, id ex illis sæpissimè de improuiso hominibus non opinantibus emergit. Numquam ego fore speraueram, vt ad hanc sermonis nostri notitiam angustus pusilli ingenij mei captus adspiraret, & ecce subitò, haud secus ac furore correptus, Cronias incipio consulere, & accuratè explorare antiquitates: quibus non diu immoratus, mox deprehendo nostrum sermonem primas sibi vindicare debere; ac non exiguis deinde passibus progresso, tam multa mihi arcana sermo noster reserauit, vt ea scribendo assequi nullo hactenus modo possim; atque adeò verear, ne exiguum vitæ meæ spatium vix centesimæ eorum

Hebræorũ absurdi scriptionis ordinis causſa.

mæ eorum parti satis sit effundendæ. Spero itaque aliquando fore, vt non pœnitendi fructus ab omnibus nationibus ex hoc sermone carpantur, doceaturque mirificus legis Mosaicæ & priscæ vetustorum Ianigenarum Theologiæ consensus. Fateor equidem, nisi Moses, & religio Christiana iter mihi præmonstrasset, & totius veritatis ianuam aperuisset, numquam me ad certam arcanorum quæ in sermonis nostris adytis delitescunt, intelligentiam peruenturum fuisse. Verùm postea quàm Ogenia illa & Ogeniis antiquiora, vnaque totam Orphicam mythologiam hinc sacrarum litterarum ductu, hinc sermonis nostri subsidio diligenter rimatus fuissem, & magna ex parte mihi ipse primus enucleassem, non facilè dixero quantum voluptatis ex hac collatione perceperim, quantumque lucis affulserit ad obscurissimarum alioqui rerum caliginem discutiendam atque profligandam. Sed nunc ad pensum nostrum reuersi, singulas litteras examinemus. Verumenimuerò metuendum mihi video, ne hæc prolixa litterarum tractatio prima statim fronte plurimorum animos auertat, deterreat, & antè reiicere nostra cogat, quàm vel minima tenus parte cognorint. Quamobrem mihi videor non malè operam meam collocaturus, si horum stomachos oxyporo aliquo, aut garo, aut halmadibus exacuam; quò litterarum deinde molestiam auidius aut saltem minore nausea deuorent. Quoniam in omnibus olim apud Ægyptios scholis Harpocrates cernebatur, cuius symbolo discipuli officij sui monebantur; non absurdum fore putaui, si & hîc Alphabeto meo præfigeretur. Quòd si Martiano Capellæ laudi detur, quòd, licet res traderet non admodum à vulgari scholarum notitia remotas, Harpocratem tamen in partes vocarit; quanto minùs mihi vitio vertendum, si his meis Hieroglyphicorum initiis Harpocratis imaginem præmittam, atque eam totam sic ad causas & principia reducam, vt insana stolidorum hominum superstitione sublata, quis huius symboli scopus fuerit, clarissimè intelligatur. Quamplurimos noui maiorem in modum quàm sanæ mentis esse videatur, vetustorum numismatum & simulacrorum studiosos, quos vt video plus satis reuerenter omnem antiquitatem venerari; ita neminem adhuc reperi qui quidquam sani attulerit ad Ægyptias has notas interpretandas: quo fit, vt sperem operam meam nec inutilem viris litteratis, nec iniucundam futuram.

LIBER

LIBER IIII.

Harpocrates.

VARIAS & insanas Ægyptiorum superstitiones tam multi scriptores celebrarunt, vt ne ipsos quidem Grammaticorum pueros latêre possint : quarum causas vt alij alias attulerunt ; ita illa mihi semper visa est habere principatum, qua fit vt vetusta rerum sacrarum symbola à significatione sua & primo vsu detorta pro Diis colantur. Hæc autem latissimè patet, hinc ignorantia veræ religionis ; hinc sacrificorum auaritia, quæstum suum ex omnibus ritibus & cærimoniis & signis venantium ; hinc cacodæmonis, cuncta ad suum cultum pertrahentis, fraudibus adiuta. Antiquissimi illi gentium omnium magistri sententias suas de rebus vel ad diuinum cultum, vel ad hominum salutem pertinentibus sancire, & sempiternæ posterorũ memoriæ tradere volentes, signa finxerunt ; quibus eæ non litteratis modò, sed indoctis etiam & plebeiis ob oculos ponerentur. Ceterùm quo promptiùs & faciliùs quid tesseris eius generis moneretur homines coniectarent, nomina illa indiderunt quibus tota significationis ratio indicaretur. Termino itaque quadrato quo Deum notabant, non solùm caput supernè imponebant, sed Thoot etiam nomen dabant, quo ipsum caput notaretur. Eodem modo illud caluariæ figmentũ, quod in conuiuiis Ægyptiorum circumferri solere, cùm alij, tum Plutarchus prodit, Manerota nuncupabant ; quo ad verbum denotatur caput commonefaciens, vt honori consulamus, nec à decoro deuij feramur. Sed quia hæc idque genus alia iam crebrò à nobis sunt explicata ; pluribus hîc exemplis nihil opus esse remur. Ex his igitur nominibus statim agnoscitur, non hoc tantùm, quid tesserę denotent ; sed & illud, qua lingua vsi sint qui primi earum fuerunt auctores. Quamobrem cùm plurimis & luculentissimis rationibus aliàs ostenderimus, totam Ægyptiorum Theologiam à Phrygibus petitam esse, & Phrygio siue Cimmerio sermone consignatam ; nihil mirandum, nec ab Ægyptiis nec à Græcis rerum sacrarum vel nomina vel symbola intelligi exponiquę potuisse ; propterea quòd eam linguam è qua significatio eorum pendebat, prorsus ignorarent. Nec id Ægyptiis solis accidit, sed & Græcis & Latinis ; quorum nec illi, nec hi deorum quos impiè colunt, nomenclaturas intelligunt. Quid Herculis, quid Mercurij, quid Hermæ, quid Apollinis, quid Palladis, quid Heræ, quid Iunonis, quid ceterorum commenticiorum numinum vocibus denotetur, nemo adhuc quiuit interpretari ; & interim Andabatarum more in tenebris de potestate & sacris eorum digladiantes, variis erroribus implicantur : quorum controuersias & altercationes cùm alij complures, tum pulcerrimè Plutarchus in libro de Isíde & Osiride exponit. Laudat is philosophorum illud quo dicitur, Non bene eum rebus vsurum, qui non rectè didicerit nomina intelligere ; quæ sententia vt in plurimis aliis locum suum habeat, nusquam tamen quanti sit facienda clariùs apparet, quàm in his de quibus agitur nomenclaturis symbolorum : è quorum peruersa intelligentia, aut crassa potius ignorantia demens exstitit idolomania. Quia igitur nobis in præsentia hoc negotium proposuimus, vt quis Harpocrates apud Butios & ceteros Ægyptios fuerit, & quid apud vetustissimos denotarit, & quàm fœdo deinde & impio errore ipsum simulacrum ad diuinos peruenerit honores, examinemus. Principiò duas eius imagines ex germana & fida antiquitate delineatas exhibebimus : quarum priorem Pighius, curiosissimus Romæ veteris explorator, & plurimorum mihi per totum Latium priscæ memoriæ vestigiorum præmonstrator, se fatetur à Pyrrho Ligorio Neapolitano diligentissimo item antiquario, accepisse ; atque primum exemplar æreum fuisse : posteriorem habeo è copiosissimis illustrissimi Cardinalis Granuellani, nunc vice regis Neapolitani, thesauris ; quibus sic museum suum locupletauit, vt nescio an cuipiam in tota Europa in hoc diuitiarum genere cedere debeat. Lapis est Heliotropius, ea quam hîc cernis amplitudine, cuius altera facies puerũ habet sedentem qui in-

Superstitionũ & idolomaniæ causſa.

Hieroglyphicorum signorum origo.

Thoot.

Maneros.

Deorum suorum nomenclaturas nec Ægyptij, nec Græci, nec Latini intelligunt.

qui indicem ori applicat: altera Loti florem præfert; è quo pusio indicem ad silentium imperandum ostentans emergit, cui hæc subest inscriptio:

ΜΕΓΑϹ ωΡΟϹ ΑΠΟΛΛων ΑΡΠΟΚΡΑΤ.
ΕυιλΑΤΟϹ τῳ ΦΟΡΟΥΝΤΙ.

Luculentum profectò veritatis indicium in hoc Epigrammate videmus: cui cùm Epiphanius consentiat, Arpocratem & Orum eũdem Butiorum deum faciens, non est quòd de fide Heliotropij dubitemus. Ex Plutarcho didicimus Harpocratẽ Isidis filium esse, natũ circa solstitium hibernum; nec eum quidem maturum & perfectũ: quæ cùm se grauidam sentiret, phylacterium sibi siue amuletum appendit, quod aiũt eam habuisse inscriptionẽ, qua *Vox vera* denotaretur. Plutarchus ipsum nomen cuius ea esset significatio non adscripsit, ceteroqui Ægyptiarum vocum curiosus indagator: quà de re suspicor ei hîc idem accidisse quod Plinio in Gallico Visci nomine; quod non expressit, quia scribi non posset litteris Latinis. Wi enim per duplex digamma dicebatur, vnde Gui postea corruptum; quod licet ex auctoritate Druidarum interpretaretur, maluit tamen subticere, quàm eius sonum alienis litteris vitiare. Eadem itaque de caussa suspicor Plutarchum vocabulũ apud Sacerdotes pro Vera voce vsurpatum silentio præteriuisse, eo quòd Græcis litteris explicari nequiret. Cimmeria namque lingua veram vocem Wort appellat: quod vocabulum prorso litterarum ordine lectum, Verbum significat; verso autem verum & fidum; ita vt de ichnæa conuersione solis nostratibus vsitata, non verbum modò, sed verbum verum & fidum intelligatur. Quòd si War wort dicas, quo verum verbum citra conuersionis consequentiam exprimitur, duas voces habebis, quarum neutra aut Græcis aut Latinis litteris signari potest; & in priore clarissimè cernes, nullum aliud esse in toto mũdo amuletum siue phylacterium, quàm ipsum Verum: quod apud nostrates à custodia nomẽ habet, aut potiùs custodia

Harpocrates Isidis filius.

Isidis amuleti seu phylacterij inscriptio, VERA VOX.

Wort. Trow.

War. à Vero nomen est mutuata. War enim custodiam & verum, citra vocis & picturæ discrimen vocamus. Videmus itaque quid Isidi cum veritate sit cõmune: & si rem iusta trutina expendamus, Isis essentia erit, ab essentia procedens vox patris, per quam omnia facta sunt, Veritas omnia custodiens. Hermathena enim nostra docuit, vocabulum Isis idem esse quod Latinus diceret Est est, quasi Ens ab ente. Wout idem est quod esse accipit siue gignitur, & homonymôs pro verbo vsurpatur. Iam War quo verum notatur, custodiam denotat; quod Græci dicunt Phylacterium. En miram vocum & rerum conuenientiam, quam frustra in alia lingua quæras. Lucanus hieroglyphicis notis magicas voces designari cecinit, multo ille verius quàm ipsemet intellexerit. Cùm enim Mag idem sit quod cognatum; & Magiris, vnde Magus corruptè dicitur, qui & nouit & docet cognationem; nihilque nisi sacrum sacris illis litteris notaretur; & id quidem de Phrygio sermone; non dubito quin & hæc quæ modò dixi maxima cognatione deuinciri, & id genus alia, hieroglyphica scriptura designaret. Quamuis verò War per se enuntiatum, id quod de cognatione Isidis & Veritatis dixi, satis explicet; facit tamen sacrosancta Mosis auctoritas, vt War-em Isidis phylacterium fuisse credam; quod nomen ad vnguem veram vocem, vt Plutarchus vertit, in arcano sacerdotum Ægyptiorum sermone designat: qua de re cùm de Vrim in Hermathena egi, nonnihil à me annotatum est, pluraque aliàs, si Deus qui Vera vox est, nos custodiat, scribam. Hæc obiter de Phylacterio: quibus mox nonnihil addemus. Commemorat Plutarchus, auctor mihi sæpius laudandus, in libris Mercurio inscriptis reperiri, Horum eundem esse quem Græci Apollinem nominant: nec aliud eo nomine capiendum esse, quàm ordinatam vim qua Sol in orbem fertur. Aiunt in Copto Hori simulacrum Typhonis pudendum altera manu tenere. Harpocrati prima legumina offerebantur verbis his adiectis, Γλῶσσα τυχὴ, γλῶσσα δαίμων, id est, lingua fortuna, lingua genius. Qua de re Plutarchus colligit, præsidem eum fuisse sermonis qui imperfectus adhuc sit, nec bene per membra omnia absolutus, formandi perficiendique; atque inde adeò esse, vt silentium digito imperet. Addidit & illud, Magnetem os Hori nuncupari, Typhonis verò os ferrum haberi: quod ipse suo more ad ordinatam naturæ motionem refert, quæ ordini contraria Typhoni adscripta secum rapere frequenter & in ordinem redigere videtur. Eudoxus auctor est, in Ægyptiis esse fabulis, Iouem principiò pedibus fuisse connatis & constrictis, & idcirco gressus omnino impotem; at Isidem huius pedes dissecuisse, atque ita progrediendi dedisse facultatem. Plutarchus sacra Ægyptiorum nomina pleraque putat è fontibus Græcis emanasse, atque ex iis Isidis, Osiridis, Anubis & Hori nomenclaturas deducit: qua in re insigniter ipsum falli ea demonstrant quæ de vetustissimo Phrygum sermone cùm hîc, tum alibi à nobis dicta sunt. Hinc fit, vt sursum deorsum horum numinum partes & naturas voluat & reuoluat, & quàm longissimè ab hieroglyphicis signis aberret: quod si quis fusiùs nouisse volet, ipsum consulat; ac deinde videat, egóne an ipse dicat probabiliora. Primùm itaque illud statuo, Harpocratem deum non fuisse, sed symbolum dumtaxat vtilissimam habens admonitionem, cùm omnibus liberalem quampiam artem addiscere cupientibus, tum illis præsertim qui sacris litteris volunt initiari: atque idcirco à priscis illis Ianigenis in primo scholarum vestibulo solitum collocari. Postea verò, vti modò de toto superstitionis genere dixi, partim ignorantia, partim Eriuniorum sacerdotum, lucrum suum ex multitudine deorum quærentium, auaritia; partim etiam impio cacodæmonis instinctu factum est, vt Harpocrates Deus haberetur, & eius imago tutissimum omnium malorum amuletum, vti videre licet ex modò recitata Heliotropij inscriptione. Persuasum enim erat, ei cui hic propitius esset, nihil aduersi posse euenire; cui irascereturnihil ex voto successurum. Hinc Lucilij intelligitur epigramma in Simonem quendam medicum imperitum scriptum:

Horus idem qui Apollo.

Harpocrati prima legumina offerebantur.

Harpocratem deum nõ fuisse, sed signum dumtaxat.

Harpocrates cur deus putatus, & quã ob rem coli solitus.

Ην τιν' ἔχεις ἐχθρὸν Διονύσιε, μὴ κατάφαγῃ
Τὴν Ἶσιν τούτῳ μηδὲ τὸν Ἁρποκράτιον,
Μηδ' εἶπῃς τύφλης ποιεῖ θεὸς, ἀλλὰ Σίμωνα,
Καὶ γνώσῃ τί θεὸς καὶ τί σίμων δύναται.

Id est, vt ex tempore idem Latinis effundam:

Odisti si quem Dionysi, ne pete vt Isis
Harpocratésne huic sit trux, aliúsue Deus

Excæcans;

Excæcans; voueas vt Simo sit medicus,
Et noris posit quid Simo, quidq; Deus.

Harpocratis igitur imago, quò propitius esset, è collo plurimis dependebat, qui meliùs sibi consuluissent, si quæ pictura hac significabantur, ea diligenter considerassent, & reapse præstitissent, & vlteriùs significationem ad veram religionem, eo quo fas erat modo, transtulissent. Vellem equidem nihil simile inter Christianos reperiri, nec tantum quemquam appensis sibi phylacteriis fidere, vt signa pro signatis habeantur: & quod vel ad memoriam rerum præteritarum, vel ad exspectationem futurarum, vel ad vtilem aliquam admonitionem referri oportet, id superstitiosè & diuinis honoribus colatur, & vim aliquam credatur habere diuinam, siue ad corpus, siue ad animum, siue ad vtrumque custodiendum. Epiphanius circa finem eorum quæ contra hæreses scripsit, omnem Phylacteriorum vsum Christianis interdictum esse tradit: quod qui sit intelligendum, & quousque sese porrigat, illis quorum partes sunt vt religio nulla labe superstitionis sit inquinata diligenter procurare, discutiendum ac definiendum relinquo. Nobis satis erit de Cimbrico sermone monuisse, nullum homini tutius esse & securius phylacterium, quàm ipsam veritatem siue vocem veram, qua omnia & in tertis & in cælis custodiuntur: & ei qui hanc in pectore circumfert, nihil esse metuendum, ne si cælorum quidem moles capiti illabatur, aut corpus igne concremetur & in cineres redigatur. Hoc illud est Isidis phylacterium, quo vt grauida ex abditis patris abyssis in lucem produxit omnia, ita omnia quoque conseruat & tuetur. Fidissimum igitur amuletum ipsam credamus veritatem: quæ cùm ipsissima vita sit, atque adeò ipse Christus verus Hercules alexicacos, ab omnibus nos mortis periculis liberabit. Qui hoc phylacterio caret, ei nihil profuerit sexcenta periapta vel è collo habere suspensa, vel brachiis alligata, vel vestibus insuta, vel quouis alio modo ad custodiam portata: At qui hoc veritatis verbo omnium malorum fortissimo auerrunco se muniuerit, is omnibus aliis phylacteriis tutò poterit carere; propterea quòd huius solius vis omnem tutelam, omnem custodiam, omnem defensionem, iuxta Cimbricam ipsius Veri nomenclaturam, complectatur & absoluat. Valeat igitur Harpocrates, valeant cetera amuleta, modò Isidis phylacterium, quod est Var woyt siue Var-rn/ quod idem est quod Vera vox, numquam à nobis discedat. Est vetus Græcorum prouerbium, aduersus calumniam nullum esse alexipharmacum: quod in Pluto sua Comicus ille vsurpauit, quo vix alius Athenis peior exstitit calumniator. Nos itaque vti nihili facimus Harpocratis numen, ita symbolo eius moniti, digito labella compescamus, ne quis Aristophanes aut alius sycophanta aut quisquam Corycæus auscultans, ea quæ nos dextra vola damus, capiat sinistra: quod Theodorus quondam sibi accidisse dicit. Proscripto igitur vano numine, quod statuæ & imagini inesse superstitio credebat, & reiecto stolido dementium hominum delirio, ad priscam accedamus veritatem; ad quam nulla rectior via est, nullum breuius compendium, quàm illud quod Mercurius ex vocis interpretatione demonstrat. Rimandum igitur quid Harpocratis nomen significet, ac quæ sit vocabuli & aspectabilis signi cognatio. Nulla in hoc nomine accidit litterarũ clades: vna dumtaxat adspirata in tenuem commutata est, ad conciliandam vocis lenitatem; addita præterea terminante littera de consuetudine Græcorum, quò nomen exuat peregrinitatem. Cimmeriis integra compositio in has soluitur partes, Har-poth-ra-t'e/ aut Har-pogh-ra-t'e/ quibus significatur, Diu morando arduum opus aggredi tenta: Celeriter ad vnum festina. Quòd si mihi permittas, vt vocis structuram per Apocopen factam esse dicam, ne finalis quidem littera à Græcis addita esse dicetur, sed ex Cimbrico quoque fonte manasse. Si enim Har-pogh-ra-t'e-si compositæ vocis partes facias, has duas sententias habebis expressas; Diu morando ardua aggredi tenta: Celeriter ad vnum respice. Har ab Ar/ quo tardum notari Hermathena copiosè expositi, formatum est: vocabulum illud quidem Germanis superioribus quàm inferioribus vsitatius. Aurigæ tamen nostrates frequens in ore habent, dum tarditatis celeumate equos retinere volunt. Ex allusione etiam sua ad cognatam vocem adagium nobis dedit, quod plures passim vsurpant quàm vnde originem ducat expendunt. Dum enim quicquam intricatum & difficile ad expediendum dicere volumus, dicimus: Tis Har. Har autem vocali longa crinem notat, tum quòd is hominibus & aliis etiam animantibus datus sit vt aduersus mala perdurent

Phylacteriorum vsus quàm antiquus & quousque permissus.

Veritas fidissimum amuletum.

Aristophanes pessimus calumniator.

Harpocratis nominis compositio & interpretatio.

Har. Ar.

Har.

Har. atque perseuerent, tum etiam quòd eo ipso retineri queamus. Har vocali breui, vt est in Ar/ idem est quod duro, perseuero, & diu in re quapiam moror. Hinc eodem tempore seruato, vt nomen in orationem venit, idem nobis significans quod Cardo Romanis: atque adeò Cardo apud hos ab Har deriuatur, mutata adspiratione in Cappa; quod in aliis quoque vocibus obseruatur, vt ab Hap fit Capio, ab Haupt Caput, ab Halm calamus, ab Hit Citus & cognata, ab Hutwis Ciuis, quia ad tutelam sui ciues congregantur; ita vt nomen à fine ducatur: ab Hals collus vel collum, Ceruix, ab Herwicht siue Harwicht/ quod idem est, eo quòd ceruix ad pondus diu ferendum apta sit. Collis per hysteron proteron à Loh/ de quo in Aduaticis. Caudex ab Haut–erht/ id est, germanũ & legitimum, vt sic dicam, lignum. Hac enim voce solidum arboris lignum designatur. Cardo igitur ab Har fit, eo quòd ianua in cardinibus suis perpetuò duret ac perseueret. Ab Har fit Hart/ pro duro: qua voce pro nomine & verbo vtimur. Hinc Hart etiam ipsum cor significat, vera & prima Cordis apud Latinos & καρδίας apud Græcos origo. Et in his quidem vocalis breuis auditur, quæ in Har pro crinibus producitur. Vetus est omnino hominum opinio, crines ad perseuerandum durandumque plurimum habere momenti. Legimus enim, Sampsonis robur omne in crinibus constitisse: quod quamuis equidem sciam præcipuum quoddam Dei donum fuisse, nec omnibus crinitis, quorum caput nec radebatur nec tondebatur, easdem vires fuisse; video tamen mirificè cum prisca hominum opinione concordare. Quid? quòd adhuc Iudices frequenter eos quos quæstionibus sæuioribus adhibent, omnibus totius corporis crinibus spoliare solent; ne obstinata pertinacia tormenta pati perseuerent? Hinc apud vetustissimos quosque tristissima clades habebatur, si cui caput rasum esset, eóque hoc signo vel luctus vel seruitus indicabatur. Diis certè & eorum sacerdotibus, tum etiam poëtis & philosophis barbas promissas fuisse, & fortissimum quemque crinibus abundasse, quis non de veterum scriptorum lectione nouit? Nonne Nazaræos, quia Deo consecrati essent, omnem rasuram tonsuramque repulisse, de sacris litteris scimus? Nihil abominabilius priscis Francorum Regibus accidere potuisset, quàm si coma quopiam infortunio fuisset vel mutilata vel cæsa. Facile sanè sit & cuiuis promptum, ingentem exemplorum siluam tum ex poëtis, tum ex historiis huc transferre; at illud difficillimum, caussam explicare, ob quam crines ad robur conferre credantur. Arduum non est ad intelligendum demonstrandumque, magnas vires in hominibus & multos crines ex eadem ratione pendere; sed cur crinibus ablatis vires minuantur, id verò non parum habet obscuritatis. Aristoteles calori & pingui humori in cute contento crinium adscribit materiam, addens eius crassitudinem in hominibus non parum conferre ad augmentum. Hinc ego colligo, vehementer hirsutos, & durum habentes & plurimum capillum, robustos esse; eo quòd humor pinguis & lentus neruos reddat robustissimos. Galenus plus satis siccitatis vim in pilorum generatione exaggerat; cùm ipsa experientia doceat, lentore opus esse ad ea quæ crinium naturam imitantur effingenda. Non ignoro quid medicus hîc excusset, verùm numquam quisquam mihi probauerit, satis explicatam esse pilorum generationis in siccitate caussam, licet quantum velit caloris addat. Possem hîc prolixus esse, tum rationibus tum experimentis in medium adferendis; quibus docerem, non paucos hirsutos & densam menti siluam habentes, timidissimos & mollissimos fuisse; sed video in rerum naturalium contemplatione totius inquisitionis terminum esse ignorantiam, nec quicquam tam accuratè nobis cognitum esse, vt ad caussam & integram & proximam à nobis queat referri. Ceterùm hanc ignorantiam non quiuis agnoscit, sed is dumtaxat qui cum Socrate ad hos inuios tenebrarum recessus in abditissimis quibusque caussis explorandis peruenit. Nihil tam minutum, in quo non infinito plus nos lateat quàm sciamus: quod & hîc mihi vsu venire cerno. Equidem magnam pilorum densitatem non calidi tantùm & sicci temperamenti indicium pono, sed ex ea etiam materiæ humidæ & ad tenacitatem vsque coctæ copiam colligo, & citra huius abundantiam nego spissam crinium siluam enascituram. Siue igitur calor huius coctionis auctor, siue humor idoneus ad lentorem acquirendum desideretur, vtrouis modo pilorum generatio impeditur. Iam calor copioso humori & ad tenacitatem apto coniunctus, vires maximas suppeditat & non facilè fatigandas, eo quòd is cui harum duarum rerum satis est, nec frigore torpeat, nec dissipatis spiritibus, qui lentore pingui continentur,

Cardinis etymon.

Hadspirationis Cimbricæ in Caput Latinos permutatio.

Capio.

Caput.

Calamus.

Citus.

Ciuis.

Collum.

Ceruix.

Collus.

Caudex, icis.

Hart.

Cordis & καρδίας etymon.

Crines in quæstionibus nonnũquam abradi.

Crinẽ abscindi triste veteribus.

Crines ad robur conferre cur credãtur.

Crinium siue pilorum generatio.

Viriũ & roboris in corpore caussa.

tinentur, exareſcat. Ceterùm icet hoc ita eſſe ſtatuamus, hinc tamen necdum efficitur, pilos cauſſam vllam, ſed ſignum dumtaxat fortitudinis habere. Si quid in ipſis momenti eſt ad robur conſeruandum, id vel occultum eſt, vel eò referendum videtur, quòd pori pilis occluſi non facilè ſinant ſpiritus elabi & diſſipari; quos ſi abradas, non ſolùm ianuam diſſoluendo virium firmamento aperueris, ſed occaſionem dederis, vt natura mox plurimum humoris ad cutis cauitates diſtribuat, quo noui pili creentur: atque ea via tantum robori diſcedat, quantum neruoſis partibus pinguis huius & viſcidi alimenti fuerit abſtractum. Sed hæc huius loci non ſunt, & ampliorem deſiderant conſiderationem. Mihi ſufficit, ſi conſtet, communem veterum omnium eſſe ſententiam, piloſos in quauis re & agenda & toleranda maximas vires habere, & idcirco non malè Har pro pilo dici, ab Har quod eſt duro & perſeuero. Et hæc quidem vna ſit ratio nomenclaturæ. Accedit altera. Nihil eſt in corpore humano quo facilius quis quàm crinibus teneri impediriq́ue poſſit, quod in mulierum comis & promiſſis virorum barbis nemo neſcit crebrò accidiſſe; & clariſſimum eſt huius rei in Abſolone exemplum. Cùm igitur Har retardandi etiam notionem ſignet, non iniuria hominum pili ab hoc vocabulo nomen acceperunt, vtpote quibus maxima violentiſſimaq́ue remora expedito homini adferatur: quæ altera eſt huius nominis cauſſa, & ea quidem paulo magis quàm prior apud vulgus obſeruata. Quamobrem cùm nullum homini maius impedimentum ad rectum rerum agendarum curſum abrumpendum afferri poſſit, quàm lites ſint & contentiones forenſes; noſtrates Har pro hac tranquillæ vitæ noxa ponunt, & eum Harman vocant, qui ſcatet calumniis & cauillis, & in quauis re lites quærit. Latini litem hoc concertationis genus vocarunt, tametſi eius ſignificationis cauſſam prorſus ignorent. Cimmeriis Lit dolorem & tormentum notat: qua de re factum, vt grauiſſimum homini tormentum litem vocarint: quod qui neſcit, is neſcit quæ vis ſit illius ſententiæ: ἐξὸν φυγεῖν ὀυκ ζητῶ δίκην. Si non ob aliud, ob hoc ſaltem Heſiodus ſemper nobis vel in manibus vel in memoria habendus eſſet, quòd tam inſigniter forenſium contentionum damna depinxerit; cui qui non credit, is dignus eſt vt audire mereatur: παθὼν δὲ ὁ νήπιος ἔγνω. Nemo certè meliùs nominis quo lites vocantur, cauſſam peruidebit, & in imo corde ſentiet, quàm is qui vel iniuria dorophagorum iudicum, vel cauſſidicorum confertiſſimas quaſque bulgas exenterantium tricis & cauillis ſemel aut iterum ceciderit liti. Sed plus ſatis de Har & Hermannis, quibus opto, vt omni patrimonio in rabulas pragmaticos & iniquos iudices profuſo, ſenili fame & decrepita mendicitate, tormenta, quibus alios afflixerunt, expiare cogantur. Nunc igitur eo explicato, Har in Harpocrate vocali breui pronuntiari, & diuturnæ moræ habere notationem, ad alteram ſyllabam pergamus. Hogh nobis idem eſt quod aggredi rem arduam tento: quæ vox inſignem habet ac luculentam ſignificationis cauſſam. Compoſita enim eſt ex He & Hogh/ voculis duabus contrarias notiones indicantibus, quoniam illa id quod terræ fixum eſt, hæc altum & ſublime deſignet. Veteres He/Hhe/He & Fe citra diſcrimen pro bruta natura vſurparunt; vnde apud Latinos Pecus à He remanſit, & Veterinum à He/ & Tering quaſi dicas victum pecoribus conſtantem. Poſteriores Cimbri, quò homonymiam euitent, He pro radice terræ infixa dicunt; & in radicum genere eas per excellentiam hoc maximè nomine dignantur, quæ maximè ſunt edules. At He craſſiùs & longiùs pronuntiatum, pro omni bruto animali ad hominum victum nutriri conſuetum vſurpant: &, quia nihil homini magis inimicum quàm natura rationis expers, He etiam pro inimicitia ponitur. Quòd ſi vox paullo tenuiùs pronuntietur, & quaſi media inter longam & breuem, faſcinum deſignat, eo quòd hac corporis parte brutis ſimillimi reddamur, & toti terrenis ſordibus inquinemur. Contrarium ipſi Hhe He & Fe eſt Eph/ Ef & Ep/ quæ in conuerſione principium adſpiratum habent loco temporis longi: & id quidem ſumma ratione factum eſt. Quæ enim terræ affiguntur, tarda ſunt, & longa voce digna: Contrà quæ à terra quicquam ſubleuare debent, ea vt ſpiritum & celeritatem quandam tarditati contrariam habeant oportet. Hinc igitur ex Hhe/ Fe & He longis, fiunt Heph/ Hef & Hep: quorum priora ſignificant à terra leuare; poſtremum frequens iis celeuma eſt qui ad leuiter ſaltandum hortantur. Vnde ἵππος apud Græcos. Hep enim nihil aliud eſt quàm leuiter ſalto vel ſalta; quod & equo conuenit, & ei qui equum aſcendit. Hogh idem eſt quod excelſum, vox ſpiritus plurimum requirens.

Piloſos maximas vires habere.

Lites foréſes. Harman.

Lú, litis. Lit.

Hogh. Hog. He/ Hhe/ He/ Fe.

Pecoris etymon. *Veterinum animal.* Tering. He. He.

Eph/ Ef/ Ep.

H adſpiratio Cimbrica frequenter temporis longi locum ſubit, & contrà. Hef/ Heph/ Hep.

ἵππος vocis etymon. Hogh.

He. Ho. In eadem significatione dicimus he & ho: sed hæc frequentiùs in compositione & deriuatione, vt he in hemel/ heuau/ het/ helem/ siue helm; & ho in homoet / pro alto animo; & hot pro capite: de quibus in littera He. Hogh igitur præter spiritum à quo incipit, litteram sibi in fine eam accersiuit, qua nulla magis expectorat & ex imis præcordiis anhelat: de qua latiùs suo loco. Hæc per ichnæam conuersionem demonstrat supremum excelsorum finem ipsum esse Bonum. Gho enim longa vocali bonum significat: qua in voce longum tempus adspirationis vim supplet, eo quòd in fine adspiratio non aliam habeat potestatem, quàm vt sonum producat: quod videas in hol & loh voculis conuersis, in quarum illa vocalis breuis est, in hac longa; quo productum tempus adspirationis, quæ in fine efferri citra aliam consonantem non potest, locum teneret. Hogh igitur nos ad gho deducit, id est, summus excelsorum apex est ipsum bonum, ad quod omnia in altum tendentia adspirare nituntur. Cùm igitur hogh verbũ est, idem significat quod exalto; atque inde pe-hogh idem est ac si dicatur, brutam & terrenam naturam exalto siue exalta. Qua de re perspicuum redditur, eam mentem nomenclatoris in vocula pogh fabricanda fuisse, vt nihil aggrediendum tentandumq́. homini censeret, quod desidem & tardam, humi iacentem, terræq́ue adfixam naturam non exaltaret, & in sublime ferret. Quis dignis modis diuinum hoc artificium explicet, quod admonitionis breuissima vocula comprehensæ vtilitatem latissimè per omnes vitæ rationes, per omnes actionũ & officiorum partes sese diffundentem sufficienti sermonis & elegantia & vbertate persequatur? Nos certè ne aggredi quidem tentabimus, eo contenti futuri, quòd nostro indicio huius voculæ mysterium per transennam eminus sit ostensum. Et hæc quidem de secunda syllaba: nunc ad tertiam. Ra celeritatem indicare quiuis intelliget, qui sciet vibrationem recto motui præmissam vehementissimo impetu ciere, vt in Hermathena non vno loco explicatum. Quarta syllaba clarissima est, quæ ex Te & E contracta per ecthlipsin, siue prioris vocalis elisionẽ, idem significat quod ad vnum; ita vt Ra t'e nihil aliud sit, quàm citò ad vnum: quæ locutio celerandi studio verbum subticet, quò breuior sit & expeditior. Quòd si quintam syllabam in Sigma intelligas, verbum habebis cauda mutilatum, quo Video denotatur: verùm vt ei locus est non incommodus; ita eius appendix non est necessaria, quandoquidem abruptus sermo maximè decet & exornat admonitionem ad celeritatem incitantem. Totum igitur Harpocratis nomen ex Har Pogh Ra T'e compositum, idem significat, ac si dicas, Diu moram trahe in bruta tua natura exaltanda; atque dum id facis, magna celeritate mentis tuæ oculos ad Vnum dirige, quia videlicet ipsum vnum totius altitudinis vertex sit supremus. Quemadmodum enim diu multumq́ue meditandum ad hanc nobis acquirendam sublimitatem, & longa diuturnaq́ue in silentio & disciplinarum studio mora opus est, vt tandem ad cælum euehamur; ita mox ab ipso initio mentis acies ad ipsum vnum rectà ferri debet, alioqui nullis laboribus, quantumuis longis, in altum euehenda. Frustra enim in otio litterarum & quinquennali Pythagoreorum silentio versabimur, frustra longum tempus teremus, & tacita multorum annorum cõtemplatione nos fatigabimus, vt brutam nostram naturam ad sublimia tollamus, nisi principiò ipsum Vnum nobis pro scopo collocauerimus, & ad illud solum omnes nostras direxerimus cogitationes. Hoc est illud Vnum quod solùm Christus dixit esse necessarium: è quo liquet, eandem esse Harpocratis & Veritatis sententiam. Cùm igitur in scholis hoc Harpocratis symbolum prisci Ianigenæ proponebant; quid aliud indicabant, quàm illud quod D. Paullus ad Hebræos scripsit, *In disciplina perseuerate?* quod vocula har designat; cui pogh adiectum, idem dicit quod Timotheus ab eodem audiuit: *Labora in omnibus:* &, *Labora sicut bonus miles.* Et quia arduus labor in pogh præcipitur, audiendus est & ille qui dixit: *Induamini virtutem ex alto*; vt nimirum alta aggressi, ab eo adiuuemur, quem scimus nobis patrem in cælis: cuius regnum vt adueniat rogamus; quod & primùm quærere debemus. Totus autem hic labor ad excelsa à terrenis vehementi spiritu contendens, ad Vnum ipsum refertur: & si, pro eo ac facere iubetur, perseueret, tandem ad illud quò tendit adspirat. Vide quantũ vnica vox comprehendat arcanorum, quantum breuissimo compendio præceptorum exponatur! Simul vt terrenis relictis excelsa aggrediamur monemur, simul vt iustam moram in meditando tanto molimine præmittamus; & vbi inceperimus hæc tam alta attentare, vt in pro-

Gho. Hol. Loh. Ra. Te. *Vnum.* *Harpocrates cuius rei symbolum sit.*

in propoſito perſeueremus, nec vlla re ab arduo labore deterreamur; tum etiam, ne à recta linea aberremus, additum habemus, vt mox à principio ſtudia noſtra omnia ad ipſum Vnum feſtinent. Deinde eandem vocem ſic capere potes, vt arduum opus debita & mora & conſtantia aggredienti & in eo perſeueranti promittat; fieri non poſſe vt ad Vnum ipſum non pertingat. O beatum certamen! ô felicem laborem! in quo is qui perdurat, certò ſcit ſe in ipſum ſcopum collimaturum. Porrò vt hæc omnia ad eos maximè ſpectant, qui ſacris litteris & diſciplinis ad Dei cognitionem neceſſariis initiantur; ita ad cuiuſuis operis honeſti aggreſſionem accommodanda ſunt. Omnibus enim in rebus maioribus moliendis veriſſimum eſt, diuturnam quandam in meditando conſulendoq. moram præmitti debere; & vbi ea præceſſerit, tum ipſum opus ſic eſſe tentandum, vt animus terreno frigore diſcuſſo, in ſublime ſeſe erigat contra omnes quæ occurrere poſſunt, difficultates. Quò tamen felicem exitum propoſiti laboris ſortiatur, id in omnibus curandum, ne quid vel minimo tenus ab Vno deuium feratur. Neque enim in toto ſolùm negotio & rerum moliendarum ſumma ad Vnum omnia ſpectare debēt, ſed in ſingularum etiam partium principio ſtatim ad Vnum mentis oculus eſt dirigendus, ſi fauſtum nobis felixq. quod agitur eſſe cupiamus. Adde & eo modo vocabulum exponi poſſe, vt dicat, Tardam inceptionem in opere quopiam aggrediendo tentandoq. celerem eſſe atq. feſtinam; quod intelliges ſi ſyllabas ſic enumeres, Bar pogh rat/ id eſt, Tarda molitio celeris. vbi elegantiſſima eſt antitheſis paradoxo quodam modo contraria inter ſe iungens. Eandem ſententiam Cimbricæ linguæ nomenclator in ſtat ſecutus eſt, dum hac voce producta pro conſilio nos vti voluit, ceu diceret, Ad celerem cuiuſuis negotij expeditionem nihil æquè ac conſilium vel vtile eſſe vel neceſſarium. Plurimos videas ex temeraria feſtinatione in ipſo ſtatim operis limine collabi, alios nonnihil progreſſos, maximis inuolui difficultatibus, & vel numquam vel tardiſſimè ad exitum peruenire, alios etiam adeò nihil expedire, vt eo ipſo, quo ſtolidè & ſine maturo conſilio attentarunt, opprimantur. Elegantiſſimè & veriſſimè Horatius cecinit:

Vis conſilî expers, mole ruit ſua:
Vim temperatam Dij quoque promouent
In maius.

Immenſa exemplorum infinitas, quot temeritas & olim & noſtro hoc æuo perdiderit; & quot ſana conſilia conſeruarint, nos tacere potius quàm loqui iubet. Inter multa illuſtre eſt illud è Romana hiſtoria de Fabij Maximi tarditate; maxima illa quidem, ſed neceſſaria Vrbis exercituumque duorum ſaluti: cui ſi Minutij temeritatem conferas, mox intelliges, quanti matura in conſulendis rebus arduis præparandiſque mora ſit æſtimanda; quamque iuſto titulo Ennius Fabium celebrarit, vnico verſu & trophæum ei fabricatus ſempiternum, & poſteris omnibus luculentiſſimum modulatus documentum, prudenti in rebus aggrediendis mora nihil eſſe vel ſalutarius vel expeditius ad res arduas felici exitu finiendas. Is ſic habet:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Quid temeritas poſſit & inconſulta audacia, & quàm breui res maximas funditus euertat; & quàm, contrà facilè & citò quietis & maturis conſiliis ingentes calamitates & rerum publicarum ruinæ auertantur, etſi nullis antiquorum hiſtoriis edocti eſſemus, hæc tamen tempora & iugum grauiſſimum ceruicibus noſtris impoſitum ſatis nos pondere ſuo moneret, tum quorum audacia & inconſiderantia perditi ſimus, tum quorum prudentia & conſiliis ſeruari potuiſſemus. Vtinam omnes ſemper & vbique in omni rerum vel priuatarum vel publicarum aggreſſione intelligeremus prudentiſſimum hoc nomenclatoris conſilium, quo ſtat vocali longa pronuntiandum ex ſtat breui vocula deriuauit: quod dum fecit, hoc ipſum videtur mihi dixiſſe, conſilium non aliud eſſe, quàm tardam feſtinationem & feſtinam tarditatem. Laudatur illud, *Feſtina lentè*; & meritò laudatur: at quanto laude dignius, conſilio illud nomen dediſſe, quod ne intelligi quidem ab origine poteſt; niſi vna de tarda feſtinatione & celeri tarditate cogitetur: Vbi mora maturam minimeque præcocem deliberationem ſuadet, celeritas in nominis ratione inuenta, expeditum & facilem exitum pollicetur. Quod autem Cimbricum conſilij nomen vnica ſyllaba comprehenſum conſulit, conſequentia quadam interpretationis non omnibus aperta, & neſcio an ab vllo vmquam noſtratium conſi-

Harpocratis alia ſignificatio.

Conſilij in quibuſuis rebus expediendis neceſſitas.

Mora & tarditatis vtilitas.

Temeritas.

Feſtina lentè.

derata, illud ipsum Har-pogh rat tribus syllabis ostendit: qua quidem nominis solutione & considerationis via Harpocratis tessera non ad discipulos tantùm liberalium artium, sed omnes mortales, quorum quidem vllæ esse queant actiones, refertur; & rectè explicata & expensa, ac deinde in omni officiorum genere ante oculos posita, ingentem adfert vtilitatem, atque adeò vna omnium hominum continet salutem. Acceperant id quidem Ægyptij à Ianigenis, Harpocratis signum omnes eos qui id in pectore ferrent, seruare posse; verùm non intelligebant, nec nomini nec imagini aliam vim esse quàm monendi; at in sua esse potestate situm, vt quod monitum esset, id vel negligerent vel contemnerent, vel magni facerent & amplecterentur. Hinc igitur partim vocis & symbolicæ rationis ignorantia, partim demens idolomaniæ studium dæmonum fraude & sacrificorum auaritia accensum eò rem saluberrimam pertraxit, vt nec insanius quicquam, nec magis execrandum cogitari posset. Harpocratem enim Deum fecerunt, & imaginem, quæ nihil aliud erat quàm nota hieroglyphica, collo appendebant; ceu in hoc amuleto omnem conseruandi potestatem prisci Ianigenæ esse docuissent. Sed hæc communis est omnium veterum symbolorum clades, siue ea vocalia fuerint tantùm & solis nominibus indicata, siue adspectabilia & saxis incisa. Nos de prisco vsu & originis veritate, non de abusu diabolico & anili superstitione tractamus. Quando igitur Harpocratis nomen satis est explicatum, pergamus modò ad ceteras, quibus idem symbolum vocatur, nomenclaturas. Inter has est Horus, vocali priore longa: quod addo, ne cum ὅρος, quo terminus & definitio significatur, eadem vox putetur. Plutarchus certè hac nominum affinitate deceptus, statuit huius Dei vires in iustis terminis rerum ponendis maxime cerni. Fateor equidem ad consilium tacitum & quietum pertinere, vt res de quibus deliberatur, rectè definiantur, & consilio maximè ad certos rei cuiusque terminos perueniri; sed nego hanc causam esse ob quam Harpocrates Horus nuncupetur: qua tamen in sententia refellenda verbosam nolim instituere disputationem, tum ne prolixior æquo fiam, tum ne videar apertissimis rationibus, quas adducturus sum, & aptissimæ conuenientiæ, & arctæ rerum vocumque inter se cognationi parum fidere voluisse. Harpocratis admonitionem bifariam considerauimus; semel vt ad discipulos sapientiæ studiis initiandos propriè præcipuéque spectaret; iterum vt æquè ad omnium negotiorum operumque aggressionem pertineret. Quia verò vtrobique & in discendo & in consulendo parum domesticæ vires præstare possunt, nisi alij audiantur, illic quidem doctiores, hîc autem prudentiores; optimè factum à Ianigenis, vt Harpocratem non modò in aggrediendo tardum dicerent, sed Horum etiam vocarent: quo nimirum omnes monerentur, moram eam quæ in priore nomine denotatur, auditioni maximè impendi oportere. Sicut enim verè à magistro nostro dictum est, *Fides ex auditu*; ita non otiosè ab Aristotele scriptum, hanc sentiendi facultatem ad disciplinas percipiendas potissimum referri, cùm eo solo docentis notiones à discente velut semina quædam futuræ frugis excipi possint. Quid igitur aptius potuisset cogitari eo nomine, quo euidentissimè explanatur, primarium Harpocratis officium esse, vt audiat & diligenter auscultet. Hoo enim idem est quod audio vel audi: cui si Græcam vocum clausulam adiicias, ὦρος habebis. Eat nunc Plutarchus, & cum eo quisquis velit, quæsitum apud Græcos, ecquid simile queat vel sexcentesima tenus parte reperire ad Harpocratis & Hori vel vnionem vel cognationem de vocibus ipsis docendam: quod si peruestigarit atque ostenderit, lubenter nos ei de tesseræ huius primordiis & antiquis eius nominibus cedemus. Porrò vt auditionis huius fructus maximus ostenderetur, & ostensus inuitaret omnes, siue bonas artes discere vellent, siue sanis aliorum consiliis vti, tertiam nomenclaturam adiecerunt, qua Harpocrates Apollo indigetatus est. Apollo enim, si in duas tantùm voces soluas compositionem, & postremam syllabam Græcorum dicas esse appendicem, eum significat, qui occulta & abdita & in obscura specu latentia sepultaque in lucem profert & reuelat. Hel enim vocali longa, vt est in θλήχαω, idem notat quod celo: & ipsum quidem Celo Latinorum ex nostra voce manauit, eo deriuationis modo quo ex Hart nostrati καρδίαν Græcos fecisse modò annotaui. Nec aliunde Velo manat, adspiratione in digamma mutata. Hinc Hol antrũ & specus obscura, & inde Af-hol siue Aph-hol/ & ademptis adspirationibus ad leniorem syllabarũ vnionẽ, Apol is dicetur, qui ea quæ in occulta spelunca delitescunt, reuelat.

Harpocrates qua ratione Deus factus.

Horus idem qui Harpocrates.

Harpocrates cur Horus appellatus.

Auditionis fructus.

Hoo.

Harpocrates idem qui Apollo.

Apollinis etymon et interpretatio.

Hel.

Celo, as, are.

Velo, as, are.

Hol.

Quòd

Quòd si tam facilis & cõmodus, immò tam iustus & æquus mihi iudex detur, vt quod verum est mihi concedat, dicam veteribus Cimbris eam in voce Op, qua modò vtimur, consuetudinem pronunciationis fuisse, vt magis A obscurum quàm littera rotunda audiretur, atque inde fieri, vt superiores Germani hactenus Auf scribant pro nostrati Op. Sicut igitur ab Auper, siue, vt nunc dicimus, Oper, Aprilis nomen accepit; & sicut Auper nostras Aperio dedit Latinis; ita Apollo etiam ab Aup nomenclaturæ suæ habere potest interpretationem; vt videlicet Aup-hol idem sit quod recludo specum. Sed quoniam mihi res ferè solet esse cum motosis hominibus, contentionis quàm veritatis amantioribus, vix audeo tantum mihi sumere, vt vel vnius vocalis mutationem in vocibus origini reddendis adducam. In adspirationibus enim ademptis minus absurdi quàm in mutatis vocalibus esse credunt: verùm si quod res est fateri velimus, procliuis etiam est vocalium inter se permutatio, vt de gentiũ diuersarum dialectis, vel de longo sæculorũ lapsu crebrius inolescens. Vtrouis ergo modo Apollinis vocabulũ ad etymologiam examines & interpreteris, is eo nomine omniũ erit dignissimus, qui quàplurima è tenebris in lucem profert, quiq; optimas claues & certissimas habet ad obscuram abditarum rerum specũ aperiendam. Vt igitur Sol, quia tenebrosum noctis anttũ referat, Apollo non iniuria vocatus est; ita Harpocrates quoque meritò eodem nomine nuncupatur, propterea quòd diuturna meditatio & diligens auditio occultam scientiarum & consiliorum specum quàm optimè recludat. Quòd si quis vltimam in Apollo syllabam de Cimbrica quoque lingua manasse dicat, ei Apollo denotabit id quod integrè efferremus Aup-hol-hoot, id est, aperiendæ speluncæ caput: quæ notatio ei conuenit, qui princeps est eorum omnium qui res abditas hominibus reuelant. Sed quid ego me hîc superstitiosa nimis interpretatione defatigo, cùm ea omnium sit simplicissima quam in Gallicis explicaui, qua Apollo dictus sit quasi Af hol los, id est, ab antro obscuro liberans. Sunt enim apud Græcos quibus priscum hoc Apollos nomen remansit; inter quos is fuit cuius D. Paullus fecit mẽtionem. Fortasse ergo discriminis caussa Apollo pro Deo, Apollos pro homine dictum fuerit: attamen suspicor id factum ratione multiplicis & copiosè interpretationis, quam sermonis nostri architectus perpetuò quæsiuit. Mea ergo nihil refert, siue Apollos, siue Apollo dicas, cùm vtrumque nomen æque Deo conueniat, & Apollos conuersionem etiam patiatur; quam vt Gallica nostra declarant, ita hîc non duco repetendum. Satis esto indicasse, vtrouis nomine Deum dici posse, cùm & ab antro caliginoso liberet, & antri aperiendi caput sit atque princeps, & vtrouis modo reuelator à tenebris cùm aliis, tum æternis mortales liberans. Nec mirum propter terminationes linguarum proprias & litteras cognatas aliam & aliam dari posse interpretationem, ea tenus parte qua variari potest. Valeant igitur illi cum suis nugis, qui Apollinis nomen à perdendo, vel ab alia quauis Græcorum voce deriuant: ad quos refellendos idcirco nihil adfero argumentorũ, quia non putem quemquam tam sibi Apollinem habere vel parum propitium vel iratum, vt non clarè cernat res per se euidentes, & nullius alterius egentes probationis, quàm eius quam ipsa vera vocum significatio demonstrat. Nemini posthac dubium esse potest, eorum quidem qui vel nostræ linguæ sunt periti, vel meæ credent interpretationi, cur Harpocrates, & Horus, & Apollo sit vocatus: nec opus est pluribus ad id explicandum commentariis, cuius veritas mox ad primum sesè obtutum ipsa luce clarius ostendit. Illud tamen dissimulandum non est, quòd, vt in alphabeto trium in vno Deo personarum diligens ratio habita est, & distinctis vocibus consignata; ita & hîc quoque non in Harpocratis modò nomine per syllabas explicato, sed in tribus etiam ipsius nominibus ordine sibi succedentibus Trinitatis mysterium indicetur. Dum enim nomenclator Harpocratis symbolo optimam discendi rationem perpetuæ posterorum memoriæ mandare vellet, ac eo ipso doceret, omnia mox ab initio ad Vnum referri oportere, noluit in nomine eius fabricando à præcepto suo aberrare. Har igitur tarditatis & perseuerantiæ signũ ipsi Patri conuenit, vt ei quem antiquum dierum Daniel vocauit; quiq; nec cogitanda, nedum dicenda sæculorum infinitate tardauit antequam mundum crearet. Altera syllaba Pogh, quæ operis aggressionem significat, Filio conuenit; eo quòd per hunc Pater ingentem mundi machinam molitus sit atque perfecerit. In hoc enim principio creauit Deus cælum & terram. Tertia syllaba quæ Ruat est, & celeritatem notat, in quam magis personam quadrat, quàm in

Op.

Auf.

Aperio verbi, & Aprilis nominis etymon.

Aup.

Harpocrates quam ob rem Apollo nominatus.

Apollinis etymon aliud.

Trinitatis mysterium in Harpocratis nomine indicatum.

Spiritum

Spiritum ſanctum; qui celeri ſua per aquas ſiue materiam latione animauit vniuerſa, & ad ſuam vnumquodque incitauit motionem, & hactenus celeritate omnium creatarum mentium captum excedente, & maiore quàm luminis per aërem ſit diffuſio, totam permeat rerum conditarum molem, omnibus præſens motionem vitamque fundens atque conſeruans? Quòd ſi Harpocratis nomen ita diſſoluas, vt poſtrema pars ſit ꝟa Te Si, rurſus Spiritus ſancti munus agnoſces, cuius vt celeritas propria eſt; ita tota celeritas ad vnum contendit, & nos, vt oculos mentis ad vnum quàm ocyſſimè vertamus, incitat. Quid in rebus adſpectabilibus igne velocius, quid eo celeriùs ſurſum ad vnum apicem contendit? Cùm igitur in huius forma ad Apoſtolos deſcenderit ſanctus Spiritus, quid ni eum velocitatis nomine honoremus? Iam linguæ figura adiuncta celeritatis indicat augmentum, quod nullum in homine membrum celeriùs moueatur, nec quicquam eius tinnitu ſit pernicius: quod Homerus animaduertens ἔπεα πτερόεντα frequenter iterauit. Omnis autem hæc velocitas ad vnum veluti pyramidis ſupremum punctum contendit, & omnes audientes & ſequentes vnà rapit ſecum. Et hæc quidem arcana in vnico Harpocratis nomine. Iam ſi tria ipſius nomina conſideres, ſtatim deprehendes Harpocratem prima ſyllaba patrem notare, qui tardè admodum æternum ſuum conſilium aggreſſus eſt, ſed vbi aggreſſus ſemel eſt, celerrimè & dicto citiùs expediuit: de quo hoc habemus in ſacris litteris; *Dixit, & facta ſunt*. Horus verò propriè præcipuéque filius dicetur, de quo ipſe Pater, *Hic eſt*, inquit, *filius meus dilectus, ipſum audite*. Quod ex eo etiam intelligas, quòd filius vox ſit & verbum Patris. Vox autem ad auditionem ſpectat, quam Hori nomen deſignat. Tertium nomen Apollo, principem ſignificans eorum qui res abditas & reconditas è tenebris in lucem proferunt, cui perſonæ potiùs dabimus quàm Spiritui ſancto, cui in omni arcanarum rerum inquiſitione, in omnibus conſiliis inchoandis, de concordi omnium patrum doctrina vota facere & preces fundere ſolemus, vti illi à quo omnis veritatis doctrina procedit, iuxta ipſius Veritatis in Euangelio teſtificationem? Hunc in Alphabeto ſic compellauit nomenclator, vt eædem partes idemque munus ei tribueretur: & quemadmodum hîc tertio loco, ita & illic recenſetur; tam conſtans & perpetua in omnibus priſcis Ianigenarum ritibus & ſacrorum nominibus doctrina ſeruatur: à qua ſi quid aberret, confeſtim ſe adulterinæ monetæ & ſpurij ortus manifeſtabit. Magno igitur in pretio habendus eſt Granuellani ille, cuius picturam do, Heliotropius, cùm ob aliam, tum ob hanc potiſſimùm cauſſam, quòd non tria modò ſymbolicæ ſcalpturæ nomina exponat, ſed ſic etiam exponat, vt iuſtùm eorum inter ſe ordinem obſeruet, ac præterea tria hæc nomina vni ſymbolo adſcribat: de quibus alioqui multa in dubium potuiſſent vocari. Quamuis enim Epiphanius, diligentiſſimus antiquitatis obſeruator, eundem Horum Harpocratem eſſe dicat, non defuerunt tamen quidam inter antiquos, quibus placeret alium Horum, alium Harpocratem fuiſſe: qui tamen cernentes ſe receptæ iam olim opinioni aduerſari, qua idem Horus & Harpocrates putabatur, duos Horos ſomniarunt; alterum antiquiorem, qui idem eſſet cum Apolline; alterum iuniorem, quem eundem alio nomine Harpocratem vocari docerent. Nos hæc nomina eidem teſſeræ accommodata cernimus; tametſi id fiat diuerſa conſideratione, vt multa ſunt in vno diſcipulo rectè ſcientiis ſapientiæque ſtudiis initiando neceſſaria.

SED iam quando de nomenclaturis quæ dicta modò ſunt, ſufficere videntur, ad fabulas veniamus; corruptiſſimas illas quidem Ægyptiorum culpa, qui peregrina nomina ad ſuam linguam pertrahere conati, omnia hieroglyphica fœdiſſimis nugis & dementi idololatria turpiſſimè contaminarunt, & aliò quàm deſtinata erant à Ianigenis, detorſerunt: quorum ineptias qui compendio nouiſſe volet, Plutarchum ſibi in manus ſumat, tales tamen, vt in iis quædam adhuc veritatis veſtigia cernantur. Nos capita dumtaxat obiter attingemus. Primùm igitur illam inter Oſiridem, Iſidem & Horum cognationem apud priſcos agnitam videmus, vt hic ab illis occultè in matris aluo genitus dicatur: quod ſi nominum ſignificationi & veræ religioni applicare ſtudeamus, neceſſe fuerit, vt Hori nomen pro eo numine accipiatur, quod illi, qui aures ad audienda diuina habent arrectas, inuocare conſueuerunt. Et eſt ſanè ita, dum de ſolo Horo & Harpocrate loquimur, & nomina non ſymbolis, ſed ſymbolorum præſidi tribuimus; ad Spiritum ſanctum ferè referimus cogitationem; eo quòd hic ſalutari diſciplinæ infundendæ

Hori Oſiridis & Iſidis fabulæ explicatæ.

Horus qua in re inuocari ſolitus.

dendæ præsit, tametsi alioqui prima nominum notatione aliarum personarum attributa indicentur. Videtur ergo hæc fabula è Triadis arcanis humanæ menti inuiis ad hunc modum conficta, vt æternitatem totius diuinæ substantiæ aluum nominarint, à qua Dei nomen de Cimbrico sermone factum est. De-ew enim idem nobis significat quod Latinis Ipsa æternitas diceretur; vnde contractione per prioris vocalis ecthlipsin facta, D'ew nobis componitur, vox à qua Deus Latinis, & θεὸς Græcis deriuatur. Quoniam igitur æternitas diuina est substantia siue essentia, tres in monade complexa hypostases, finxerunt Osiridem & Isidem in ipsius aluo adhuc consistentes, tanta inter se amoris vi flagrasse, vt se complexi Horum generarint. Quò autem omnia humanis rebus similitudine quadam compararent, & quæ omni nostra notione & omnibus nominibus infinito spatio sunt superiora, ea vocibus vsitatis aliquo saltem modo darent cognoscenda, patrem etiam & matrem addiderunt. Ipsam enim æternitatem Cronum & patrem vocarunt; Æternitatis verò rationem, qua omnia complectitur & omnia ad se trahit, Rheam. Re enim idem nobis est quod ratio, dum vt nomen vsurpatur; dum verò vt verbum, idem est quod paro. Quia verò infans in vtero paratur, rationis summæ & æternæ omnia in se complexæ & parantis nomen matri contulerunt. Quid autem est hæc diuinæ rationis præparatio aliud, quàm efficientia ipsius patris, qua illa quæ creat, sibi quadam tenus accommodat & alligat, & iis ipsius Vnius rationem impertit? Re enim nihil aliud est, quàm vehemens motio ad ipsum Vnum; qua omnia ad ipsum Vnum quodammodo vibrantur. Hinc igitur Rea, siue more Græco Rhea. Cronus à Cron dicitur, quasi Car-ron / id est, eius quod carissimum est omnibus rotunditas siue rotundus decursus: quæ vera est descriptio æternitatis, cuius amore ducuntur omnia, quando nihil omnibus carius, quàm vt sint sempiterna. Sicut enim Ew ipsam Vnius latitudinem & durationem infinitam notat; ita Cron perennem eius decursum, cuius amore rapiuntur omnia. Quoniam igitur suiipsius amore perpetuò in se recurrente Deus omnia creat, Croni nomen aptum putarunt Ianigenæ ad patris notionem explicandam. Et quia eo ipso quo omnia quæ creat sibi ipsi vnit, Re matri applicarunt; quod non aliud est quàm si dicas, Antiquum dierum esse patrem vniuersorum; Sapientiam verò omnium esse matrem. In eadem igitur & vna diuina essentia patris & matris similitudo quædam inuenitur, iuxta illud Orphicum:

Iupiter & mas est & femina nescia mortis:

& quia in hac vnitate tres sunt personæ siue hypostases, & quia Spiritus sanctus ab antiquo dierum & à sapientia procedit, veritatem fabula velarunt, qua Spiritus sanctus ab Osiride & Isidе se mutuo amore complexis, genitus diceretur. Ianigenæ Apollinis potiùs nomine hoc loco vsuri fuissent, nisi sciuissent ab Hori ore Apollinem procedere, & nomen Hori pro eo etiam accipi posse; qui præsidio suo omnem disciplinam auribus instillandam tuetur, atque adeò ipsemet instillat, ab Osiride & Isidе in essentiæ vnitate procedens. Addiderunt & illud, vnà cum Osiride vocem exstitisse; qua diceretur, Vniuersi totius dominus in lucem procedit: quod non aliud iis significat qui veritatem agnoscunt, quàm patri Osiridi coæternum esse Verbum siue Vocem, per quam Deus siue Osiris, id est, Dominus noster omnia creauit: cui cùm addunt ipsam lucem, Spiritum sanctum indicant, quo verbum omnia illustrat ac tuetur. Osiris igitur vox & lux idem signant quod Osiris, Isis & Horus. Atque hinc illud est quòd oculorum Hori genitura quoque celebretur: quo in ritu Horum & ipsius oculos habes distinctos, quasi Horus propriè filius sit, & eius lux siue oculi Spiritus sanctus. Quòd autem sapientia, in qua Deus omnia vt in principio creauit, Rea vocetur, id valde conueniens est nostrati locutioni, in qua Re rationem significat, quæ sapientiæ æquè ac voci conuenit, propterea quòd Re etiam idem sit quod paro: & quia Deus omnia dicendo parat, Re pro loquor siue ratiocinor vsurpatur; quod alij Reden paragogicôs dicunt, iuxtà atque pro ratione quoque Reden plerique pronuntiant. Neque igitur longè aberrarunt, qui Isidem sapientiam esse statuerunt; quamuis in nomine ad Græcos fontes referendo nihil sani dixerint. Illud certè ad linguam nostram bene quadrat, quòd in Osiride Domini & Regis vniuersorum agnouerint dignitatem, cùm ea voce Dominus noster significetur: vel si postremam syllabam Cimbricam quoque esse velis, quod equidem malim, quoniam

Æternitas.

Dei vocis etymon.

Ew.

θεὸς.

Hori generatio.

Cronus.

Rhea etymō. Re.

Cronus vnde nomē habeat.

Deus in vnā diuina essentia quandam habet patris & matris similitudinē.

Reden.

Osiris quid significet, & nominis origo.

niam eadem sit in Isis, Osiris; idem fuerit ac si dicas, Noster dominus est. Atque hæc nominis notatio tesseræ siue insigni Osiridis egregiè conuenit, quod sceptrum erat cum oculo; quorum illud potestatem & filium, hoc lucem & Spiritum sanctum denotabat. Quoniam verò Osiris à nostra voce nonnihil deflexit, origo eius examinanda, quæ est Ouserís. quod nomen si per vestigia retrò legas, habebis Siresno: quod rursus duobus modis diuidi potest, vel vt sit Si-res-no, quo denotatur visus ad erectionem siue ad assurgendum necessarius: siue visus ad erigendum assurgendumque inuitat: vel vt solutio fiat in Si-re-sno/qua dicitur visus præparat malum vel peruersum. Cælorum enim obtutu præparantur peruersi nostri animi, vt Deum esse cogitent, & eius potestatē & ordinem agnoscant. Videmus ergo in ichnæa Osiridis cōuersione oculum & sceptrum, & præterea quem hæc visum nobis præbeant. Oculus visum confert, sceptrum nos assurgere cogit, & ad supremum bonorum inuitat vt rem nobis necessariam; & hæc ipsa peruersos & malos nostros animos præparant ad salutem. Quicquid enim in nobis boni est, à Deo est; quicquid propriè nostrum est, malum est: quod nomenclator in Ons/ quo Nos & Nostrum denotatur, manifestauit, quasi diceret, Vis scire quid nostrum sit, redi per vestigia, & in Ons / Sno inuenies. Ab Ons Latini Nos per metathesim fecerunt. Sed hæc spissum codicem postularent. Nobis ad reliqua pergendum. Quoniam igitur Osiris pater est vniuersorum, fascinum ei semper erectum tribuerunt, indefessam creandi vim denotantes. Finxerunt deinde Typhonem Oro, Isidi & Osiridi aduersatium. Oro item id tribuunt quidam quòd Typhonem castrarit. His insana addunt, & ea varia & infinita, nec ordine vllo aut ratione cohærentia, pro eo atque quisque vel hoc, vel illud de horum nominum significatione somniauit. Nobis satis esto voces intellexisse, & ex his viam præmonstrasse ad priscam veritatem necdum mendaciis contaminatam. Onf-her-is in Osiris mutatū esse dixi, vt ex e longa crebrò fit I longum, vt de Iride & Liliis in Francorum insignibus memini tradidisse. Quòd autem fabulantur Isidem phylacterium assumsisse vt Horum feliciter pareret, ex eo videtur originem sumsisse, quòd filius humanā naturam assumpturus esset, quæ vera foret humani generis custodia; & qua assumta audiendus esset, ac Spiritum sanctum hominibus daturus. Iam Typhon cacodæmon est, ita dictus, quòd hominum genus semper frustrari conetur, atque impedire quò minùs adscendat & intelligat veritatem. Het uphon/ siue Het op hon/ siue etiam Het auphon idem est ac si dicas, Id quod nos defraudat supernis & apertis. Hinc more nostro Tuphon. Op enim vtrumque signat, supra videlicet ac reseratum. Hinc Hori & Typhonis pugna. Horus enim Apollo est, ea quæ occulta sunt recludens, & nobis specum aperiens: Typhon contrà nos impediens atque defraudans, ne Apollo nobis recondita reuelet, ac caliginosum antrum recludat. In Apollinis nomine ex Aup A seruatur, in Typhonis posterior diphthongi pars remansit. Sed hæc ne nimis angustis spatiis incluserim vereor, & idcirco huic Typhonis omnia perturbantis considerationi immorabor. Ipsum certè nomen nobis apertum, nec vllam cladem notatu dignam perpessum; eo quòd non aup tantùm, sed op & vp etiam variantibus dialectis in eadem significatione dicatur. Het-up-hon igitur Tuphon dedit, quod Græci Typhon, non aliter quàm μυκάω pro Mugio, & similia pro similibus scribunt. Quia verò Op duo notat, quorum alterum tantundem valet quantum sursum & supernè; alterum apertum significat, quòd superiora aperta sint, inferiora angustis spatiis concluſa, Typhon tam latam nobis fraudem indicabit & frustrationem, quàm latè ipsius Op significatio patebit. Diabolus igitur dum primùm seipse per inuidiam & superbiam cælo fraudauit, loco omnium supremo, verè poterat Typhon vocari: deinde cùm è felici statu Adamum deiecit ad mortalem miseriam, rursus Typhon meruit dici: nec minùs nunc & semper dum fraudibus suis & retibus nos impedit, quò minus sursum queamus euolare. Præterea quando nos semper ab illis arcet quæ infinitis spatiis patent, his terrenis perpetuò includens, potest & hac rursus ratione Typhon nuncupari, quòd iis nos defraudet quæ Deus nobis aperta esse voluit & peruia. Deus enim cælum nobis recluſit; hic molitur vt nos insidiis suis irretitos ab eo procul excludat. Hic igitur ille est perpetuus Osiridis in nobis hostis, qui semper diligentissimè inuestigat, ecqua nostri parte exigua adhuc diuinæ imaginis scintilla restet, vt eā protinus inuadat, & variis perturbatio-

Osiridis insigne siue tessera.

Ons.

Sno.

Nos, vnde habeant Latini.

Typhō Horo, Isidi & Osiridi aduersarius.

Typhonis nomenclatura ratio.

Op.

Aup.
Op.
Vp.

Typhon cacodæmon est.

turbationibus & animi morbis dissipet, ac tandem penitus extinguat. Typhon igitur hoc modo in genus humanum grassans, & Osiridem siue verum Dei cultum in varias & insanas distrahens superstitiones, hoc effecit fraudibus suis, vt sapientia & prouidentia diuina, occulta & incognita via cuniculos aduersus hanc dæmoniacam tyrannidem moliretur, & vim suam masculam tandem in Nilum deiici permitteret, id est, Verbum suum, per quod omnia creauit, humanæ naturæ vniret. Nilus nomen est Ianigenarum, quo id vocatur, quod nouitatem inducit. Ægypti igitur flumini terram quotannis renouanti hoc nomen dederunt: & quia caro, in quam verbum demissum est, toti mundo nouam faciem induxit, finxerunt prisci Osiridis testiculos in Nilum deiectos, id est, in id quo nouitas adduceretur. Νεῖλος enim ex Νεῖ fit, quo nouum notatur, & λεῖ, quod idem est quod duco. Quòd si propiùs ad fluminis & hominis naturam nomen quadrare velis, licebit dicere, Nilum quasi Ni-leem vocari, quo noua argilla denotatur, propterea quòd quotannis nouam argillam siue cœnosam & pinguem terram inuehat. Sic Verbum siue Osiridis mascula vis in Nilum demissa diceretur ea de causa, quòd Christus non noua modò argilla esset, sed vetus etiam veteris Adami lutum renouaret, & eius antiquum & aridum squalorem noua pinguedine, effetam sterilitatem noua feracitate commutaret. Isis igitur, siue sapientia diuina, instituit, vt ad huius nouæ generationis futuræ significationem festum celebraretur, & Phalli circumferretur figura. Sed hæc omnia Typhon in rem suam vertit, & in fœdas turpitudines detorsit; nec ab eo destitit, dum Horus Dei filius eum deuicit, & per Apollinem suum siue Spiritum omnem aperuit veritatem, & vincula quibus Typhon nos à cælo distinebat, abrupit. His nominibus ita explicatis, clara sunt omnia & veritati consona quæ de Horo & Typhone dicuntur. Verùm quia non solùm dæmon nos decipit atque fallit, & ne ad lumen veritatis adscendamus impedit; sed caro etiam & corruptus noster Adam; factum est vt Typhonis nomen pro vitiata nostra natura frequenter vsurpetur: & quia Horus per spiritum oris sui hanc ad se trahit, fit vt Horus magneti, animus noster corruptus ferro comparetur; non aliter atque Orpheus saxa modulatione sua traxisse narratur. Horus enim ab audiendo dictus, vti Orpheus ab auribus moderandis, & iis quæ audienda cuique sunt componendis. Fides autem in Iesum Christum filium Dei, quem audire iubemur, auribus instillatur à doctoribus, & sancta sermonis horum efficacitate haud secus trahimur, atque ab Hercule quopiam Gallico; cuius fabula ad hanc ipsam veritatem, omnes ad se spiritu suo rapientem, refertur; vt ad primam omnis veri sermonis ideam. Atque hæc quidem omnia, quæ de Harpocrate & Horo & Apolline dicuntur, & symbolo denotantur, vt vera sunt, dum ad quosuis discipulos & quosuis veritatis doctores accommodantur, ita multo magis in præstantissimum doctoris exemplar quadrant, citra cuius opem, subsidium & gratiam nihil nec discere nec docere possumus hominum animis salutare. Ne miretur ergo quisquam, dum symbolum summis applicamus, quando quæ vera sunt nusquam veriora sunt quàm in suis ideis: & certè ita semper in priscis tesseris & nominibus est versandum, vt eorum significatio in summis examinetur, in quibus nisi firma ratione subsistat, frustra eius veritatem inferioribus applicare nitemur. Nec quisquam offendi debet, dum religionis mysteria priscis symbolis & nominibus adscribuntur, quasi sacra profanis polluantur. Idem enim spiritus veteres illos Sethinos & ante & post diluuium duxit, qui multis pòst seculis Apostolos rexit, & hactenus Ecclesiam suam gubernat. Quid mirum igitur, si primo primæ linguæ auctori æternæ veritatis arcana ab hoc inspirata dicam, vt ea idoneis & artificiosis nominibus consecraret, & iis vtpote monumentis perennibus ad posteros transmitteret, quò tandem ex horum & legis veteris & euangelicæ doctrinæ collatione perpetuus ab initio mundi veritatis & religionis consensus & concors in omnibus vnio cognosceretur, ab iis penes quos hæc lingua mansisset? Quoniam verò ad Typhonem infirmandum eiusque vires frangendas nihil Apollinis omnia reuelantis munere potentius, finxerunt antiqui, Horum testiculos Typhoni amputasse. Testiculos ad masculam vim notandam veteres vsurparunt, & dum Ithyphallos pingebant, generandi significabant facultatem; non eam modò qua quid creatur, sed illam etiam qua mentes formantur ac docentur: & hanc quidem tanto potentiùs, quanto intelligentia corpori

Nilus.

Nili etymon. Ni. lei.

Typhon carnem nostram etiam significat.

Fabulis siue symbolis priscorum religionis mysteria applicari posse.

Horus quare Typhoni testiculos fingatur amputauisse.

Testiculi masculam vim notabant veteribus.

Ithyphalli cuius rei tesseram habuerint.

præstat. Quamuis autem signa primùm summo conueniant, inde tamen per similitudines efficaces ad inferiora descendunt; & idcirco vbicumque Ithyphallus cernitur, generationis vis indicatur, siue illa ad mentem, siue ad corpus, siue ad summum opificem, siue ad eius ministros debeat referri. Et hæc quidem prima est & proxima Phalli notatio: cui & altera indiuidua comes adhæret. Cùm enim eiusdem sit & regere & docere posse, ex consequentia de virili membro intelligitur, eum cui id tribuitur, gubernandi quoque & ducendi ius esse ab ipsa natura tributum: quod vocibus nostratibus significantiùs indicatur, apud quos vir & virile membrum à ducendo nomen habent; & testiculus Cul nuncupatus votum videtur indicare, quo homines optent, vt is ad regendi custodiendique populi veniat dignitatem; & ichnæa sui conuersione aperte demonstrat felix & faustum imperium illud solum esse, quod testiculus administrat. Quamobrem si hæc corporis pars cuipiam dicatur exsecta, intelligere oportet ei non masculas tantùm vires, sed gubernandi quoque regendique præcisam esse potestatem: & ad hunc modum illud de Typhone castrato intelligi, vt nimirum significetur regnum ipsi ab Horo ademptum, totasque ipsius vires fractas & pessumdatas fuisse: quod tum contigit, cùm Christus verus Horus, & idem verus Hercules, id est, totius vniuersitatis masculum robur magnum draconem in cruce deuicit. Verumenimuerò dum hoc modo vel de Horo vel de Harpocrate loquimur, sermonem nostrum de numine ipso & præside veræ religionis, cuius discendæ imaginem symbolum proponit, capere necesse est. Deum enim frequenter ab eo nuncupamus, cuius nobis gratiam concedit: qua ratione Harpocrates dicetur, quia nobis largitur, vt quæ Harpocratis symbolo notantur, ea & intelligamus & reapse præstemus. Vel se Harpocratem Deus præstat, dum æternum suum consilium Harpocratico more exsequitur. Sunt enim in mente diuina omnium eorum quæ recta ratione procedunt ideæ sempiternæ, à quibus ad inferiora similitudines trino progressu funduntur. de quibus latiùs in Daleth agemus. Horus autem vocari potest, quòd & ipse nos audiat, & nobis det veritatis audiendæ facultatem.

Phalli notatio.

Cul.

Aus.

LIBER

LIBER V.

NOMINIBVS ergo & fabulis sic satis explicatis, reliquum est videre, an signum Harpocratis aspectabile vocali ipsius symbolo concordet, atque an alterum alterius nobis offerat intelligentiam & interpretationem. Absurdissimum enim esset figuras hieroglyphicas à sacris nominibus dissidere, vel cum iis aut parum aut nihil habere cognationis. Priore igitur loco Heliotropij scalpturam explicabo, quòd ea simplicior sit, & minus quàm altera effigies ex ære fusa varietatis ostendat: & quia vtrique commune est quòd sedeat & digitum ori applicet, de his notis prius agendũ. Scio apud Ægyptios geminum Hori natalem in fabulis fuisse; alterum perfecti, & toto corpore integri; alterum imperfecti, & parte corporis inferiore mutili, & ad eundum impotentis: quod quamuis ad duplicem filij genituram videatur referri; & illam qua fatu æterno pater filium gignit; & alteram qua verbum caro factũ est, & mortalem & mancam & multis modis claudam induit naturam, nos tamen in eo exponendo diutius non morabimur, eo quòd cùm ex his quæ dicta sunt satis perspicuum reddatur, modò dumtaxat sit indicatum; tum hoc nomine pro symbolo discendi auidis proponi consueto malimus vti, quàm ad sublimia illa euolare, in quibus contemplandis nullus exitus reperiretur. Traherer enim mox quadam fabularum catena ad Vulcani lapsum & claudicationem; & adamantinum illud rete quo Venus Marti connexa fuisse narratur, enodare cogerer; in quo plus quàm in ipso opere quod suscepimus agendum, laboris esset. Omittam igitur hanc mancam supremi Hori naturam; quam assumpsit vt nos in vmbra mortis & profundo æternæ caliginis barathro iacentes erigeret, ac gressus eius compotes redderet, quo in cælestem patriam redire possemus. Omittam etiam summum illud silentium quo vsus est Horus in Typhone fallendo: nec dicam de tarditate, heu nimium longa patribus in Tartari limbo iacentibus, qua Deus vsus est in arcano hoc & maximo consilio aggrediendo. Hæc enim & id genus alia eodem pertinentia vel nimis tenuiter exponenda nobis essent, vel plus temporis, plus doctrinæ, plus eloquẽtiæ, quàm nostra præstare queat ieiunitas, desiderarẽt. Scio equidem in his supremum verticem esse omnium mysteriorũ, ad quæ cognoscenda omnis disciplina tendere debet; atque adeò omnia quæ hoc symbolo denotantur, ad hunc scopum collimare; verùm nos, vt modò diximus, nolumus pennis nostris altius attolli, ne liquefacta ingenij nostri cera, cum Icaro in pelagus aliquod ignorantiæ & vagos diuersarum dubitationum fluctus incidamus. Satis nobis esto ea velut indice quodam Mercuriali eminus ostendisse, & iis quibus Horus benigniore affulsit aura, materiam suppeditasse; non copiosam modò & vberem, sed dignissimam etiam sapientia eloquentissima, & eloquentia sapientissima. Nos humiles humiliora tractemus, & sedentariam pusionis nostri vitam ad Harpocratis nomen, vt polliciti sumus, quadrare doceamus. Qui Har sonat, tardare iubet ac perseuerare. Atqui nulla corporis forma aptior est diuturnæ moræ, quàm si quis sedeat; eo quòd sedendo minimũ defatigemur. Quamobrẽ qui quàm diutissimè velit in re quapiam perseuerare, ei nemo non suadebit vt se componat quàm cõmodissimè potest ad sedendum. Nónne in Latinorũ consuetudine videmus esse, vt Sedere pro morari ponãt? iuxta quam Cicero malitia pelagi detentus, dixit se Corcyræ sedere; & T. Liuius Pœnos ad Trebiam sedisse narrat; eo quòd diu illic commorati essent. Sed quid exemplis opus est? An non assiduus inde dicitur, qui diu in eadem re versatur, quòd ei videatur assidere? Iam quorsum sessio potissimùm conducat, comitiorum apud Christianos vniuersalium sessiones satis declarant. Sedetur enim maximè ad consilium de rebus arduis capiendum, vt Virgilius cecinit: *Celsa sedet Aeolus arce.* vt Plautus: *Sine iuxta aram sedeam, & dabo meliora consilia.* Hinc senatorum apud Romanos curules sellæ, vt nimirum in iis sedentes consilia caperent tranquilliora & aptiora ad res stabiliendas & diu conseruandas. Est autem Sedeo ab origine nostratis liuguæ, in qua Set idem est quod colloco, & Sit idem quod Sedeo: quorum vtrumque ichnæa conuersione monstrat omnẽ sessionem ad ipsum Ens referri oportere; quod quid aliud est, quàm nobis propterea sedendum esse, vt in Entis & veri contemplatione summa

Harpocratis effigiei explicatio.

Hori natiuitas gemina.

Sessio quid significet in Harpocratis effigie.

Sessio in comitiis vniuersalibus.

Sedetur ad consilium capiendum.

Sedeo vocis etymon.

Set.

Sit.

Se. tranquillitate verſemur. Porrò Set fit à Se / quod eſt dicebat ; & hoc à vehementi ſibi-
Es. lo ad Vnum omnia ferente, à quo Es / quod Eſt ſignificat, gignitur : qua de re in Sena-
rio, qui Ses dicitur, latiùs. Deus ergo dicendo vniuerſa collocat, & ad hoc ſedere facit,
Tes. vt ad Eſt ferátur ; quod noſtra lingua dicimus Te es, & eliſione vocalis prioris Tes : &
Tis. ſimiliter è Sit redimus ad Tis, quod idem ſignificat ac Latinus diceret à ſeſſione ad
ἴζω. Ens. Græci ἴζω à Sets fecerũt, ſibilo in Spiritũ mutato ; cuius verbi deriuationibus vtũ-
tur. Ipſa igitur vera verbi ſedeo ratione de noſtræ linguæ principiis petita clarè docemur, quis ſummus ſit & excellentiſſimus ſeſſionis fructus, & quò deceat & oporteat omnem humanam tendere ſeſſionem. Quid dixi humanam ? Num angelis alia de cauſſa throni adſcribuntur, quàm quòd in iis æternum ſedentes, vt poëtæ more loquar, Dei faciem ſemper intueantur, atque ex hoc beatiſſimo obtutu ſuauiſſima & ſuprema perfruantur voluptate ? Cui non ſederet animo cum illis ſedentibus æterna quieſcere ſeſſione ? Sedeamus igitur in hac vita, vt in illis tandem cæleſtibus thronis ſeſſione fruamur ſempiterna, id eſt, omnia noſtra ſtudia aſſiduè ad ipſum Ens in hoc mundo referantur, quo poſt hanc perituram vitam in Entis contemplatione nulla vi amplius abrumpenda perpetuò quieſcamus. Hæc eſt illa beatiſſima ſeſſio, qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſedet ad dexteram patris, cui niſi vniamur & in vnum corpus coaleſcamus, numquá poterimus ad dextrá patris noſtri qui in cælis eſt, ſedere : quæ nihil aliud eſt, quàm fons ſempiternæ vitæ, è quo ad omnes vita deriuatur & emanat : cui aſſidere idem eſt quod vitam continuò haurire, & eius aſſiduo hauſtu ſempiterna ambroſia repleri. Quò igitur hanc nobis Deus concedat ſeſſionem, & perenni nos diuini nectaris ſcaturigine inebriet, Domino noſtro, qui verus homo ad dextram patris ſedet, fide, ſpe & caritate vniamur ; quãdo per nullum alium poſſumus ad hanc adſpirare ſuauiſſimam quietem. Ad hanc vt certam nobis viam ſtruamus, à teneris annis ſeſſioni adſueſcere debemus, & Harpocratem puellũ adhuc intueri, & cogitare in iis nos poſſe diutiſſimè & facillimè perdurare, in quibus à primis annis fuerimus educati. Tenella enim hæc Harpocratis ætas commonefacit, dum ea quæ ad ſalutem noſtram & veram vitam faciunt diſcere volumus, & in eorum meditatione perſeuerare, nos pueros effici debere. Talem ſe præſtitit Magdalena, licet iam ætate prouectior, dum ad pedes Chriſti in domo Marthæ ſederet, ad vitæ verbum audiendum. Tales ſe præbuerunt omnes quotquot vmquam cum fructu ſalutari ſe diſciplinæ dediderunt ; & niſi tales perduraſſent, fruſtra apud præceptorem ſediſſent. Sic enim nos ipſe Chriſtus docuit, niſi efficiamur paruulis ſimiles, non intraturos nos in regnum cælorum : ad quod cùm omnis doctrina referri debeat, valde conuenienter veritati Harpocrates idonei diſcipuli exemplar tenellum refert puſionem. Et vt hoc quidem ad ſummiſſam animi humilitatem ſpectat, quæ omnibus Chriſti diſcipulis eſt neceſſaria ; ita ipſum etiam primæ ætatis exordium diuinæ legi addiſcendæ dedicare oportebit, ſi iuxta Dei in Deuteronomio præceptum vitæ rationes conſtituere velimus.

Puerilis forma quid notet in Harpocrate.

Puerorũ animos diſcipli na omnis capaciores quã prouectiorũ.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem Teſta diu.

Et verò ſi canes docere velis, à prima ſtatim ætate docendi ſunt ; & quid tũ doceas tanti refert, vt in eo quid tum docueris conſtanter perſeuerent : quod Spartanis ſuis Lycurgus duobus catulis, altero ad patinam, altero ad leporem conſectandum inſtituto ad oculum demonſtrauit. Quanto igitur ſigilla facilius molli ceræ imprimuntur quàm plumbo aut aliis corporibus duris, tanto tener puerorum animus ad omnem diſciplinam & virtutem ſuſcipiendam aptior eſt, quàm eorũ qui iam longa ruſticitate & craſſa ignorantia obduruerunt. Quamobrem puerorum animis ea ſunt inſtillanda præcepta, quorum ductu iam mox à teneris vnguiculis rectà tendant ad veram vitæ felicitatem ; & in iis omnibus quæ ad hanc referuntur ſic adſueſcant, vt ab iis recedere inſuaue & moleſtum ; in iis manere dulce & amœnum exiſtiment. Qui ſeniores iam ſunt vt difficiliùs erudiuntur ; ita facillimè ad priſtina vitia relabuntur, & non ferè in iis quæ tardiùs condocefacti ſunt, perſeuerant. Har itaque prima in Harpocratis nomine ſyllaba nulla melius figura exprimi potuit, quàm puerili ſeſſione ; quæ aptiſſima eſt ad durandum, & in iis immorandum ad quæ ſeſſionem omnem referri oportere, primi verbi Sedeo natales ichnæa conuerſione docuerunt. Seſſionem autem ad animum pertinere, eiq. neceſſariam eſſe ad ſcientiarũ perceptionem, Ariſtoteles etiam tradit, oſtendens animum

vario

vario perturbationum fluctu inquietum non antè ad discendum fieri idoneum, quàm tumultus sedetur. Vt enim imagines in vndis commotis integræ cõsistere non possunt; ita nec notiones rerum in animo perturbato: & verò qui sic agitatur veluti procellis quibusdam, non solùm tranquillus non est ad integram rerum notitiam accipiendam, sed ne suus quidem est, aut liber. Qui enim vel auaritia, vel ambitione, vel libidine, vel ira, vel simili aliquo morbo vexatur, eum nullo pacto liberum dicas; sed pessima seruitute & plus quàm tyrannica pressum. Tyrannus licet corpus affligere & cruciare possit, in animum tamen nullum ius habet: quod multorum tormenta, præsertim Christianorum, luculentis & illustribus exemplis toti mundo probauerunt: at vitiorum dominatus in animum carnificinam suam exercet, & intus in ipsis viscerum penetralibus desæuit; tanto grauiorem adferens seruitutem, quanto animus corpori antecellit. Hanc igitur domesticam tyrannidem expellas oportet, si animi tranquillitate ad scientias percipiendas necessaria perfrui velis: nec antè idoneus disciplinis fueris, quàm hoc miserrimæ & turpissimæ seruitutis iugum excusseris, & te totũ in eam asserueris libertatem, à qua liberales artes nomen sibi vindicarunt. Errat enim si quis aliud seruitutis genus liberalibus artibus credit opponi; cùm nihil vetuerit quo minùs vel Socrates in carcere, vel Epictetus in seruitute animum habuerit liberum atq. ab omni negotiorum turba sedatum. Ac quemadmodum hæc vera est libertas quæ animi custodit tranquillitatem; ita otium illud à quo liberales artes discentium diatribæ, scholæ vocantur, ab animo negotiorum turbas excludat necesse est. Mirum est quàm omnes mortales otij sint cupidi, & quàm rursus ipsi sibi sexcentas negotiorum turbas accersant. Magnis laboribus & discursibus diuitiæ quæruntur & parantur, quo iis otium ali sustinerique possit. At dum his nimium incumbimus, & nihil satis esse ducimus, non otium modò procul abercemus, sed totam etiam negotiis impendimus ætatem, & illo semper caremus quò studia nostra omnia spectabunt. Sed quid est frustrari, & frustrà plurimum laboris subire? hoc ipsum est frustrari, perpetuò materiam otio comparare, & numquam ad otium peruenire. Elegantissimam nobis oden Horatius cecinit, qua has stolidas curas, & frustra suscipi consuetas procul ablegauit, & longum valere iussit:

Discere volẽtem animum debere perturbationibus habere liberum.

Otium omnes optare, neminem consequi.

Otium Diuos rogat in patenti
Prensus Aegæo: simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori
Grosphe, non gemmis neque purpura ve-
nale nec auro.
Non enim gazæ neque consularis
Summouet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum:
Nec leues somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.
Quid breui fortes iaculamur æuo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exsul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitiosa naues
Cura, nec turmas equitum relinquit
Ocyor ceruis, & agente nimbos
Ocyor Euro.
Lætus in præsens animus, quod vltra est
Oderit curare.

Hæc & plura ille: quibus me veluti Siren quædam detinere solet. Quid, rogo, magis ridicu-

ridiculum,quàm perpetuis curis immori, vt otio tandem optato potiaris, ad quod nullum tibi vitæ ſpatium relinquas? Digniſſimum eſt illud Cyneæ dictum quo Pyrrhum conatus eſt à bellorum tumultibus ad otium vocare. Cùm Pyrrhus interrogatus ab eo, quid Italia,quid Sicilia,quid Carthagine,quid Macedonia, quid Græcia in poteſtatem redacta facturus eſſet; reſponderet, in otio & lætis conuiuiis ſe victurum; mox ſubiecit: Quin igitur nunc otio illo perfruimur, & animum oblectamus? Quòd ſi χολῆς & Otij nomina ad originem primam reducas, deprehendes in iis magnam cum Harpocratis ſeſſione conuenientiam;& fateberis,non minus has voces,quàm ipſam imaginem ſymbolicas eſſe. Schol enim à Lochs fit, per conuerſionem: quæ vox lætiſſimum ſignat, à Locht/ quo lætus denotatur, dum vt epitheton vſurpatur: cuius ea ratio eſt, quòd Licht ſignificat & lumen dare, & leuare; vnde Locht à præterito imperfecto formatum, dum ſubſtat adiecto, aërem ſignificat; eo quòd ſimul leuitatem rebus & lumen præbeat. Quoniam itaque tantum in nobis eſt lætitiæ,quantum luminoſi aëris, vox Locht alteri voci adiecta lætum ſignificat; cauſſam ſimul lætitiæ & eius vſum deſignans. Qui enim Locht vocatur, is ſimul & leuitatem & lumen accepiſſe dicitur. Leuitas igitur idonea eſt ad pernicem & volucrem mentis celeritatem: lumen verò rectum iter ad ſuperna, à quibus deſcendit, nobis demonſtrat; & eodem ipſa etiam leuitas ſuapte natura contendit. Vides itaque in Locht læti animi cauſſam, quæ tota in lucido ſpiritu continetur. Vides item maximum eius & præſtãtiſſimum vſum eum eſſe, vt ad ſuperna & primum luminis fontẽ ſubleuemur. Et certè hæc vera eſt veræ lætitiæ definitio, non efficientem modò cauſſam complexa, ſed etiam finientem. Quamobrem id quod ipſius Locht ſiue Lochs eſt (vtrumque enim dicitur) id eſt, lætiſſimi proprium, Schol, vnde χολὴ Græcorum, denotat. Quid autem hoc aliud eſt, quàm otium collatum ad ſuperna, & ipſum luminis fontem cognoſcendum? Lætiſſimum igitur otium ſit neceſſe eſt, & plenum lucidi ſpiritus, ſi Græco Scholæ nomine merebitur vocari. Huic nihil magis contrariũ, quàm graues curæ animum ad terrena deprimentes: quas niſi procul aberceamus, fruſtra ſcholaſticam vitam agere nitemur. Hæc cùm ita ſint, eodem Seſſio & Schola referuntur, nec alterum ab altero poteſt ſeparari. Nos hodie Leg otioſum vocamus, à Leg verbo, quod eſt iacere, vel facere vt quicquam iaceat. Hinc dicimus, Ter ſcholen leggen/ id eſt, facere vt quiſquam in ſcholis iaceat. Maximum ſanè otium eius eſſe dicis, quem ſignificas iacere. A Leg fit Querleg / quod eſt ſuper re quapiam accuratè conſideranda otiari, ſiue,vt more noſtro loquar, iacere. Neceſſe enim eſt animum noſtrum ab omnibus fluctibus & procellis liberum eſſe, & veluti planam & æquam tranquilli maris vndam iacere, quo ſinceras & puras rerum imagines & notiones ſuſcipiat atque intueatur. A Leg igitur verbo, in quo vocalis breuis eſt, fit Leeg nomen, quo otioſus & iacens denotatur: quam vocem ſi vertas, & longam vocalem in duas breues ſoluas, habebis Ge-el/ quod eſt ad altum. At nihil altum eſt omnium rerũ ceterarum collatione præter Deum; vnde fit vt El pro altiſſimo ponatur, per excellentiæ figurá. Ab El voce breui fit Eel vox longa,qua nobile & generoſum deſignatur,eo quòd omnis generis noſtri gloria ab altiſſimo fluat, nec quicquá nobile dici debeat quod non à Deo proficiſcatur. Quo fit, vt ſi Leeg in Geel vertas, docearis otioſum ad nobilitatẽ rectà contendere, & per id quod nobile eſt ad altiſſimum peruenire debere, alioqui otioſi nomen non mereri. Nihil ergo minùs otioſum, nihil minùs vel ad nobilitatẽ, vel ad Deũ ſpectans, quàm homines illi aut belluę, quibus tota ętas potationibus, ludis, bellis, libidinibus, & aliis id genus nugis cõſumitur; tametſi hi ſoli ſeſe generoſos eſſe & arbitrẽtur & iactẽt, cùm nullæ pecudes magis ſint aut degeneres & viliores, aut à primo nobilitatis fonte longius remotæ. Deſpuamus igitur hos nugiuendos apud vulgus nobilitatis ſuæ præcones, & belluinos potiùs ventres & gaſtrimargas pecudes, quàm vel otioſos vel generoſos vocemus. Soli illi his nominibus digni ſunt qui liberalium artium ſtudiis feriantur, & ea omnia ad eum referunt in quo ſolo nobis & omni menti creatæ licet gloriari, vt Leeg & Geel ichnæa ſua conuerſione demonſtrant. Quoniam verò Geel idem eſt quod ad nobilitatem ſpectans ſiue tendẽs, aureum colorem Geel dicimus, eo quòd eius metalli proprius ſit, quod firma partium ſuarum vnione ipſum vnum maximè referre videatur; nec quicquam in his terrenis magis accedat ad immortalitatem. Hinc aurum Soli dedicatum, eo quòd Solis omnia conſeruantis vis in ipſo luculentiſſimè cernatur; quo fit, vt aurata

Schola nomenclatura.

Schol. Lochs. Locht. Licht.

Latitia cauſſa.

χολὴ.

Leeg. Leg.

Querleg.

El. Eel.

Nobiles nulli minus quàm nobiles.

Nobiles reuera qui ſint dicendi.

Geel.

Aurum Soli ſacrum.

aurata insignia omnium splendidissima habeantur: quibus qui se iactant, ij vel à nobis, vel ab aliis discant, qua ratione digni fieri queant, vt otiosi, generosi & aurati vocentur. Non otiosè igitur, vt vulgus loquitur, sed otiosè vt sapientibus loquendum considerare debemus huius vocis Leeg arcana; & in illis sic versari, vt ex nominum & rerum magia, siue (quod idem est, cognatione ad ipsum altissimum adspiremus. Latini Otium dicũt, sed nullius vernaculæ etymologiæ gnari; licet ineptuli quidã ab Ocyus per euphemiam deriuent: quos fortassis audirem, si in Otium Cappa & Y Græcorum agnoscerem. Libri veteres Otium per Tau & Iota scribunt: quibus accedens Papyrius, à Paullo Manutio singulari orthographiæ vindice & patrono in hac ipsa quæstione laudatus, hoc addit, in hac voce sub Tau, quendam ipsius Zeta sonum audiri, vt & in nomine Tatij & similibus, in quibus I post T sequitur. Quid? quod & lapides Tau in Otio habent? Nulla igitur caussa est Latinis nota, ob quam à molestiis & laboribus vacantes, in otio degere dicantur. Oeb Germani superiores, nos Oet dicimus, vt in Oetmoet & Oetmoedig cernitur. Ett autem hæc vocula variè vsurpata, eo quòd varia sint quæ ab æterno dimanant, & ad æternum feruntur. O enim circulari sua rotunditate index est æternitatis: cui adspiratio præposita, Yo facit, quo altum denotatur; eo quòd alta ad perennem durationẽ spirare videantur, & perpetua circa idem centrum regressione imaginem nobis præbeant vitæ sempiternæ. Ab Ø item fit Oot pro perpetuo, & Altoos pro omnino ad perpetuum. Ex O & I in diphthongum coëuntibus fit Oi, quasi quiddam tenue & exile ab æterno sic fluens, vt cum eo coalescat: qua voce ouis, cuius symbolo Christus denotatur, olim generatim dicebatur; nunc pro oue femella dumtaxat in vsu est, eo quòd hic sexus, vti imbecillior, magis videatur Christi humilitati conuenire. O mirabile exiguæ voculæ mysterium! Æternitatem exilitati vnitam, ipsum infinitum minimo coniunctum cernimus; & id quidem duabus litteris in vnum sonum coëuntibus, vt nimirum cogitaremus, sub oue vnam personam latêre, quæ infinitam naturam exilitati abiectissimæ copularet. Sed de hoc alibi. Ex eodem fonte manat Oet, qua vacuum significatur & abiectum; vnde Oetmoet est pauper animus, siue animus spiritu excelso & fastu omni carens. Eadem voce mitem quoque vocamus, propterea quòd mitis animus omnibus sese præbeat vacuum & otiosum ad ea quæ quis velit audienda, & ad locum dandum iis quæ petuntur. Hanc pauperum spiritu & fastu carentium cognationem cum iis qui miti sunt, quieto & vacuo à perturbationibus animo, Deus nobis aperuit dum dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Hos enim vt coniunxit, ita eisdem præmiis ornauit. Quid enim aliud est regnum cælorum, quàm terra viuentium, quam Terræ nomine hoc loco intelligere debemus. Dicitur autem beatorum sedes Terra, propter æternam eius stabilitatem & quietem: & dum eadem cælum vocatur, non mobile aliquod cælum esse dicitur, sed æterna sedes omnibus cælis superior, perpetua firmitate constans, per nullam vmquam vim mouenda. Vt enim in cælo excelsum, sic in terra quietem æternam intelligimus. Cælum igitur beatorum Terra dicitur, & nominibus his coniunctis sublimitas æternæ quietis denotatur. Quia igitur æterna quies propria est pauperum spiritui & mitium, rectissimè nomenclator & conuenientissimè ipsi Christo Oet-moet pro paupere, miti & quieto animo posuit, vocabulo ab æternitatis nomenclatura deriuato. Est itaque Oet-moet animus perinde atque locus vacuus, omnibus cedens, nullo fastu turgens, nullis perturbationibus occupatus. Et verè talis animus vacuus solus capax est æternitatis, quoniam superbia hominem distendens, nullũ locum sapientiæ relinquat, & ceteroqui Deus superbis resistat, & humiles solos exaltet. Ab Oet igitur per diphthongum nobis scripto, Latinorum Otium descendit, quasi Oet Tí diceretur, quod idem est quod vacuum tempus. Tit enim siue Tí tempus notat, à Tí verbo, quo tendere ad aliquid significatur; quia tempus nimirum & motus sit mensura, & perpetuò ad aliud tendere, nec vmquam consistere videatur. Otium igitur adiecta terminatione Latina vacuum tempus definietur, si ad originem, pro eo ac debet, referatur; & per Tau, non per Cappa scribendum; non solùm quia sic scriptum apud veteres inueniatur, quam vnam Grammatici habent rationem; sed quia sic etymologia poscat. Quemadmodum autem lumen nos ad illud vnde lumen emanat intuendũ considerandumq; inuitat, & vt riuus nos ad fontis vocat cogitationẽ; ita Oet, quod vacuum significat, ani-

Otij etymon, & orthographia.

Oet.

O æternitatis nota.

Yo.

Oot.

Altoos.

Oi.

Oet.

Oetmoet.

Terra viuentium qua sit.

Cælum terræ beatorum.

Otij compositio & interpretatio.

Tit.

Tí.

mum noſtrum impellit ad Oot & ipſum O, id eſt, ad perpetuum & æternitatẽ. Quamobrem dum Otium audimus, in mentem venire debet ipſum non ad aliud eſſe accommodandum, quàm ad eorũ quæ ſempiterna ſunt, contemplationem. At ne hîc quidem artificij ratio metas ſibi fixit, ſed vt prorſa vox Oet ti ad perennia vocat; ita verſa elegantiſſimum habet ac ſignificãtiſſimum celeuma, quod iubet vt feruido curſu ad æternitatem feſtinemus. Quid enim aliud intelligunt noſtrates dum Jt te o audiunt, quàm ſi Latinus diceret, feruenter ad æternum ſiue ad altum? I nunc, & dubita, an otium noſtras ſit ab origine vocabulum, & an per Tau ſit, an per Cappa ſcribendum. Prodeat Varro vel Varroni quiſpiam ſimilis, & nobis tam rectas, tam aptas, tam vtiles, tam ſalutares proferat rationes vocabulorum. Non addam hîc quàm pulcra ſit in Jt te o ad aurigarum incitamenta, quibus equorum curſum moderantur, alluſio. Hit enim ſiue Jt, incitantis eſt ad feſtinandum; o imperantis quietem. Quòd ſi hæc ad vitam tuam accommodes, nónne cernis tibi ſemper ardenti ſtudio properandũ ad quietem æternam, quæ ſola verè digna eſt vt O vocetur? nec alia de cauſſa O in hanc venit loquendi conſuetudinem, vt pro quiete ponatur. Quid hîc ſapientibus faciendum, vbi tam graues ſententiæ rudibus aurigarum labris innatant & aſſiduo vſu teruntur? Quid aliud, quàm vt hoc exemplo diſcant, in contentiſſimis quibuſque voculis ingentes condi theſauros myſteriorum? Vide quò Otium, quò Leeg, quò Schola, quò Seſſio contendat, ad quas nos epulas inuitet. Dum ſedes, cogita te ſedere, vt ad ipſum Ens animus tuus adſcendat: dum ad ſcholas itas, in mentem veniat ſpiritui lucido dumtaxat ſcholas patêre, & hoc ipſo nomine te ad ipſum fontem luminis accerſiri: dum Leeg noſtras vocabulum audis, diligenter obſerua, vt eam vacui temporis & à negotiis liberi rationem ſubducas, qua ad nobilitatem & ad ipſum altiſſimũ omnis tua ſpectet cogitatio: dum Latinorũ Otium ad originem vocas, non ante tibi conſiſtendum in rebus meditandis exiſtimes, quàm ad ipſam peruenias æternam quietem; ad quam non à ſapientia modò, ſed ab aurigarum etiam barbarie incitaris. O diuinum nomenclatorem! O artificium vocabulorum ſtupendum! Quàm rectè, quàm ad amuſſim Mariæ Magdalenæ otium ad pedes Domini ſedentis his vocibus expreſſum videmus; quàm omnia hæc nomina per directam lineam ad ipſum Vnum, quod ſolum neceſſarium Chriſtus dixit, feruntur atque collimant! Quòd ſi hæc ita ſint, quid nobis inertibus, ſocordibus, & perpetuo ſtupore depreſſis fiet, dum totum vitæ tempus vel terrenis negotiis, vel inani otio, vel luſibus omne morborum genus in animo noſtro accendentibus occupamus? Non enim de omni tantùm verbo otioſo, vt videmus, homines Dei iudicium ſubibunt; ſed ſui etiam otij rationem reddere cogentur; quæ eò grauior erit ad expediendum, quòd ipſis vocabulis otium denotantibus ſimus redarguendi atque damnandi. Quid igitur illis facias, qui quicquid temporis ſtolidis ſuis aut potiùs inſanis negotiis, non alij quàm ambitioni, auaritiæ, & ventri ſeruientibus ſuffurari poſſunt, vel impudicis libris legendis, vel potationibus, vel aleæ ludendæ impendunt; in quibus omnium irritamentorum ad fœdiſſima vitia animum ſtimulantium ſumma continetur? Verùm vaſtum hîc & procelloſum pelagus proſpicio, nõ paucioribus monſtris, quàm illud quod Chriſtophoro appingitur, plenum; quæ ſi enumerare tentem, ætas me antè & charta deficiat, quàm cuncta recenſeam. Nos verò otium colamus, & Deum rogemus, in eo tantiſper nobis liceat in hac vita ſedere, donec nos Chriſtus ſibi vnitos ad dextrã patris faciat ſedere in quiete ſempiterna, ad quam Otij nomine citamur. Abſit itaque, vt aut ignauam & inertem, deſidem & inanem, aut vitioſam ceſſationem Otium vocemus, licet Latini originis ignari hoc vocabulo frequentiſſimè abutantur; inter quos Catullus ſic canit:

Hit.
Jt.
O dictio imperãtis quietem.

Otium iners & vituperandum.

Otij vocis abuſus.

Otium Catulle tibi moleſtum eſt,
Otio exultas nimiumq́, geſtis,
Otium reges priùs & potentes
Perdidit vrbes.

Et hæc quidem pro tempore de ſeſſione otioſa & ſcholaſtica ſufficiant: quæ vt ipſi Bar ſyllabæ primæ reſpondet; ita ichnæa vocum conuerſio à nobis modò explicatarum, ad ſecundæ ſyllabæ Bog notationem quadrat; qua monemur vt veterinam noſtram naturam, quæ terrenis nos affigit, ſublimemus, id eſt, è limo ad excelſa tollamus: quo verbo vt Cicero vſus fortaſſe non fuerit, nihil tamen huic noſtræ notioni quam Bog deſignat, aptius

aptius queat inueniri. Atqui ſublimare pecudem noſtram nequimus, niſi ea diligenter & ardenti ſtudio præſtemus, quæ conuerſione verbi, à quo Sedeo & Sedo deriuatur, monentur. Pog igitur ipſius ſeſſionis oſtendit ſcopum atque fructum: qui tam latè patet, quàm ſe latè ſublimium rerum contemplatio in omnem ſapientiæ partem porrigit, quamque ſublime cogitationes noſtræ ad Ens & Vnum feruntur. Iam hac ipſa via è tarditate atque perſeuerandi mora ad id venimus, quod primo obtutu contrarium prorſus videtur; ad ipſam nimirum celeritatem: quas duas res ſublimitas medium locum tenens coniungit. Dum enim ſeſſioni veræ & vero otio immoramur, atque mentem noſtram è terrenis ad cæleſtia exaltamus, ad eam peruenimus celeritatem, quam Mercurio veteres tribuerunt, petaſum eius & talaria pennis inſignientes. Quæ verò hæc eſt celeritas? Nempe non alia quàm ea qua mens noſtra ex imis terræ viſceribus ſupra omnia elementa, ſuper omnes cælos momento temporis euolat, & ipſi ſeſe ſummo omnium rerum vertici coniungit. Viden' modò vt ex Har perueniatur ad Gat / id eſt, ex longa duratione & mora ſedentaria ad celeritatem; idque per medium ipſius Pog / ſiue arduæ aggreſſionis, qua veterinum noſtrum Adamum ad cælum rapimus atque ſublimamus?

Celeritas quæ Mercurio tributa.

CEDO nunc, an quicquam poteſt Harpocratis nomine de compoſitionis artificio mirabilius cogitari, an quicquam plenius arcanorum, an quicquam rectius ad ſupremum ſapientiæ culmen iter oſtendens? Confer huic ſeſſionem, de qua modò ſatis dictum; confer ſilentium, quod indice dextræ manus labris admoto diſcipulis omnibus imperat, & diligenter examina, ecquod poſſit ſimulacrum inueniri ipſi nomenclaturæ Harpocratis aptius & conuenientius. Numquam reperietur profectò, aut ego inſigniter fallor. Quamuis autem Seſſio inſignia nobis dederit documenta, ea tamen non ad diſcipulos tantùm, ſed omnes eos pertinent qui rerum diuinarum contemplationi incumbunt, ſiue auditores ſint, ſiue magiſtri, ſiue ſibi dumtaxat & Muſis ferientur. Errarunt enim illi, & errarunt longiſſimè à recta priſcæ veritatis ipſis nominibus conſignatæ via, qui ſeſſionem ad mutilos pedes retulerunt; quando nec in ſeſſione, nec in Harpocratis vocabulo quicquam tale reperitur. Sedet Dominus noſter ad dextram patris, ſedebunt Apoſtoli in iudicio ſupremo, ſedent Angeli in thronis, ſedent doctores in cathedris; num idcirco quicquam mutili in ipſis vel eſſe vel denotari intelligemus? Sit ſanè ita, ſit Harpocrates diſcipulus; & is quidem adhuc greſſus impos, eo quòd necdum ſua ſponte in ſapientiæ ſtudiis vel conſiſtere vel progredi poſſit, & accedat hoc ad ſymboli elegantiam quandam; ſit etiam ita, vt Chriſtus in forma mutili hominis venerit, & quadam etiam ratione hic Harpocratis nomine queat denotari; id tamen minimè cogitandum, ſeſſionem generatim ad hanc notationem referri, vti ſatis à nobis eſt declaratum. Quamobrem cùm ſeſſionis nota ad diſcipuli officium exprimendum non ſufficeret, additum eſt & alterum ſignum quod propriè auditoris partes indicaret: à quo & Sigaleonis nomen accepit. Sic Auſonius:

Harpocratis ſeſſionem non ad mutilos pedes eſſe referendam.

Aut tua Sigaleon AEgyptius oſcula ſignet.

Harpocrates Sigaleon appellatus.

Ouidius tacito nomine tacitum puerum deſignauit:

Quique premit vocem, digitóque ſilentia ſuadet.

Martianus Capella eiuſdem his verbis fecit mentionem:

Verùm quidam redimitus ad os compreſſo digito ſalutari ſilentiũ commonebat. *Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.* Alibi puerum piceum vocat. Nos priùs de vocabulis quibus ſilentium ſignificatur. Apud Latinos duo verba ſunt ſileo & taceo, illo ſignificationis diſcrimine à Seruio diſtincta, vt Tacere idem ſit quod loqui deſinere; Silere, non loqui; ita vt is qui locutus non ſit, ſilere quidem dicatur, at non tacere: qua in re clarè mihi ob oculos poſuit primã & germanam horum verborũ originem. Vtrumque certè verbum in principio vnius litteræ defectum habet; eo minùs mirum, quòd ſt vna apud nos littera frequenter habeatur, vti liquet in conuerſionibus ichnæis Haſt & Staſh / Faſt & Staf / Strei & Jerſt / & ſimilibus; atque idcirco vna figura olim ſcribebatur, perinde atque hactenus apud Hebræos. Sileo igitur à Stil-em fit, quo ſignificatur quies vocis: Taceo verò à Stac-em / quod eſt finio vocem. In priore verbo Tau periit, in poſteriore Sigma. Hinc modò perſpicuum eſt, Tacere eum, qui loqui deſit; Silere verò, qui quouis modo linguam continet. Miror profectò & amo hanc Grammatici diligen-

Silentium.

Sileo & Taceo quo differant.

St Cimbris pro vna littera haberi.

Sileo vnde nomẽ habeat: Stil.

Taceo vocis etymon.

ligentiam; qua factum est, vt ex proprio verborum apud Latinos vsu origines eorum possim probare. quamquam scio hoc discrimen non obseruari. Mihi satis est Seruio hanc suboleuisse prisci sermonis proprietatem: quam licet nemo animaduertisset, de consueto tamen corruptelæ, qua ceteræ linguæ à prima degenerarunt, modo ad verborum radices peruenire potuissem: &, vt verum fatear, antè perueni, quàm cum Seruio super hac re consultassem. Græci à Swig/ quod idem nobis est quod Latinis Taceo, σιγάω fecerunt, reiecto duplici digamma, quòd eo carerent. Hebræi à Mut מוט fecerunt, sollemni sibi consuetudine, qua voces nostras alibi aliter inuertunt. Mut nobis longum silentium significat, vt dum dicimus auiculas canoras esse in Mut/ non aliud dicimus, quàm eas occlusas esse ne cantent: atque hinc Mutus apud Latinos. Mut versum Tum reddit, quod Dom ferè pronuntiamus, quo stupidus denotatur. Hinc Stom/ adiecto sibilo ad augendam notationem, pro muto apud nos vsurpatur: à quo Most pro vino adhuc bulliente & necdum defecato: quod propterea sic vocauit Nochus, quòd se mutum potu eius iacuisse sibi conscius, omnes suos posteros monitos vellet, vt à vino quod necdum deferbuisset abstinerent; ne videlicet perinde atque ipsi imprudenti & tum primùm capienti experimentum acciderat, muti redderentur. Hinc Latini Musti vocabulum à Nocho Saturno, & Iano eius filio retinuerunt. Vtinam in ceteris vocibus tam fuissent veteris primorum parentum suorum sermonis obseruantes. Mea igitur non refert siue à Mut/ siue à Stom Hebræorum מוט fluxisse dicas, cùm hoc ex eodem fonte manarit. Sed missos facientes Semigenas, Ianigenarum vocabula examinemus. Græcorum σιγάω à Swig venit: Swig à Swic; cui verbo sibilus adiectus, cedendi auget significationem, facitque vt Swic nihil aliud sit, quàm sic cedere quempiam, vt ad terram flectatur, vel totum se submittat fortiori. Vnde Swec & Swac imbecillus & infirmus. Hinc apud Germanos superiores Swechen/ est violare & constuprare. Nos in agendi notatione Swent dicimus. A Swic fit Swig/ Cappa in gamma adspiratum mutato; litteram illam quidem cognatam, sed dum effertur, magis expectorandam: quo fit, vt is qui tacet, alteri cedat & se submittat; atque id quidem intra pectoris sui sinus se retrahens. Hinc apud nos Swigt/ vox tacere iubentis, contemtum habet quendam; & ideo in familiari cum æqualibus colloquio non ferè ea vti consueuimus; at eius loco dicimus Stil/ quod est quiescе siue sile. Magna igitur summissio in Swig indicatur, quæ maximè decet discipulos erga magistros: atque inde non silent tantùm in scholis, sed vel humi sedent, vel in subselliis, vel certè in scamnis inferioribus quàm sit cathedra doctoris. Cernis itaque sessionem discipulo tacenti & se demittenti aptissimam in Harpocratis effigie; quo fit, vt significantissimè symbolum hoc Sigaleon dicatur, si Græcæ vocis origo spectetur; quæ non silentium tantùm indicat, sed apertissimam etiam habet summissionem. Hinc mox & illud colligas, barbarum esse loquendi morem, quo superiores Germani Schweig pro Swig & dicunt & scribunt, vltra sibilum adspirata etiam accersita ad vocis sibilum littera, ne parum scilicet inflatam & ventosam habere videantur locutionem: quod in omnibus ferè iis faciunt vocabulis, quorum principium nostratibus est Sigma duplici digamma præpositum. Neque enim parum conducit ad sinceram sermonis nostri vetustatem arguendam probandamque hæc Græcarum & Latinarum vocum cum nostratibus collatio, quando constat non contemnendam esse harum linguarum antiquitatem. Cùm igitur σιγάω, non χιγάω dicatur, probabile redditur, in matrice lingua Swig/ non Schweig fuisse. Sed hoc obiter. Videamus modò ecquid Swig conuersum significet, quod ad præsens faciat taciturnitatis institutum. Sunt quædam nobis voces, quæ licet versæ nihil nobis denotent, in radicibus tamen suis habent luculentam & vtilem regressionem. Dixi Swig à Wic genus duxisse; & Wic nihil aliud quàm cedo & locum cuipiam do, denotare; atq. inde potissimum & præstantissimum cedendi genus Swig dici; propterea quòd frequenter exitiosissima bella è verbis oriantur, quæ tacentibus nulla exstitissent. Wic igitur Kif contrarium habet, quod idem est quod iurgor & litigo; vbi duplex digamma in alterum digamma mutatur, tum quia hæ litteræ admodum sunt cognatæ, tum quòd f in Kif accommodatius ad significationis videatur efficacitatem, vtpote elementum aptum ad despuendum, quod in rem abominandam maximè quadrat. Monuit ergo nomenclator, nobis crebrò, nisi cedamus, altercandum litigandumque esse: quo documento vix aliud potest

esse

Swig. σιγάω verbi etymon. Mut. Mutus vnde acceperint Latini. Tum. Dom. Stom. Most. Musti vocis etymon. Swic. Swec. Swac. Swechen. Swent. Swigt. Sigaleon quare vocatus Harpocrates. Wic. Kif.

esse ad vitæ tranquillitatem & suauem quietem fructuosius. Quod igitur in Swig deriuata voce non inuenitur, id in radice cernis moneri; & tanto id quidem vtilius, quanto hæc quàm illa latius patet, atque ad plura cedendi genera refertur. Verumenimuerò quia magna reuerentia fidum arcanorum silentium cùm in sapientiæ scholis, tum maximè in sacris ritibus apud omnes gentes coli consueuit, non potui mihi persuadere, non magna hîc cura nomenclatorem versatum fuisse, & non solùm in Wit vocula matrice ichnææ conuersionis artificium, sed in swig etiam adhibuisse: quod cùm prima mihi fronte non apparuisset, ad ipsius swig transeo perpetuitatem, quam præteritis verborum imperfectis in Cimbrico sermone denotari sæpius memini me commonefecisse; propterea nimirum quòd iis præteritum, præsens & futurum tempus indicetur, vt cuiuis non obesæ naris homini non potest non subolere. Sweeg igitur sic versum, vt G'eewg nobis faciat, & ecthlipsis, per apostrophon Græcis notanda, intelligatur admissa, idem significat quod Latinus diceret, ad sæcula sempiterna. Voluit itaque silenti hac sua machinatione verbi architectus æterna illis sæcula polliceri, qui perpetuò cederent & se humiliarent; quorum illud wit, hoc swit significat; quæ ambo verbi swig notatio complectitur: & præterea has primarias Christiani hominis virtutes perpetuo silentio, quod sweeg denotat, ornarent. Videtur enim dixisse, his virtutibus quæ in sweeg continentur, quarum prima in cedendo, altera in se humiliando, ad terram demittendo, infirmandoque; tertia in taciturnitate perpetua cernitur; viam nobis strui, non ad vnum sæculum, sed ad sæcula sempiterna. An non idem hîc rursus audimus quod in Oetmoet à nobis est annotatum? qua voce eius laus designatur qui animum suum omni exinaniuit superbia. Quid enim aliud est se exinanire, quàm cuiuis cedere, cuiuis se inflectere & humiliare, & ad omnes iniurias tacere; quas omnes virtutes sweeg continebat? Profectò licet Dialecticum interrogares, nescio tamen an meliorem multis verbis ipsius Oetmoet descriptionem expediret. Oet vacuum est & inane; oetmoet igitur virtus eius qui se animo, siue facultate qua irascimur, exinaniuit. Exinaniuit se qui nemini resistit. Hoc enim animi proprium est, obsistentibus reniti. Quoniam itaque Oet tum deriuationis natura, tum ichnæa versione nos condocefacit, ipsum vacuum & inane ad æternitatem iter demonstrare iis qui sese exinaniunt; videamusq. sweeg eodem pertinere, & illud præterea addere claritatis ad intelligendum, quod non sæculũ tantùm, sed sæcula promittat, vt cogites è præmiorum numero plures in sweeg virtutes absconditas esse; non fuerit abs re D. Paulli ad Philippenses huic loco inserere verba, quò cernamus, quàm ad vnguem quadrent in hanc nomenclatoris sententiam duabus nobis vocibus expressam. Sunt autem hæc apud Latinos: *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum; vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes vnanimes, idipsum sentientes, nihilq; per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu; qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuctus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*. Hæc ille. E quibus liquet eodem spiritu nomenclatorem vocabula sua cõdidisse, quo præeunte D. Paullus sua scribebat. Et verò quia totius humilitatis exemplar & perfectissima idea in Christo fuit, ipsum Oet Christo primùm conuenire dicemus, iuxta illud quod sæpius monui, vocum rationes in ipsis primis formis suam veritatem maximè tueri. Quamobrem quo magis considero vocis oet architecturam, eo maiore capior admiratione. Christus filius est Patris æterni, oet ab æterno ducit ortum; oet supremam inanitatis ideam significat, Christus suprema est inanitatis idea, eo quòd summa sese omnis perfectionis plenitudine exinaniuerit, dum æqualis Patri in humanam se demitteret naturam, & se in forma miserrimi serui cruci affigi, & diris tormentis enecari patientissimè ferret. Vt horum commemoratione horresco & attonitus hæreo,

G'eewg.

Humilitas cuiusmodi virtus.

Oet.
Oetmoet.

Humilitatis idea Christus.

hæreo, quando nihil in me video quod vel minima parte hanc imitetur humilitatem; ita è diuerſo vehemẽter gaudeo, hanc mihi vocum noſtratium, & ſummi myſterij ſymphoniam diuinitùs reuelatam eſſe. Pergo igitur. Vti Chriſtus à Patre exaltatus eſt vltra omnes res creatas, & ad ſe omnes trahit ſublimes qui ſeſe cum ipſo exinaniunt; ita

Oet. Te-o. Oet dum conuertitur, Chriſti nobis demonſtrat adſcenſum; quia, vt dixi, Te-o idem ſit quod ad æternum & altum. Qua de re fit vt oet primùm Chriſto attribuendum ſit, qui non ſolùm ab æterna ſublimitate ad infimam deſcendit inanitatem, vt oet ſignificat; ſed ex hac rurſus ad illam peruenit, humanam naturam omnibus rebus creatis reddens altiorem; quod vox verſa Te-o clariſſimè monſtrat. Hinc illud perſpicuum quod antè ex Euangelio docui, regnum cælorum & terram viuentium, quibus altitudo ſuprema & æterna quies deſignatur, eorum eſſe qui pauperes ſunt ſpiritu atq. mites. In O igitur tria ſignificata, quæ priùs indicaui, vnà comprehendũtur, Æternitas, Altitudo, & Quies: ad quæ nobis ex oet datur adſcenſus, ſi nos cum vero & primo oet, id eſt, cum ſummo inani, glutino caritatis vniamus. Porrò quondam dixi, in præterito imperfecto ipſius ſwig quandam deſcriptionem occultari, qua inanitas per oet denotata tribus quaſi gradibus explicatur, dum cedendi, humiliandi, tacendique virtutes in vno ſweeg continentur; conſequentiæ ratio poſtulat, vt cui primo & ante omnia conuenit definitum, eidem quoque primùm conueniat definitio. Quocirca ſicut Chriſtus eſt ipſiſſimum oet, id eſt, ſupremum vacuitatis & exinanitionis exemplar; ita vt primum etiam ſit ſweeg oportet. Audiamus ergo diuiniſſimum vatem Ieſaiam, qui copiosè has tres, quas dixi, virtutes in Chriſto depinxit. Omnibus enim modis cuiuis cedebat vt vltimus haberetur, vt weet denotat: omnibus rebus ſe humiliabat, & ſumma infirmitate depreſſus iacebat, nullo non genere iniuriæ, contumeliæ, diræque violentiæ deiectus in terram; quod ſweet ſignificat: & ad hæc omnia tacebat, vt ſweeg deſignat. Audiamus, inquam, ipſum vatem, quem mirum eſt à contumacibus Iudæis hactenus non audiri. Sed & hoc ipſum ita fore diſertè idem vates prædixit: *Quis credidit*, inquit, *auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum, & non erat adſpectus, & deſiderauimus eum. Deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus: vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus: Vnuſquiſque in viam ſuam declinauit; & poſuit Dominus in eum iniquitatem omnium noſtrũm. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Hæc & plura eodem tendentia Ieſaias propheta Spiritu ſancto plenus. Videmus hîc eodem ordine enumerata quæ in Sweeg continentur. Primùm enim ita omnibus cedit, vti in terra ſitienti naſcatur; è virgine ſcilicet, è qua nulla ſtirps alia naſci potuiſſet. Mox natus poſtremus omnium eſt, & nullo loco habetur, tantum abeſt vt cuiuſpiam locum occupet; atque adeò vera ouis eſt ſiue Ois, ſiue,

Oi. vt eſt in matrice lingua, Oi, quo perſonæ vnitas indicetur. Et certè hactenus Oi pro abiectiſſimo & homine minimi aut potius nullius animi vſurpamus: quod Itali imitati *Vna pecora* pro eodem dicere ſolent. Agnum autem quem hic Propheta prædixit,

Lam. D. Ioannes demonſtrauit, Lam vocamus: quæ vox dum adiicitur alij, mutilum ſignificat & impotentem, & nullis viribus præditum: vnde mox ex ipſo nomine noſtrati intelligimus, cur Chriſtus agno ſe compararit. Porrò non ſatis fuit quòd agnus natus eſſet, quo nihil imbecillius & magis innoxium; niſi hoc etiam accederet, vt omni genere aduerſitatum deiiceretur, & ſub grauiſſimo iniquitatum humanarum pondere depreſſus iaceret: quod ſecundo loco vates adiunxit. Poſtea idem omnibus vexatus iniuriis ac tractus ad occidionem, tacet, haud ſecus atque agnus dum tondetur. Quid ego hîc prius admirer, vaticinij ne claritatem, an mirificũ arcanum in fabrica verbi Sweeg, ſub tenui & ferè Coo velo deliteſcens? Quàm multis vocibus, bone Mercuri, & tu vere Apollo, ſecretum illud humanæ naturæ redimendæ myſterium intexuiſti! quàm

multis

O tria ſignificata comprehendit.

Chriſtus qualis fuerat ab Iſaia prædictus.

multis vocabulorum indiciis salutis nostræ viam ab æterno prædestinatam demonstrasti! Ita me spiritus amet eius architecti qui sermonem nostrum condidit, vt ad hunc semper scopum videtur collimasse, quo de vocum structura in felicitatis humanæ cognitionem veniremus. Quo fit, vt effrontis impudentiæ, & crassissimæ & plusquàm bestuinæ ignorantiæ non iniuria accusarer atq. reus peragerer, si alij quàm Spiritui sancto, qui reuera Hermes ter maximus & est & debet nominari, linguæ nostræ primordia accepta ferrem. Thot igitur Thot, & vt ter maximũ ter nominem, Thot, inquam, & linguam & litteras hominibus tradidit, non in Ægypto, vt errabunda Græcia putat, sed apud Indos, eo ipso tempore quo Adamus Spiritus sancti instinctu animalibus ac rebus ceteris, iuxta cuiusq. naturã, & pro eo ac veritas postulabat, nomina narratur indidisse. Tum itaque inter cetera verbum ſweeg ad eum modum fecit, vt rectum Christo militanti, conuersum triumphanti conueniret; atque significaret eum esse solum, de quo dici queat ge-ews/ id est, dat sæcula sempiterna. ews enim & ewen in plurali numero dicitur, vt patet iis qui norunt nostratem nominum inflectendorum formulam, vt Heews & Heeuwen/& Flemigs & Flemingen/Scots & Scotten/Engles & Engelen/& similia infinita. Christus ergo qui omnibus cedebat, omni malorũ pondere deprimebatur, ad omnes iniurias tacebat; bifariam ge-ews dici meretur, tum quia ad sempiterna sæculorum sæcula & ipse tendit & alios ducit, tum quia ipsemet hæc sæcula sempiterna largitur. Et hæc quidem de verbo ſwig/ vnde Sigaleon deriuatur: quod nomen si de origine sua examines, iuxta eam quam modò dixi rationem, nemini prius quàm ipsi Christo, atque deinde ipsi Harpocrati, vti symbolo nobis ostendenti doctrinam Christianam, attribuendum esse deprehendes, vt priùs omnia sunt in exemplaribus quàm in signis. Verùm quia ex signis ad ideas peruenitur, & ex illis hæ cognoscuntur, nomina in docendis hominibus priùs symbolis damus, & symbola vt symbola, non vt res ipsas tractare debemus. Harpocrates igitur Sigaleon est, quia figura sua silentium seruandum esse demonstrat, vt nimirum ex hoc nostro silentio tandem ad eius veniamus cognitionem, cui ratio verbi ſwig primò conuenit. Ceterùm quoniam silentij nomen à sileo deriuatur, & hoc à ſtil nostrati, quærenda & huius radicis etymologia. Stil itaque vt verbum & nomen vsurpatur; & illo modo quietum reddere, hoc quietum designat. Vt enim ſet significat idem quod facio sedere, & sit sedere; ita ſtel significat collocare, & ſtil quietum. Componitur autem hæc vox ſtel ex ſte & hel. Ste idem est quod statio siue locus, vt T'is myn ſte/ id est, locus siue statio mea est. Fit autem à ſta/ vnde verbum Sto Latinorum eiusdem significationis, & Græcorum ἵστημι. Est autem sta vehemens vinculum ipsius ad anteriora progressus, vt patet è natura litterarum, contrarium haſt/ quod idem est quod accelero: cui voci adspiratio præponitur, vt celeritas ipso spiritu magis incitetur. Ab haſten Latini deriuarunt festino, adspiratione mutata in digamma: quæ variandarum litterarum forma nulli genti quàm Hispanis frequentior; apud quos alij *hyo*, alij *fyo*, & plurima similiter alij per adspirationem, alij per digamma efferunt. Sed hoc obiter. Ste igitur statio siue locus est, cui si hel vel el iungas, ſtel feceris, & id significaueris quod supremum est in suo cuique loco assignando. Cùm igitur vt verbum vsurpatur, idem est quod statuo; at cùm nomen est, loci principem denotat, vel quod summam tenet stationem; quo tamen rarò vtimur. Stel-bier dicimus pro cereuisia ea quæ nunc ad supremum bonitatis suæ statum peruenit; vltra quem si progrediatur, corrumpitur. Contrarium eius versa voce intelligimus, quæ teritur vsu frequentissimo. Leſt enim vltimum significat, à quo lpſt pro limbo ponitur, eo quòd vltimus rebus accedat; & leeſt pro forma calceorum, & quia pes vltimum sit membrorum, & forma calceis vltimò eximatur: vnde verleeſt per metaphoram idem significat quod vltimam manum cuipiam rei impono. Steel conuersum id notat, quo primùm res quæpiam arripitur: vnde verbum ſteel pro furari dicitur; quòd qui furatur, omnem quærat arripiendi ansam. A ſtel breui fit ſtil breue, vt à ſet sit. Quòd si vocem producas, illud denotabis, quod & ipsum firmiter per se stat, & aliis vt stent præstare potest: vnde Græcis στήλη. Quòd στήλη à nostro ſtpl fiat, in compositione facilè cernas, vbi ex I longo, non ἦτα, sed ὑλλὸν factum videmus. Omnes enim & Græci & Latini Peristylium & peristylum scribunt, pro eo loco qui columnis circumdatus est; Epistylium pro eo quod columnis imponitur. Sicut igitur lpſt/ id est limbus, vltimus rebus imponitur; ita ſtpl primum sibi

Harpocrates cur Sigaleon dictus.

Sileo, es, ere.
Stil.
Set.
Sit.
Stel.
Ste.

Sto & ἵστημι etymon.
Sta.
Haſt.

Festino vnde Latini acceperint.

H adspirationis transitus in F digamma.

Leſt.
Lpſt.
Leeſt.
Verleeſt.
Steel.

στήλη *à nostro* Stpl *fieri.*

Peristylium & Epistylium quid significent, & vnde formentur.

locum vindicat; & idcirco hoc à ſtel / illud à leſt deriuatur. Sed hæc longiùs nos abducunt. Stil ergo breui vocali pronuntiatum, vel quietum reddo, vel quietum ſignificat, de hac quam dixi deriuatione. Verùm in eadem vocula alia notationis ratio reperietur, ſi diligenter quæratur. Stil enim nobis ſte hil in mentẽ vocat. Nam ex hel altum denotante, hil deriuatur, quo locus altus ſignificatur. Hinc hilbil puerorum luſus, quo nates in altum tollunt capiti inſiſtentes. Anglis hil quàm noſtris frequentius. Londini Tor hil/ id eſt arcis tumulus, nobiliſſimus locus eſt, plurimis ibi Ducibus & ſatrapis decollatis: cuius eo magis memini, tum quòd ipſe Northumbriæ Ducem & alios aliquot principes viros viderim truncari, & hodie nobis referatur Ducem Nortfociæ condemnatum eſſe vt ſemiſuſpenſo caput amputetur, & corpus in quatuor partes ſecetur. Cùm igitur hil tumulus ſit, ſte hil idem fuerit quod ſtationis tumulus: quo fit, vt in ſtil/ id eſt, in quieto, altitudinem quandam intelligamus. Quæ verò ea eſt altitudo, quæ ſic propria ſit tranquilli, vt Cimbrico eius nomine indicetur? Quæ alia, quàm ea ad quam quies omnis ſpectare debet? Vt ſit ſiue ſeſſio ad ipſum Ens ſui conuerſione deducit, ſchola ad luminis fontem, otium ad æternitatem, leeg ad nobile & excelſum; ita ſtil quoque nos monet, vt quieti ſtationis noſtræ quæramus ſublimitatem: quo nomenclatoris artificio docemur, celſiſſimam humani ſtatus ſedem in tranquillitate collocari. Quid? an non ex ſtel quoque idem intelligis, in quo æquè altum deſignatur, ita vt nemo ſtatuere illud meritò dicatur, quod non ad altitudinem quampiam attollat? Quamobrem qui domi ſuæ & in ſua ipſius ſtatione tumulum aliquem & montem quærit, è quo tamquam è ſpecula longiùs proſpiciat, & cælum propiùs tangat; is ſibi quietem comparet atque animi tranquillitatem. Latinis non Sedeo tantùm, ſed Sedo etiam pro quietum reddo, à Set noſtrati vocabulo deriuatur: quod ſi de radice interpreteris, comperies non aliud notare, quàm rem quampiam componere ad ſeſſionem. Quemadmodum itaque Sedo, ſi ad originem voces, docet ſedatum animum ad ipſum Ens ſpectare; ita Sileo, quod à ſtil deriuatur, oſtendit omne ſilentium ad excelſa & ardua eſſe comparatum, nec nos ad ſublimem dignitatis humanæ altitudinem poſſe adſpirare, niſi vitam agamus quietam. D. Paullus ad Timotheum ſcribens hanc vnicè commendat, vtpote totius corporis Chriſtiani vnioni neceſſariam. *Obſecro*, inquit, *primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate*. Hanc igitur viam nobis præmonſtrat, qua rectà ad vnum Chriſtum peruenimus, & vnum cum eo efficimur corpus, & ei vniti ad quietem adſcendimus ſempiternam; in qua ſola ſtationis humanæ conſiſtit altitudo, quam ſtil ex ſte & hil compoſitum ſignat. Nihil enim aliud eſt ſte-hil/ quàm ſtationis mons. Atqui hic non alius eſt, quàm mons Domini; in quo ſoli habitant beati: quo fit, vt de nomenclatoris ſententia intelligas ad hunc tibi adſcenſum non patêre, niſi animum habeas ſedatum atque tranquillum. Verumenimuerò quamuis idem ſtationis noſtræ mons & mons Domini, idque firmis rationibus poſſim docere; nolo tamen hîc prolixiùs verſari, eo quòd longè maius myſterium in huius vocis ſtructura deliteſcat; quod ſi in lucem protulero, multo maius operæ meæ fecero pretium, & lector vberiorem temporis ſui ceperit fructũ. Quia ſte pro quouis loco ſiue ſtatione poni ſcimus; & ſcimus item in nominis etymologia ſtandi firmitatem contineri; nemini obſcurum eſſe poteſt, firmiſſimum quemque locum hoc nomine rectiſſimè vocari. Hinc factum, vt in communi loquendi conſuetudine ſte ſimpliciter elatum ſignificet ciuitatem, quòd in ea hominibus ſtatio ſit firmiſſima, propter ſocietatem & mutua auxilia tum in neceſſariis rebus comparandis, tum in aduerſis depellendis. Iam vlteriùs, quia nulla ciuitas ſola humana ope ſtabilis eſt atque tuta, iuxta illud Lyrici, *Niſi Dominus cuſtodiuerit ciuitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam*; ipſum ſte Cimbricum nomen à ſtabilitate factum, non alij ciuitati rectiùs conueniet, quàm ciuitati Dei. Quid dixi Cimbricum nomen? cùm nec ciuis omnino quiſquam Latinis de recta vocabuli ratione dici queat, niſi ſtationem ſuam habeat in ciuitate Dei. Vt enim antè indicaui, Ciuis dicitur quaſi huiwis/ mutata adſpiratione in Cappa, ad eum modum quo ex hart fit καρδία: qua voce is ſignificatur, qui certam habet cuſtodiam & tutelam & ſuiipſius & aliorum; quoniam nimirum vox vtrumque indicat, & eum qui ciuis eſt, certũ eſſe tutelæ ſuæ, & in ipſo etiam certam eſſe cuſto-

Hil.

Hilbil.

Stil *vocis myſteria.*

Sedo *verbi etymon.*

Ste.

Ciuitas Dei.

Ciuis etymõ.

custodiam aliorum. Et quia reciproca hæc est & mutua custodia, qua quis & custodit alium,& custoditur ab alio; non tulit rectè loquendi consuetudo, vt conciuem quempiam Latini vocarent; cùm tamen condiscipulum & conseruũ dicerent, & quamplurima alia eius farinæ vocabula vsurparent: cuius rei vt certa est apud auctores obseruatio; ita nemo Romanorum veram caussam explicabit. Frustra enim Con particula adderetur, vbi citra hanc in ipsa vocis ratione coniunctio & copula designatur. Dicunt ergo, Ciuis meus est, id est, & ego ipsi certa sum custodia, & ipse mihi: quo in explicatu cernas,ipsi Con, coniunctionis signo, nullum locum esse. Hinc liquet, frustra eos in caussis linguæ Latinæ versari, qui primas nominũ verborũq. radices ignorãt. Verùm quia certa hîc denotatur custodia, & quæ nullo modo fallere quemquam possit; perspicuum est, neminem alium recta ratione ciuem nominari qui non sit ciuitatis Dei ciuis, propterea quòd extra hanc tantum abest vt certa sit custodia hominum inter se, vt contrà certissimum sit non periculum modò, sed etiam exitium. Vide, quæso, quantum vtilitatis adferat tum ad veritatis cognitionem, tum ad vitæ rationes rectè putandas & instituendas, primos vocabulorum nouisse fontes; è quibus modò hausimus veram & certam & vnicam reip. cõstituendæ formam, quam nec Plato, nec Aristoteles, nec Cicero longa & operosa disquisitione perueστigare quiuit. Non dubito D. Augustinum maximas mihi gratias habiturum fuisse, si huius eum etymologiæ fecissem certiorem: quo si nostri temporis homines, quos eam docui, quisquam nunciet fuisse ingratiores, ei profectò nulla soluam euangelia, vtpote nihil noui aut ignotæ antea rei adferenti. Ex his modò cognoscas, non tantùm quis verus sit ciuis, & quæ vera ciuitas; sed illud etiam, quantoperè adlaborare debeamus, ne in verorum ciuium numerum cooptati, culpa aliqua nostra in exilium eiiciamur, aut in insulam relegemur. Ciuitas igitur à custodia & tutela; Ste à stabilitate nomen accepit; & æquè hoc atque illud ex origine sua demonstrat, vnicam solam Dei ciuitatem veram dici posse ciuitatem. Hoc constituto, mox cernemus quid ſtil sibi velit. Neque enim ex hac significatione ipsius ſte aliud fuerit ſte-hil, quàm mons ciuitatis Dei. Atqui nemini obscurum est, quis montis in ciuitate vsus esse consueuerit. In altioribus enim opidorum locis arces muniuntur, tum quòd speculam & defensionem præbeant commodiorem & latiùs patentem, tum quòd difficiles habeant aditus & periculosissimas oppugnationes. Ste-hil igitur apertè declarat quietem ac tranquillitatem speculam & arcem esse ciuitatis Dei: è quo statim efficitur, vt quieti & tranquilli in arce ipsa ciuitatis Dei rectè dicantur habitare; non illi quidem vt custodes, quando Deus solus ciuitatem suam custodire potest, sed vt cariſſimi, & ij quos proximos sibi Deus esse vult. Atqui cùm multi cognati ipsis filiis habeantur cariores, necessaria consequitur conclusione, homines quietos Dei filios esse. Quis nunc non cernit idem in nomine Cimbrico ſt'il pro quieto doceri, quod Deus in monte concionem habens, his verbis pronunciauit: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Nostra vox ſt'il/ vti dixi, vtrumque notat, & quietum, & quietum facio. Et reuera nemo quietus, nisi qui se quietum reddit. Homo enim cùm animal sit seipsum ducens, quod Cimbrico nomine ſMenſch, vnde Latinorum Mens, denotatur; necesse est, ipse suas sedet perturbationes, & animum reddat quietum: quod nisi ita esset, non dixisset Christus. *Nolite soliciti esse de crastino.* Nolite hoc vel illud facere. Cùm igitur nos ipsi quietos reddere debeamus, & omnes tumultus animi rectæ rationis imperio sedare ac prohibere, prudenter admodum nomenclator quietum eo vocabulo nominauit, quod cùm vt verbum vsurpatur, significat quietum facere: quo nimirum intelligamus, in nostra potestate situm esse vt omnibus rebus nos præstemus quietos. Verùm quia mens nostra semel à diabolo ducta, ducendi suiipsius arbitrium & dignitatem abiecit; fieri non poterit, vt id præstemus, quod ſtil videmus postulare, nisi Spiritus sancti gratia ratio nostra adiuuetur & dirigatur. At hic non veniet nisi Christus nobis mortuus sit, quoniam non antè ad Dei admittimur ciuitatem, extra quam nulla est rectè ducendi potestas. Tum autem Dei nos ciuitate donari, ſterf/ quod idem est quod morior, explanat; dum in ſte-erf dissoluitur, quod significat hæreditatis iure ciuitatem Dei adire. Quis autem sit cuius morte ad hanc venimus ciuitatem, clarum est, si videas cuius sit ciuitas. Cùm igitur Dei ciuitas & sit & vocetur, ipsemet Deus mortalem naturam induat; & non solùm eam induat, sed etiam moriatur necesse est, quo nos morte sua reddat hæredes, iuxta

Conciuis Latinè cur non dicatur.

Arces cur altioribus opidorum locis communiantur.

Ciuitatis Dei arx, quies et tranquillitas.

ſMenſch. *Mens, mētis.*

Sterf. *Morte Christi efficimur ciues ciuitatis Dei.*

illud ipſius documentum, quo demonſtrauit Spiritum ſanctum non venturum, niſi & ipſe eſſet mortuus, & à morte reſurrexiſſet, ac tandem in cælum adſcendiſſet; vt primus hominum Dei ciuitatem aperiret & hæreditariam poſſideret, atque omnibus eodem iure daret poſſidendam; omnibus, inquam, qui ſe ipſius corpori vnirent. Quamobrem ſi ciuis eſſe velis, concorpora te Chriſto Deo & homini, & cum eo morere, quod nos dicimus ſterf; quo ex eo conſequaris, quod ſte-erf vox ſoluta deſignat, id eſt, quo ciuitatem Dei hæreditario adeas iure. Quid porrò ex eo conſecuturus eſt is qui cum Chriſto moriens ad hanc ciuitatem venerit? Quid? Illud nempe quod fre-eſt promittit, vox conuerſa ex ſte-erf/ qua ſignificatur idem quod alio ordine & articulo præpoſito diceremus, het es fre/ id eſt, eſt pax. Noſtra loquendi conſuetudo articulum hic omnino poſtulat: quod tamen fruſtra moneo, cùm cuiuis noſtratium ſit apertiſſimum. Quemadmodum igitur ex verbo ſterf intelligimus de morte ad ciuitatis Dei veniri hæreditatem, & in ciuitatis hæreditate pacem inuenimus; ita ex ſt'il voce illud elicimus, eos qui ſe quietos & alios reddunt, in arce ipſa ciuitatis Dei habitare, & reuera filios Dei vocari. Bone Deus, quanta eſt hîc vocum & rerum concordia! quàm amabilis pax inter Chriſtum & linguæ noſtræ architectum! Dixerat hic, eos qui ſe tranquillos & quietos præſtiterint, ipſam arcem ſiue acropolim, quod magis ad hil alludit, tenere: è quo conſequenter intelligitur, vel nullos, vel hos Dei filios eſſe: Dicit Chriſtus pacificos ſiue εἰρηνοποιούς filios Dei vocandos eſſe, quod reapſe nihil ab illo quod nomenclator vocalibus ſymbolis occultauit, differre cernimus. Quid enim aliud eſt pacem facere, quàm facere quietem? Niſi enim quis priùs pacem fecerit in animo ſuo, & ſe tranquillum reddiderit, nec pacem facere inter alios poteſt, nec pacificus nominari. Quid? quòd ne ipſe quidem filius Dei in noſtro ſermone filius Dei dici poteſt, niſi pacificus vocetur. Son enim vocali longa idem eſt quod pacem facio. Hinc ſon filius vocatur, quod idem eſt ac ſi pacificum dicas; adeò vt propterea filius nobis ſon vocetur, quia pacem faciat: quam niſi faceret, ſon dici nullo modo mereretur. Quod cùm ita ſit, perſpicuum eſt, nomen ſon primaria ſignificationis ratione ſoli Dei filio conuenire, atque inde per ſimilitudinem quandam de aliis quoque dici, parua vel nulla habita originis ratione. Quamobrem ſoli illi in noſtra lingua reuera filij ſiue ſonen nuncupantur, qui ſeſe Chriſto primo & ſupremo & ſoli pacifico concorporarunt. Quid enim vetat quo minùs in re Romanis ignota nouum mihi verbum componam? Quòd ſi hæc rectè expendantur, maximam lucem toti religioni Chriſtianæ inferent, & cauſſam reddent clariſſimam ob quam ſemper Chriſtus dicere ſoleat, *Pax ſit huic domui*; quando videmus filium Dei in puro & incorrupto ſermone ſon/ id eſt, pacificum ſiue pacis auctorem vocari. Cùm igitur dixit, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, non aliud dixit, quàm ſi dixiſſet, Beati pacifici, quoniam eodem nomine quo ego vocor, vocabuntur; & hanc ſolam habebunt nominis rationem, quòd ego ipſis fuerim apud patrem verus veræ pacis auctor; & quos patri conciliaui, eos non ſolùm in nominis mei admiſi communionem, ſed in idem etiam corpus redegi. Videte, ô miſeri & deuij Chriſtiani, qua via & ratione conſequi & poſſitis & debeatis, vt ad communionem corporis & ſanguinis Chriſti dignis modis accedatis. Pax eſt, pax eſt quam dedit nobis, quam reliquit nobis, per quam ſolam filij Dei poſſumus vocari: quod ſi ita eſt, vt ipſemet dixit qui fallere nequit, per hanc ſolam nos corpori Chriſti, qui verè filius Dei eſt, vniemus; & quicquid erimus, id totum erit Chriſtus in nobis: quod fieri non poteſt, niſi noſtram naturam corruptam expellat, & loco eius ſuum nobis corpus & ſanguinem communicet, vt eo ſolo viuamus. Sed de filio alibi; vbi docebimus, non Cimbricum tantùm nomen ſon Chriſto ſoli, & iis qui ei corporari ſunt & vniti Spiritus ſancti veram vitam dantis vnione, conuenire; ſed ne filium quidem, aut υἱὸν, aut בן alium vera ratione dici poſſe, quàm Chriſtum: filius enim ſic à noſtro lief proceſſit, vti è Lof fit folium, & è roof fit φωρ, & infinita alia ad eundem modum è prorſis verſa fiunt vera, quæ dici ſolent, hyſtera protera. De Chriſto enim dictum eſt: *Hic eſt filius meus dilectus*. Idem autem eſt filius, ſi ad originem examinetur, ac ſi amatum dicas. υἱὸς formatur ab hui/ quod eſt idem quod cuſtodia & tutela. Sic dicimus, Chriſtus es mun hui/ Chriſtus eſt mea cuſtodia & tutela: & reuera hic ſolus eſt qui nos aduerſus omnes malorum impetus defendit atque cuſtodit. Ben verò, qua voce pro filio Hebræi vtuntur, nihil aliud in puro Cimbrorum

Sterf. Fre-eſt. *Pax ciuitatis Dei.* Son. *Filius.* *Filij etymon.* Lief. Lof. Roof. *Folium.* *υἱὸς vocis etymon.* Hui. Ben.

ſer-

sermone significat, quàm Sum : quod sic filio conuenit, vt ipse solus sit ; eo quòd sicut Vnum de patre; ita Ens de filio dicatur. Hinc illud : *Ego sum qui sum.* Et iterum: *Sum misit me.* Deus enim omnibus dat esse per filium, per quem omnia scribitur creasse. Sed hæc, vt dixi, alibi. Non sunt tamen hæc aliena à re nostra, cùm hinc illud etiam intelligatur, Ciuis nomen primùm Christo tribui debere, propterea quòd is solus huiuis/ id est, certa sit custodia & tutela. Nunc ad ſtil redeamus. Cùm tranquillitatem per ſtil significatam arcem esse dixerimus ciuitatis Dei, aduersarij aliqui & hostes ciuibus Dei videntur opponi. Quorsum enim arx vbi nulli metuuntur insultus & oppugnationes? Videamus ergo ecquid ipsi ſtil opponatur. Id mox inueneris si vocem retrò legas. Liſt enim calliditatem significat, eodem tempore manente in versa voce quod erat in prorsa. Quæ verò hæc est alia calliditas, quàm ea de qua scriptum habemus, *Erat serpens callidior omnibus animantibus*. Hac igitur calliditate ciuitas Dei magnam mox ab humani generis exordio accepit cladem, & hactenus accipit & grauissimas & infinitas, dum quotidie infiniti draconis fraude è mœnibus ciuitatis Dei trahuntur. At hi si quietos se redderent, in ipsa arce tuti manerent, nec vmquam cacodæmonis astutia vincerentur. Quòd si Chaua quieta mansisset, nec dubitationis fluctibus sese immisisset, tutò potuisset à diaboli fraudibus oppugnari. Cùm enim Deus dixisset, morituros si fructum vetitum gustassent, ipsa à cacodæmone caussam cur non ederent interrogata, mox labascere cœpit, atque in dubium ipsam pœnam à Deo constitutam vocare; dum videlicet respondit, *Ne fortè moriamur.* Stil ergo & Liſt sic opponuntur, vt in hac vita perpetua pugna sit contra diaboli fraudes : quas non alia via nec alio modo repellere possumus & irritas reddere, quàm si nos præstemus quietos & liberos ab omni perturbatione. Quies ergo acropolis est & arx firmissima aduersus omnes cacodæmonis insidias. Mirabile profectò vocis artificium ; quo cùm quietis securitas atque summa dignitas indicatur; tum etiam ostenditur, quibus arx hæc machinis sit oppugnanda, & qua via sit resistendum. Sicut autem hîc ex arcis nomine in hostilis impetus ducimur cogitationem ; ita ex ſon/ quo pacificus denotatur, mox succurrit quæstio, quæ fuerit inimicitia, ob quam pax fuerit ineunda ; quam similiter retrogrado & contrario ductu deprehendis. Nos enim, vnde Noſel & Onoſel/ idem est quod offensio & iræ prouocatio. Deinde si quæras cuius hæc fuerit offensio ; tolle mediam litteram è medio, ne extremæ in ſon per mediam copulentur, atque hanc transfer in primum locum, & quæ prima est fac vltimam, omnia nimirum dissociando, & turbando ordinem fatalem ; ac tum mox videbis cuius sit offensio, cuius ſon pacem pollicetur. Homines enim in medio erant extremorum, libertate ad vtrumque donati, Dei scilicet & cacodæmonis, vitæ & mortis Hi superbia dæmoniaca inflati primum locum voluerunt occupare, & extremum, qui cacodæmon erat, Deo prætulerunt, dum Dei verbis neglectis, diaboli mendacio crediderunt. Hac igitur litterarum metathesi facta, Ons enascitur, quo nostrum denotatur. In vtraque igitur ipsius ſon/ quo pacificus significatur, conuersione, littera prima in vltimum locum reiicitur, & diuinus honor tum homini, tum cacodæmoni posthabetur. Deinde si ipsum Ons vertas, Sno habebis; quo quicquid peruersum & ad mala procliue est, designatur. Vnde intelligi datur, à nostro nihil promanare nisi peruersitatem ; & quicquid nostrum sic vocare possumus vt à nobis procedat, id præposterum esse, & ad malum inclinare, & pronum ruere in peius. Hoc enim prauo & iniquo suo iudicio primi nostri parentes sunt consecuti, vt omnis posteritas ad malum propensa ferretur; & nihil haberet propriè suum quod non à Deo ad diaboli partes declinaret. Quamobrem nihil reliquum fuisset humano generi factum, quo se à miserabili hoc statu & natura maligna liberaret, nisi Deus arcano consilio Verbum suum, quo omnia creauit, hominem fecisset, atque eum toto peccatorum pondere oneraſſet, quò ipse purus & innoxius omnia hominum scelera expiaret. Hic igitur simplicitate sua & humilitate ac taciturnitate, diaboli astutiam & superbiam vicit, & hominum genus patri conciliauit; quod morte sua non solum redemit, sed ciuitate etiam Dei donauit. Quicquid igitur pacis, quicquid quietis habemus, ab illo habemus: quicquid è nobis proficiscitur & verè nostrum dicitur, id malignum est atque peruersum. Et hæc quidem de pace & pacis auctore, vt intelligamus eundem esse qui nos pacificos reddit, &

Tranquillitas arx ciuitatis Dei.

Liſt. Calliditas, qua ciuitas Dei oppugnatur.

Nos. Noſel. Onoſel.

Ons.

Sno.

Pacem & quietem à Deo habemus, à nobis nil niſi peruersum.

qui reddit quietos; & hæc nomina ſon & ſtil ad eundem filium pertinere, & nobis eà tantùm tenus conuenire, quatenus Chriſto ſumus vniti; & tantum nos à Chriſto recedere, quantum recedimus à pace & animi tranquillitate. Cùm igitur Sileo à ſtil ceu radice ſua pullularit, hæc omnia quæ indicauimus potius quàm expoſuimus myſteria, in ſilentij interpretatione dicemus contineri, & ab eo qui ſilentium indicit omnes moneri, vt hæc arcana ſilentes quietíque timentur. Quamuis autem quis ſit huius tacitæ auditionis finis, ex eorum quæ interpretati ſumus vocabulorum origine ſatis ſuperque demonſtretur, reſtat tamen aliud nomen apud Græcos pro Taceo vſurpatum, quod alia quadam ratione ſilentij cauſſam oſtendit atque finem. Σιωπὴ enim quo ſilentium notatur, & Σιωπάω quod eiuſdem eſt ſignificationis cum σιγάω, ſi ad primos ſuos natales & matricem linguam examinentur, nobis indicabunt, omne ſilentium ad contemplationem referri, atque præſentis inſpectionis ſpe ſuſtineri atque fulciri. Ꞩi idem eſt quod video, vocali per ſubtilem quendam ſonum producta, quem vt indicent alij, ſic ſcribunt. Refertur autem non minùs ad mentem, quàm ad corporis oculos; &, ni nos ichnæa fallat conuerſio, à mentis inſpectione ad corpus deſcendit, eo quòd Ꞩs vocali breui idem ſit quod Eſt. Proprium enim mentis obiectum, vt ſcholarum more loquar, eſt Ens. Hîc notatione dignum, in Ꞩs breuem ſonum audiri, in ſi longum; quoniam Ens purus ſit actus ab omni tempore, non modò longo, abſolutus: Inſpectio verò & contemplatio longa ſit oportet & ſubtilis, vt perueniatur ad ipſum Ens intuendum. Eſt aliud ſi longum, ſed craſſiùs & pinguiùs pronuntiatum, quod Sum, ſim, ſit denotat, & pro articulo etiam & pronomine venit in vſum. Ꞩoꝛ vocali longa, ſed ſono non admodum rotundo, ſpem ſignificat & ſpero: vnde ſi Ꞩooꝛ inſpectionis ſpem deſignat. Prima igitur & potiſſima & interna ſilentij origo eſt ſpes cognitionis eius qua mens ad ipſum Ens conſpiciendum fertur. Natura enim omnes homines ad ſcientiam & rerum inſpectionem rapiuntur, ad quam vt adſpirent alios audiunt lubenter; & vt audiant, ipſi linguam ſuam labiis & dentium vallo coërcent: vnde fit, vt σιωπὴ totam rationem ſilentij, tum eam à qua oritur & ſuſtinetur, tum eam ad quam refertur, pulcerrimè duabus ſyllabis comprehendat & exponat. Qui Græcorum vocum etymologias curioſè perſecutus eſt, is σιωπῶ à σιγάω magna molitione deducit; & in σιγάω non aliud verbi inuenit principium, quàm σιγὴν; quaſi non æquè dubium ſit vnde σιγὴ dicatur, atque cetera ab hac voce deriuata. Sed omnem ſuam operam ludunt & oleum perdunt, qui vel Græci vel Latini ſermonis radices extra matricis linguæ latifundia inueſtigant. Singulari profectò Dei prouidentia factum eſt, vt quamuis nobiliſſimæ linguæ corruptæ ſint, tantum tamen in iis reliquum ſit veſtigiorum, vt per ea ad primas vocum origines queat perueniri, ſi diligenter corruptelæ modus & varia ratio animaduertatur. Quando igitur tantum reconditæ ſapientiæ illis vocibus continetur, & earum ſolutione ac conuerſione explicatur, quibus apud Græcos & Latinos & noſtrates taciturnitas depingitur, quantum ne diſertiſſima quidem oratione & longiſſima vel ipſe Cicero explanare poſſet; non parui faciendum fuerit ſpectabile ſymbolum, quod non tantùm ad ſilentium hortatur, ſed vocum etiam quibus illud ſignificatur interpretationem indicat & ob oculos ponit. Digitum autem quo Harpocrates ſilentium indicat, ſalutarem veteres Theologi nominarunt: non illi quidem medicos hac in re ſecuti, qui annularem potius quàm indicem hoc epitheto dignarentur, propterea quòd in eo conſenſus quidam ſit & veluti ſympathia cum corde: cuius rei facilius ſit veritatem experimentis quàm euidenti aliqua ratione demonſtrare. Scio equidem arteriæ ramo plerumque bifurco hunc digitum donatum eſſe, verùm & cetèris digitis arteriæ portiones diſtribuuntur. Quòd ſi quid ſit omnino hîc rationis, Ixis fortaſſe Hippocratica in medium adferetur, eo quòd ramuſculis hic ad annularem rectiùs ferri videatur, & paullò plus habere capacitatis. Sed hæc ad coniecturas potiùs & naturalium rerum obſcuritatem, quàm ad firmas pertinent demonſtrationes. Qui Chiromantiam profitentur, ſub radice huius digiti Solis montem collocant; qui ſi recta & integra linea ſit inſignis, ingenij dexteritatem & honores pollicetur. Quia igitur cor in hoc noſtro microcoſmo Sol eſt, hunc digitum cordi attribuerunt: quòd ſi hinc colligant ingenij felicitatem, videntur in corde non vitæ tantùm, ſed ſenſuum etiam principium collocaſſe. Verùm hæc nihil aut perparum ad

Σιωπὴ vnde nomẽ habeat. Σιωπάω.

Sit.

Ꞩs.

Ꞩt.

Ꞩoꝛ.

Silentij origo ſpes cognitionis &c.

Digitus ſaluturus.

Solis mons in manibus.

id quod

id quod agimus. Nos indicem cum Theologis ſalutarem vocamus, & laudamus eo nomine Martianum Capellam; quòd epitheton hoc memoriæ mandarit poſterorum, perpetua fortaſſis alioquin obliuione celandum. Primùm quid hominum ſaluti magis neceſſarium, quàm habere indicem aliquem qui vitæ rationes omnes rudibus adhuc puerorum animis oſtendat? Cùm igitur digitus index ad demonſtrandum videatur à natura comparatus, & ab eo officio nomen apud Latinos ſortitus, meritò ſalutaris dicetur; eo quòd omnis ſalus à doctorum hominum præmonſtratione proficiſcatur. Germanis ſuperioribus ab oſtendendo Zeiger vocatur, nobis Wiſer: quæ vox in horologiorum manibus quarum index horam oſtendit, quotidiano vſu trita. At Wis vocali longa dum nomen eſt, ſapientem deſignat; dum verbum, idem quod quouis modo oſtendo, propterea quòd ſolius ſapientis partes ſint, vt viam aliis præmonſtret, & quid ad ſuam cuique ſalutem neceſſarium ſit, oſtendat. Dum igitur Wiſs pro oſtendo vſurpatur, duo ſimul aperiuntur; & quis docere debeat; & ad quem finẽ omnis demonſtratio referatur. Quiſquis igitur hunc digitũ porrigit, ad ſapientiam rectum iter oſtendit, vt de ipſius nomine colligunt noſtrates: quo fit, vt optimo iure ſalutaris ſibi nomen ſumſerit. Quamobrem congruentiſſimè ſilentium hoc digito indicebatur, vt de ipſius nomine cogitantibus mox in mentem veniret, à ſapientibus ſapientiam eſſe diſcendam; & eam quidem diſcendam longa taciturnitate. Hinc dum quemquam reuerentiùs volumus ſalutare, hunc digitum ori admouemus, ceu diceremus, Nos te ſic venerамur, vt tacita audientia dignum iudicemus, & talem, vt tuum ductum lubẽter ſimus ſecuturi. Qui pileum capiti detrahunt, indicant ſe paratos, vt eius nomine cui hunc exhibent honorem, libertatem deponant, quæ pileo denotatur; & præterea caput ſuum ſe velle quibuſuis obiicere periculis. Prior ergo modus paullo liberalior, licet à nemine, quod equidem ſciam, hactenus intellectus. Plerique manus oſculum hoc indicio notari exiſtimant; quod ſi ad barbarum morem referant, vti referre exiſtimo, nihil faciunt quod nobis ſit annotandum. Plinius in adorando dextram ori applicari ſolere tradit: quod quia à vetuſto Ianigenarum ritu ad Romanos venit, dignius fuerit vt ad cauſſam ſuam vocetur. Scimus orationem & preces & vota ore perfici; manum dextram operationi & labori à natura eſſe deſtinatam. Quamobrem qui hunc morem adorandi præſcripſerunt, non aliud indicarunt, quàm Deum ſic inuocandum, vt & nos manum operi admoueamus, & putemus nec vota citra laborem, nec laborem citra vota quicquam profuturum: ſed ſi precibus & adorationi labor adiungatur, nihil dubitandum eſſe de proſpero eorum quæ agimus ſucceſſu. Æquis igitur paſſibus & labor & vota procedant, quò ad optatam metam adſpiremus, & iis potiamur, quæ à Deo opt. max. petere fas eſt. Cælius Rhodoginus & Lilius Gyraldus commemorant, ſacerdotes ſacris abſolutis ſe verſus dextram conuertere ſolere, ac deinde manum dextram ori applicare, ad eum modum vt index pollici recto inſideret: quem ritum equidem credo ad plura commonenda fuiſſe inſtitutum. Per totam enim dextram ori admotam illud intelligendum reor, quod modò dixi. Dum index pollici erecto inſidet, crux denotatur, vnica humanæ ſalutis ancora; vt nimirum indicaretur, omnes cærimonias ad crucem referri, & fruſtra fieri ſacra & orationes, niſi hoc ſanctiſſimo charactere obſignentur. Simul igitur monebat ſacerdos, & votis abſolutis manum operi admouendam, & non ad aliud quàm ad crucem omnes ſacrificiorum & precum ritus pertinere, nec aliunde habere ſuam vim & efficacitatem. Cùm enim ipſum Tau in hieroglyphicis frequentiſſimum reperiatur, vt in huius litteræ cauſſis inueſtigandis latiùs docebo, minimè debet mirum videri, ſi in priſcis Ianigenarum cærimoniis id cernamus, quod in ipſis obeliſcis & ſphingibus & aliis antiquitatis monumentis ſcalptum exaratumque inuenitur. Præter has verò ſignificationes illud etiam monebatur, primùm quidem ſacris operandum, & diuinam implorandam eſſe gratiam ante omnia, ſed deinde cetera peragenda, iuxtà ac Harpocrates doceret. Cùm enim ori indicem admouiſſet, ad eum quem diximus modum conſidebat, vt nimirum ſilentij indicio & ſeſſione Harpocratis ſymbolum omnibus in memoriam vocaret, atque quæ illo denotabantur populo proponeret ſequenda. Quis nunc non videt quàm recta ratione index ſalutaris vocetur, & quanto ſignificantius id in noſtra lingua exprimatur, in qua indicis nomen, quod eſt Wiſer/ duo

Zeiger. Wiſer. Wis.

Salutãtes cur digitum indicem ori admoueant.

Pileum capiti detrahere, quid ſignificet.

Adorãtes cur dextram ori ſoleant applicare.

Index ori admotus quid notet in ſacrificiis.

simul ostendit; alterum, solorum sapientum esse docere, & rectum vitæ iter præmonstrare: alterum ipsam sapientiam finem esse omnis veræ demonstrationis, & ad hanc solam omnia indicia spectare debere, alioquin indigna fore germano matricis linguæ vocabulo. Quòd si wis hîc ad examen vocaremus, codicem spississimum scribere cogeremur; & ne sic quidem ampliſſimas sapientiæ gazas hac vocula obseratas euoluere
Wis. possemus. Wis vocali breui, certum significat: iam certæ rerum omnium cognitionis habitus longo tempore confirmatus, eisdem litteris, sed vocali producta, quo fixæ notitiæ congruat, effertur. Wis breue fit à wi-is/ quo latè longéque quicquam esse denotatur: quod cui primùm tribuendum sit, ille intelliget, qui sciat solum Verbum, quod
Woit. woit dicimus, fide dignum haberi de ichnæa nominis conuersione; & idcirco non alium vocula wis producta vocari, quàm eum cuius sapientia in woit est fundata, & ex woit producta. Quamobrem omnis item demonstratio ad Verbum tendere debet, atque ex Verbo proficisci. Deinde vox non ex wis breui tantùm significationis habet causas, sed ex allusione etiam ad wi/ quo dilato, expurgo & consecro significatur; vt in nomine Visci explicatum est. Iam & wis à wi-sie fieri potest per apocopen, quod est longè latéque videre. Eodem modo vox verti potest non vno modo. Nam si longæ vocalis sono
S'i. seruato si—w dicas, idem dixeris quod cola te, perinde atque lac vel quiuis alius liquor colatur: quod ad hominem relatum, mirificam habet admonitionem & plenam vtilis disquisitionis. Si enim colandus es, colum habeas oportet: atqui colum etiam si dicitur.
Seih. Germani superiores seih scribunt, quo melius spirent. Colum res leuicula, vilis, & à
Colum. philosophiæ dignitate aliena fortasse videatur; at si etymologiam excutias, duas mox videbis grauissimas sese offerre rationes; alteram à sie/ quod est video: alteram à sij/ quo sum vel sit denotatur. Quoniam enim in colo videtur quid reuera sit, quid ipsi quod est admisceatur externi, ab his duobus verbis instrumentum nomen accepit; exiguum illud quidem, sed quo tota sapientis viri meditatio definiatur. Quæ enim aliæ sunt philosophi partes, quàm in omnibus diligentissimè rebus quid sit, quid non sit videre? A videndo igitur quid sit, quid non sit si vocatur: iuxta cuius voculæ etymologiam si te colaueris, profectò non minimam sapientiæ partem absolueris. Latini si quid colo significet interrogentur, citra hæsitationem respondebunt: at si nominis caussam quæ-
Coli etymon. Loch. ras, haud aliter quàm piscis obmutescent. Sicut à lof fit folium; ita à loch fit colum. Nec mirum adspirationem ademptam esse, cùm Leodienses quoque lot dicant, pro vide. Origo vocis est ab hel-oog/ quod est vehementer oculos intendo in aliquid. Vnde fortè log pro foramine, eo quòd per illud acutissimè oculi cernant; quamuis huic voci non desit aliunde etymologia. Videre igitur diligenti oculorum obtutu, & paruis foraminibus ad discernenda purum ab impuro vti, est colare. Colo igitur à lot pro videre, & loch pro foramine formatur: & quamuis lot pro colo nunc non sit in vsu, vocem ta-
Loog. men habemus ab hac deriuatam. Loog enim dicimus pro lixiuio, quoniam colando fiat. Videmus itaque vtrumque vocabulum & nostratibus hactenus vsitatum, & illud quod Romani è matrice lingua retinuerunt, à videndo duci: & in illo ad esse; in hoc ad foramina minuta nomenclatorem respexisse. Adde quòd ipsius wijs conuersio sie-w/ id est, vide te, de necessaria huius expositionis consequentia includere cernatur: quod quid aliud est, quàm Nosce te ipsum? Quid? quòd duplex digamma in conuersione in alterum digamma mutari possit, vt monosyllabum in monosyllabon vertatur; qua via
Sif. ex wis/ sif habebis, quod est cribra: quod rursus insigni & luculenta similitudine sapientis officium depingit. Sed hæc, vt vides, tam latè per totam philosophiam se extendunt, vt si per singulas eius partes colum & cribrum circumferas, nullus exitus sit futurus. Sufficiat ergo indicasse quæ vera sit sapientia, & quæ ipsius primariæ partes, & quòd wiset/ id est, index dextræ manus ad hanc nos inuitet contemplationem, per quam ad sapientiam venire possimus; eam præsertim, quæ ipsi Verbo innixa, nos expurgat, colat, cribrat, dilatat & consecrat: quæ omnia, & multo etiam his plura, vnica vocula trilittera comprehenduntur. O digitum salutarem! qui nobis de solo suo nomine Cimbrico tam multa reuelat arcana, ac deinde ad tesseræ vsum transiatus, & pollicem duobus extremis articulis supernè coronans, crucem siue Tau refert: nec his contentus, silentium præterea indicat; non illud quidem plebeium & vulgare, sed prorsus ne-

ſus neceſſarium ad hominum ſalutem & ſummam felicitatem! De hoc ſilentio Hieremias in ſuis lamentationibus ſic cecinit, vt totum Harpocratem deſcripſiſſe videatur: *Pars mea Dominus*, dixit, *anima mea, propterea exſpectabo eum. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum eſt præſtolari cùm ſilentio ſalutare Domini. Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe. Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* Audimus hic Harpocratis ætatem, audimus ſilentium, audimus ſeſſionem, audimus ſeſſionis & taciturnitatis vſum, audimus puluerem in quo ſedet, vt humilitate ſua ad id quod ſperat adſpiret: & dum ſpem audimus, σωτῆρ in mentem vocamus. Ieſaias illius ſilentij fecit mentionem ad quod hoc Harpocratis ſilentium ſpectare debet. *Et erit*, inquit, *opus iuſtitiæ, pax & cultus iuſtitiæ ſilentium & ſecuritas in ſempiternum:* Filius enim Dei iuſtitia ſua, qua peccatis noſtris ſatisfecit, pacem nobis conciliauit, à qua ſon/id eſt, filius vocatur. Iuſtitiæ autem huius veriſſimus cultus eſt tráquilla verbi Dei & myſteriorum contemplatio: quam, vt optimam partem, Maria Magdalena ſibi elegerat. Et certè optima pars eſt humanæ poſſeſſionis, eo quòd numquam auferatur; ne tum quidem cùm corpus eſt ad tempus relinquendum; ſed vnà nobiſcum eò poſt mortem adſcendat, quò ſemper in hac vita tendebat: quod non itidem de practica vita dici queat, vtpote quæ cum corpore deponatur atque ceſſet. Quoties igitur Harpocratem videbimus, toties nobis memoria refricetur huius tam ſalutaris ſilentij & tranquillitatis, qua iuſtitia Chriſti culta ad ſilentium ſempiternum & ſempiternam perducit ſecuritatem; quam vt nobis Deus largiatur in aſſidua taciturnitate ſemper oremus. Atque hæc quidem mihi ſilentij myſteria hoc ſine claudantur; quibus ſi trita illa & in vulgus nota adiiciam, quæ cùm ceteri, tum Plutarchus in libello de Garrulitate curanda memoriæ prodidit, haud iniuria à ſilentij myſtagogis, vti nimium profanus & decori immemor, expellar. Quid enim illa vulgaria ex hiſtoriis curiosè conquiſita taciturnitatis vel præcepta vel exempla tantæ habent dignitatis, vt iis quæ modò à nobis veluti per tranſennam ſunt indicata, conferantur? Præceperit Lycurgus ciues ſuos ſtatim à puero ſilentio adſueſcere: Fuerint breuia & acuta Laconum reſponſa in adagium tracta, inter quæ illud ad Philippum, Dionyſius Corinthi; & aliud, Non totam abſoluens reſponſionem, & ſimilia nonnulla ab auctoribus Græcis ſui nimium amantibus vbique celebrata. Admirentur qui volent diuinum γνῶθι σεαυτὸν, &: Ne quid nimis, & illud mercatoribus Antuerpianis quàm otio litterario notius: Sponde, præſens eſt noxa, & his ſi quæ alia Loxias callidè reſpondit, addant; nihil tamen ex his omnibus inuenietur, quod eorum quæ diximus vel ſexcenteſimam partem poſſit æquare; tantum abeſt, vt hæc mihi poſtremo loco quaſi corollas quaſdam adiicienda exiſtimarim. Poteram multus eſſe in taciturno Pythagoræ quinquennio, poteram Ariſtotelem admirari; eo quòd totos quindecim annos Platoni audiendo impenderit, & hæc atque alia his ſimilia ad Harpocratis ſymbolum magnis laudibus euehendum prolixa exponere oratione: verùm quicquid eius generis eſt, triuiale mihi & plebeium videtur, poſtquam ſemel eminus ex ipſo veſtibulo tantum incomparabile diuini ſilentij ſacrarium aſpexi. Sint hæc illis bellaria delicatiſſima, ſint omni ſaccharo & melle ſuauiora, qui necdum ambroſiam hanc noſtram promulſidem deguſtarunt: ex qua de toto epulo licet facere coniecturam.

Harpocratici ſilētij in Prophetis mentio.

LIBER

LIBER VI.

Lotus qualis herba.

NOS VNA Heliotropij facie explicata, ad alteram tranſeamus, quæ puerum præfert è Loti codia ſiue capite emergentem. Loton Ægyptij herbam vocant, quæ ſub Nili aquis in campis inundatis plurima naſcitur, quam Theophraſtus copiosè depinxit. Huic caulis fabæ Ægyptiæ, flos lilij, ſed tenuiora folia habens, caput papaueris maximi codiæ ſimile, & loculis ſimiliter diſtinctũ, in quo ſemen milij copioſiſſimum. Flos cùm Sol occidit clauditur, & vnà cum herba paullatim ſub aquas ſidit; ac deinde rurſus paullatim emergit è profundo, Solis decurſum ſecutus; quo oriente ſeſe ſuper aquas attollit & folia recludit. Fœda labes Dioſcoridis hiſtoriam corruperat, quæ κριθῇ pro κρίνῳ habebat. Marcellus germanam reſtituit lectionem; è qua florem lilio ſimilem cognouimus, quem Theophraſtus apertè expreſſit, ſimul quo differret adiecto. Radix cotonei mali magnitudinem & formam aſſequitur, foris nigra, intus candida, perinde atque nuces caſtaneæ; quæ cocta, vitellos ouorum ſapore videtur referre. Semen pani conficiendo adhibetur. Ex hac herbæ indole facile fuerit intellectu, cur Ægyptij Apollinem è Loti flore emerſiſſe dicant. Hieroglyphicas enim notas aut ipſi ſibi priſci finxerunt, aut à natura ſumptas ad ſymbolicam docendi rationem applicauerunt. Quod igitur antè in Harpocratis imagine examinanda feci, idem hîc quoque faciendum mihi duxi, vt nimirum priùs nominis ſignificationem explorem, quàm ad figuram ſacram accedam. Vt cetera vocabula in ſacris Ægyptiorũ vſurpata, ad Phrygiam ſiue noſtram linguã ſpectare dixi; ita & hoc ad eandẽ video referri debere; & eius rationẽ non paruam illam quidẽ in herba cerni, ſed infinito maiorem in re ſignata inueniri; & tanto ſanè maiorẽ, quanto ideæ ſuis exemplis ſunt præſtantiores. Littera Lambda dum pronunciatur, linguam cogit ſupremũ cæli ferire: quo fit, vt dũ ſimpliciter more Cimbrico, quem Latini retinuerũt, El vocali breui effertur, ipſius Vnius ſignificet altitudinẽ, & ſimpliciter pro quauis ſublimitate ponatur. In vocibus igitur ex ea formandis, vel ipſa citra vocalem adiectã ponitur, vel vocalẽ habet adiũctam, & vtrouis modo altitudinem ſignat. Siue igitur El-hoot, ſiue L'oot dicas, idem notaueris, nempe altum & excelſum caput. Quemadmodũ autem altitudo gemina eſt, altera à terra ad cælum; altera à nobis in oppoſitam cæli partẽ porrecta; ita & Hel vtriuſque altitudinis ſignificationem habet. Hinc Hel pro inferno ponitur, quia à nobis altiſſimè deſcendit in oppoſitam vertici noſtro mundi partẽ. Quia igitur in metallis plumbi grauitas maximè nota eſt, & reuera nihil aliorum in eodem pretio tantum ponderis adfert, licet aurum ſub eadem magnitudine præponderet; factũ eſt, vt Loot pro plumbo à noſtratibus poneretur, quaſi dicas, caput eorum quæ in profundum deſcendunt. Siue igitur copiam metalli, ſiue pretij vilitatem, ſiue multiplicem vſum cernas, plumbum auro præferendum eſt. In hoc enim raritas & pretij magnitudo populum ab vſu excludit: ac deinde, tametſi ea eſſet auri quæ plumbi copia; plus tamen vtilitatis ex plumbo quàm ex auro caperetur: quod intelligas ſi ceruſſam & ſandycem, duas res vſu latiſſimas, & cetera vel pigmenta, vel medicamenta, quæ plumbum ferè gratis ſuppeditat, conſideres. Ægrè fortaſſis hoc auaris hominibus & ſemper aurum ſitientibus perſuaſeris; at medicis & rerum naturalium peritis nihil clarius eſſe poſſit. Si enim res non opinionibus, quibus mundus non tam regitur, vt quidam volunt, quàm diſſipatur, ſed de ſapientiæ amuſſi examinentur, illæ optimæ fuerint, quarum plurimæ beneficiorum erga homines rationes reperiantur. Quamobrem veteres nulla adhuc iudicij prauitate ſeducti, plumbum auro prætulerunt; propterea quòd plures ſui vſus hominibus communicaret, quàm illud metallum quod ſic totum ſuiipſius eſt, vt nullum vitæ diſcrimen hominum cauſſa velit ſubire. Nugas vendunt Chemiſtæ, dum aurum potabile ſe dicunt parare; & vt parent, id tamen certum eſt, non poſſe naturam noſtram roborare, niſi à natura noſtra vincatur, & vel in ſanguinem, vel in ſpiritus mutetur; quod quàm auro conuenire non poſſit, non eſt huius loci docere. Metalla cetera plurimùm ſui in aquis & aliis liquoribus deponunt, & eius vtendi copiam iis qui velint faciunt; aurum licet ſexcenties coquas, nihil ſui tamen aquis cõmunicat, hac ſua indole viam auaritiæ

L litteræ pronunciatio & ſignificatio.

El.

Loti etymon.

El-hoot.

L'oot.

Hel.

Plumbum copia, vilitate, & vſu auro præferendũ.

Res quæ ſint optimæ.

Aurum natura noſtra neque vires neque nutrimentum ſuppeditat.

præmon-

præmonstrans: qua qui tenetur, tanto minus vel sibi, vel aliis ad vitam commoditatis adfert, quanto plus metalli inuidissimi coaceruarit, atque arcis tenuerit obseratum. Vanum igitur est eorum commentum, qui torques aureas in insculis suis coquunt, vel aquam à candenti auro quàm à ferro plus vitium accipere ad viscera roboranda iactant, cùm sordes dumtaxat ab auro relinquantur, nec vlla facultas auri vel in aquam vel in ius trãseat: quod si fieret, saporis discrimine vel aliqua alia via cognosceretur, quam nullam mihi hactenus monstrarunt experimenta. Hinc aurum cauteriis tum commodissimum est, cùm nihil ipsius metallicæ facultatis in vulnere volumus relinqui. Et verò quia vires eius numquam veterascũt, sed semper in eodem manent vigore, prisci Cimmerij Au-rum dixerunt, id est, antiquum siue præstantissimum robur; quo nimirum omnibus resistit. Luminis autem splendor aura dicitur, ab Au-ra/ id est, antiqua celeritate; atque hinc fit, vt aëri etiam ad velocitatem apto tribuatur. Neque enim vel aura ab auro, vel aurum ab aura nomen accepit, tametsi prior pars vtrobique eadem reperiatur. Nos hodie eâdem de caussa Galt & Gaut dicimus, ceu perfectè antiquum diceremus, à Ge & Aut. Hinc liquet, eam veterum fuisse sententiam, aurum omnem ferre ætatem, & idcirco stolidè credi id in alimentum nostrum aut spirituum naturam transire posse: quod si ita esset, malè nomen vtrumque positum fuisset. Græcis auri epitheton remansit, quo magna scilicet eius laus continetur. χρυσὸς enim per metathesim, à Seurch, quo solicitudo & cura significatur, manauit: quæ si vsquam magna est, certè in auro & quærendo & seruando est immanis & portẽtosa. Loot igitur ob benignissimam sui copiam & maximos vsus in omni artium genere, meritò ab antiquis altum caput dictum, eo quòd in metallis communis vtilitatis ratione teneat principatum. Eodem modo in herbarum genere eam Loot vocarunt, quæ altum & excellens caput in tota sua natione esse videretur: & id quidem tanto maiore ratione, quòd ipsa herba insignẽ capitis haberet figuram. Habent cùm aliæ aliquot herbæ sua capita, tum papauer in illis excellit; at cùm Lotus papauer magnitudine æquet, ac frequentissimè excedat (maximo enim comparatur) & præterea seminis copia vincat; optimo iure excellens caput vocatur. Adde non vnum Loto caput esse, sed geminum, & vtrumque ad edendum suauissimum; alterum supernum, alterum infernum, quod cotoneum malum magnitudine, sapore, & alendi facultate oui vitellum, saluberrimum corporis nutrimentum, proximè refert. Quæ verò præstantior herba possit cogitari, quàm ea sit quæ citra laborem, quæ citra fumum, quæ citra sationem sponte ex aquis emicans, copiosissimum homini & suauissimum pabulum largitur; non semine tantùm vbertatem omnem superans, sed eandem etiam radicis suauitate locupletans. Et hæ quidem nominis caussæ, tum à figura, tum ab edulij & copia & præstantia petuntur: quæ licet sint admodum graues & euidentes, longè tamen ea anteferenda videtur, quæ de sympathia eius cum Sole sumta, symboli continet originem. Lotus enim Solem nobis primùm denotat, & ab hoc ad ipsum caput, id est, Thoot/ cuius spectabilis hìc est imago, transfert cogitationem; quo fit, vt supremæ significationis gratia optimo iure El-hoot vel Loot vocetur; propterea nimirum quòd per eam ad cognitionem supremi capitis vocemur: qua in re multo plus est solidi fructus, plus firmi animorum pabuli, plus veræ suauitatis, quàm in vllo vel validissimo dulcissimoque corporis alimento. Sed hoc mox videro, vbi prius hanc meam de capite sententiam simili quadam voce reddidero probabiliorem: quod tamen minimè necessarium fuisset, cùm antè in Thoot & Manetoot satis fuerit argumenti, vt ab eadem radice Loot pullulasse diceremus. Siue enim sublimitatis excellentiæque rationem soli Lambda tribuas, siue vocabulum per aphæresin compositum, & ex El-hoot Loot formatum esse asseras, vtrouis modo excellens caput denotaris. Nos papauer Mancop nominamus, eo quòd inter alia capitis nomina Cop etiam sit vsitatum; sed ea ratione, vt caput non referat ad corpus. Hinc Coppen est caput amputare. Mancop si breuis sit in priore syllaba vocalis, viri caput designat; verùm si producatur, Lunæ caput significat: quod posterius veritati priscæ propiùs accedit; tametsi in altera significatione non parum illi Indiæ principes rationis inuenient, qui opium ad libidinis irritamenta quotidiano habent in vsu, atque idcirco hac sua libidine mercatores Thebaidis insigniter hactenus ditant. Mancop verò longa vocali priore, ob eam caussam papauer dicetur, quòd frigida & quæcumque somnum conciliant, Lunæ consecrentur, vt

Auri etymõ.

Aurę nomenclaturę ratio.

Galt.
Gaut.

χρυσὸς vnde dicatur aurũ.
Seurch.

Loti vtilitas.

Lotus Solem denotat.

Papauer.
Cop.
Coppen.
Mancop.

Luna frigida quæque & soporifera sunt sacra.

quæ

quæ noctis frigidæ & ſoporiferæ domina ſit & gubernatrix. Latini quamuis herbam papauer vocent, capita tamen in ea agnoſcunt: & ſi vera eſt hiſtoria, papauerum capitibus demeſſis indicatum quondam fuit, principũ virorum capita præcidenda eſſe, quo vnius tyrannis ſtabiliretur. Videamus itaque ecquid Græci in hac herba ſimile agnoſcant, apud quos κωδία caput papaueris nuncupatur. Etymologici auctor à κῶμα deducit: cui propterea non credo, quòd videam apud Heſychium Mileſium, virum longè ſermonis Græci peritiorem, annotatũ eſſe, his vocibus κωδία & κωδὶς caput ſine corpore ſignari: cuius aſſertionis auctoritatem & latiorem explicatum is nobis inuidit, qui copioſiſſimũ auctorem in compendium contraxit, aut potiùs mutilauit, & genuino ſuo exuit ornatu. Frequenter mihi illud iterandum, nequicquam primas vocum origines alibi quàm in matrice lingua quæri. Dixi antè, vocabulum καρδία ab Hart deriuari, & plurimas ſimiles inueniri harum litterarum commutationes. Nihil igitur dubij eſt, eâdem hac corruptelæ via ex Hooden, quo capita nobis ſignificantur, κωδίας ad Græcos pro eadem re in vſum veniſſe. Rectiſſimè igitur Heſychius fecit, quòd ſoli papaueris capiti vocem non adſtrinxerit: & contrà non bona fide ab Etymologici auctore vocabulum ad κῶμα reductum eſt: & ne id ſtatim lectori fieret manifeſtum, id quod de κωδία Heſychius ſcripſerat, ſtudiosè omiſit. Ex Hooden igitur κωδίας Græci fecerunt, quo capita vniuerſim cuiuſuis apud nos rei denotantur. Quamobrem mirum videri non debet, ſi Lotus quoque ab eadem voce Hoot genus ducat: in qua propter Cimbricam compoſitionem adſpiratio è medio exempta eſt; nec alioqui littera Lambda capax eſt adſpirationis. Nec crederem tam incorruptum Loti nomen apud Ægyptios remanſurum fuiſſe, niſi viderem eius principem cauſſam ex hieroglyphica notatione depromi: quæ cùm tota Cimmerio ſermone conſtaret, quid miremur æquè huius herbæ nomen atque Harpocratis, Manerotis, Thoot, & id genus cetera integritatem ſuam ſeruaſſe. Quòd autem compoſitio vocis ſacrarum debeatur auctoribus teſſerarum, ex ichnæa eius verſione ſtatim diſcas, quæ docet per Loot nos ad æternitatem eleuari; quod dotibus herbæ, tametſi maximis, nullo modo fuerit adſcribendum, cùm copioſo corporis pabulo ab æternorum contemplatione maximè reuocemur atque impediamur. Quod quia nemo negare poteſt, vocis artificium non tam ad herbæ naturam, quàm ad ſymbolicam rationem referre debemus: & quia ichnæa hæc vocum conuerſio noſtro ſermoni peculiaris eſt & propria, perſpicuum fuerit cui linguæ huius vocis origo debeatur. Prima itaque huius ſymboli occaſio arrepta eſt è ſympathia floris & Solis; atq. ex ea proceſſit fabula, Apollinem è Loti flore exſtitiſſe: quo nihil aliud indicare voluerunt, quàm ex Loti conſideratione nos venire in Solis cognitionem; & ex Solis iterum inſpectione nos ad altiſſimi capitis notitiam peruenire. Eſt enim ea ferè hominũ natura, vt veluti pecudes alimenta ſua è limo & terræ vligine producta diligentiùs attentiusque conſiderent, & eorum naturam accuratiùs rimentur, quàm cæleſtium corporum pulcritudinem, motionem & facultatem; qua hæc inferiora moderantur & gubernãt. Quotus enim quiſque eſt non plebeiorum modò hominum, ſed eorum etiam qui ſibi vel de iuriſprudentia, vel theologia, vel de hiſtoriæ & antiquitatum cognitione maiorem in modum placent, qui Solis & aſtrorum curſus varietatem obſeruarit, & ex ea noctium & dierum, caloris & frigoris, & ceterarum rerum diuerſitatis cauſſas norit explicare? Diſpeream niſi me ſæpius pudeat tam barbaræ noſtri temporis ignorantiæ, quo nihil omnino bene diſcitur, niſi quod faciat ad farinam, & rectà tendat vel ad ambitionis vel ad auaritiæ augmentum. Et quod magis mireris, non rarò ab his hominibus audias, ſe lubenter Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Muſicam, & ceteras liberales artes ignorare; quòd ex iis nihil accedat culinę, aut dignitati ei quam vel ex magiſtratibus, vel ex ſacris ordinibus maxima ingenij contentione ſectantur; adeò omnium ferè animi hac ætate ſordibus obruuntur, & quicquid diſcunt, in turpiſſimam deiiciunt ſeruitutem. Vetuſtiſſimi igitur illi lanigenæ, quo perpetuum Ægyptiis relinquerent eius viæ monumentum, qua ex corporis pabulo excellentiſſimo ad ſummi capitis cognitionem veniretur, & à temporario cibo ad cibum ſempiternum; Apollinem finxerunt è Loto primùm exſtitiſſe, id eſt, ex hac inferiorum cum ſuperioribus ſympathia & naturali connexu nos cognouiſſe hæc terrena omnia à cæleſtibus corporibus gubernari; atque inde paullatim adſcendendo, tandem deprehendiſſe vnum ſuper omnia caput eſſe, quod

κωδίας vocẽ vnde Græci habeant.

Hooden.

Hominum in cæleſtium corporum pulcritudinis contemplatione negligentia.

Apollo cur è Loto primùm exſtitiſſe fingatur.

non

non hæc modò elementa,sed cælos etiam imperio suo cõtineat atq. versetSic Aristoteles cùm animaduertisset generationis & corruptionis caussas ex Solis accessu & recessu in obliquo circulo pendere,& omnia hæc elemẽta vnà cum iis quę ex ipsis coaluerunt, à cælestibus temperari & regi; ad cælos adscendit, & ex perenni ipsorum regressione eò tandem peruenit,vt vnum totius mundanæ agitationis caput esse deprehenderet,quod ipsum immobile omnia sempiterno motu cieret. Iam si Deus tantam curam vnius herbæ habuit, vt eius naturam ipsi Soli generationis auctori tam arcta colligaret cognatione;quid credemus eum in hominibus fecisse,quorum caussa non plantas modò omnes & animalia, sed ipsum etiam Solem creauit? Absurdum enim sit, vt non diuina mens arctiore vinculo humanam sibi mentem, quàm Niloticam plantam ipsi Soli alligarit, cùm ad hominis vsum omnia cetera corpora & cælestia & elementa, & ex his composita destinarit. Quæ cùm ita sint, videamusque quàm hæc planta pressis vestigiis eum ducem sequatur cui eam Deus subiecit, æquum est vt cogitemus, tanto nos propiùs & diligentiùs summi capitis imperium sequi debere, quanto animus noster corporis sui pabulo præstantior est & diuinior: quod si fecerimus, omnem humani officij summam nos absoluisse existimemus. Mirabilis est sanè huius plantæ cum suo duce consensus, dum vt ille vel ad hemisphæriũ emergit,vel ab eo recedit; ita hæc se vel aquis exerit,vel in eas subsidit. Plurima sunt nobis in hac herba diligenter annotanda, quorum præter ea quæ modò dixi, quæ & maxima sunt, est illud vnum, quòd flos eius statim simulac Sol horizontem superarit, totum se ad radios eius excipiendos conuertat & expandat; verùm vbi finientem circulum subiuerit, se contrahit & sub aquis abscondit: quod nobis à teneris vnguiculis,in ipso maximè ætatis flore,imitandũ; vt nimirum si quis Apollo siue occultorũ reuelator Solis radios nobis affundat,animos nostros salutari doctrina illustret, ei nos totum ingenij nostri flosculum aperiamus: at si hic discedat & tenebræ offundantur vel ab ignorantiæ patronis, vel à cacodæmonis ministris, tum statim nos ipsos occludamus, & cogitatione & mentis oculis nos ad illum qui discessit conuertamus, vt in eorum quæ ab eo accepimus meditatione tantisper taciti quiescamus, dum rursus aut ille idem, aut alius veritatis doctor existat qui nobis benigna sani sermonis aura affulgeat. Quãuis autẽ & alij flores sint qui sese Sole discedẽte claudunt,& rursus eo exorto aperiunt; nulla tamen planta est in Ægypto quæ vel nobilior sit & omnibus notior, vel illustriùs demonstret, Solem nobis esse perpetuò sequendum. Qui memoriæ artem tradiderunt, loca sibi sumunt maximè nota, vt quid quaq. illorum sede collocarint,promptissimè reminiscantur. Eadem de caussa in parabolis & symbolis quanto quæque res magis nota est, quantoque omnibus euidentior, tanto latiùs significationis suæ fructum communicat in vulgus, & ad omnem porrigit ætatem. Sit sanè, fuerint aliæ apud Ægyptios herbæ quæ Solem sequerentur, at nulla tamen fuit quæ vel excellentior esset, vel frequentior omnibus in vsu; eo quòd ex eius non semine modò copiosissimo, sed radice etiam edulia sibi delicata quotannis pararent: quo fit, vt non ex aliâ planta faciliùs cæli & terrenorũ possent manifestare cognationem;in qua cognoscenda & ad primam originem deducenda qui sapiens esset,eum Mag-wis Ianigenæ soliti sunt vocare. è qua voce Magorum nomen ad alias venit gentes; & tandem dum quid significaret ignoraretur, detortum est ad eos qui dæmoniacas fraudes exercerent, & præstigiis hominum simplicitati imponerent; quibus non magis conuenit, quàm sapientis nomen insano atque furioso. Agnouerat Socrates hanc rerum cognationem per ideas à summo patre ad omnes res creatas descendere, & in ea sciebat totam philosophiam versari, tametsi huius nostræ interpretationis conscius non esset. Quid? an non & Homerus dum Iouem hominum & deorum patrem vocat,& ab eo omnia catena quadam esse suspensa canit, hanc quoque nobis generis necessitudinem satis indicauit? Iam quid Aristoteles aliud facit in primæ sapientiæ libris,quàm quòd omnẽ rerum multitudinem in certas familias distribuit, & familiarũ capita designat, & hæc rursus ad superiora capita refert; & id tantisper facit, dum tandem ad supremum caput totius rerum cognationis adscendat, atque illud purũ contemplationis æternæ actum agnoscat, qua ipsum videlicet supremum generis caput seipsum intuetur, & ex ea sempiterna fruitur voluptate. Sic D. Paullus ait, inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspici, atq. inde ad sempiternam eius virtutem & diuinitatem à sapientibus

Loti cum Sole sympathia.

Magi nominis etymon.

peruenirí. Hæc igitur cognatio in loto designabatur; è qua idcirco Apollo pusio adhuc dicitur natus, quòd ex ea omnis reuelationis arcanorũ principium ducatur. Et optimè profectò tenellũ adhuc Apollinem ex hac herba natum esse fabulátur, propterea quòd omnis Dei cognitio ex hac sola cognatione reuelata puerilis adhuc sit & manca, & impos eius gressus quo ad perfectam & omnibus numeris absolutã Dei cognitionẽ homines euadunt. Hæc enim non ab Apolline pusione, sed ab Apolline iam vito per fidem in Christum reuelatur; qua certiores facti sumus alterius cognationis multo maioris, qua nimirũ Deus homo factus nos sibi fratres in hæreditatem patris cooptauit, vt idem nobis pater esset ac creator, & idem frater, quo nos à regno patris exsules iustitia sua restitueret ac in patriam reduceret, iam deinde cohæredes futuros æternæ felicitatis. Huius mysterij reuelator perfectus est Apollo, qui non alius est quàm Spiritus sanctus, & ipse Christus in quem D. Ioannes Spiritũ sanctum vidit descendentem. Vt igitur duplex est humani generis & Dei cognatio, & duo quoque sunt Apollines; sic & duo sunt genera Magorum. Alij enim beneficio Apollinis pusionis Magi sunt & cognationis periti, quales veri fuerunt philosophi: alij gratia Apollinis perfecti, qui Spiritus sanctus est, cognationis secundæ, & multo quàm prior esset maioris, reuelationem acceperunt; quales omnes fuerunt Prophetæ, & veri vates Spiritus sancti instinctu de Christo oracula hominibus edentes. Sic Balaam Magus dici potuit, cuius successores D. Hieronymus eos Magos facit qui ad Christum in Bethleem recens natum venerunt. Mihi de successione non aliud occurrit, quàm quòd omnes qui pòst à Spiritu sancto accipiunt reuelationem eorum quæ prius aliis fuerunt inspirata, dicantur priorum successores; quia nimirum ab eodem spiritu eadem accipiant reuelationis dona. Nobilis fuit apud Persas Magorum sapientia; quorum nationis an tres Magi fuerint, vt difficile sit asserere; ita illud constat & nomine & professione Magos fuisse, id est, rerum naturalium & cælestium motionum peritos; ac iis singulari gratia stellam nouam fuisse ostensam, quam prius nõ vidissent, & Spiritus sancti afflatu reuelatũ fuisse hanc esse illam stellam quam Balaam dixerat in Iudæa orituram: & idcirco aurum, vti Regi; thus, vti Deo; myrrham, vti mortali eos infanti obtulisse: quibus donis tam luculentum ediderunt de Christo oraculum, vt haud videam, quídnam in omnibus vaticiniis ei præferri debeat. O stupendam Dei erga exteras gentes benignitatem, quibus aduentum suum prius clarissimè reuelauit, quàm ipsi sacerdotes & legis periti vaticinia de Messia perpetuò iactantes quicquam subodorati essent! Ex his modò liquere puto, quid paruulus ille puellus, partibus inferioribus adhuc infirmus, è loto nascens designarit. Vt enim summatim dicam, hoc symbolo docemur veram omnium rerum creatarum cognationem, quarum nulla tam vilis est & degeneris naturæ, vt non ideam aliquam referat diuinitatis. Terra à cælo quàm longissimè recessit, nec eius lumen ad partes suas intimas admittit, nec quicquam habet motionis circularis; sed inerti pondere semper depressa iacet; attamen hæc suam etiam habet diuinitatis imaginem; & eam quidem multiplicem, tot modis distinctam, quot in ea reperiuntur idearum simulacra. Inter cetera quietem habet perennem, qua Deum & beatorum sedem insigniter imitatur & nobis ob oculos ponit, & idcirco à sacris litteris eum accepit honorem, vt terram viuentium beatorum locum nuncuparent. Nihil igitur inter res creatas tam abiectum est, vt nulla in eo diuinitatis similitudo reperiatur: ad quem modum si de Platonis ideis siue æternis rerũ omnium exemplaribus ac formis cogites, statim videbis quàm iniquum se Aristoteles præceptoris sui præstiterit censorem. Scimus in gentibus quibusdam primorum parentum longa plurimorum successione similitudinem quandam conseruari; à qua si mentem ad omnium patrem transferas, an te ab omni ratione tam longè remouebis, vt eius vim genitricem minùs virium habere dicas, quàm cuiuspiam è medio vulgo hominis, cuius aliqua nota peculiaris ad posteros transit? Absit tanta iudicij peruersitas, absit tam impia de creationis arcanis ignorantia, vt quicquam omnino esse credatur, quod nõ hoc ipso quod est cum primo ente habeat cognationem, & hoc ipso quod partibus suis constat vnitis ipsius primi Vnius soboles sit, & quidam per gradus cognationis ab vno patre defluxus. Cùm igitur Ianigenæ, quicumque tandem illi fuerint, siue Phryges, siue alij, hanc sapientiæ viam Ægyptiis & ostendere vellent, & expósito omnibus exemplo perpetuæ memoriæ consecrare; Lotum ad allegoriam vocarunt, vt nimirum ex domestico

Apollo cur è Loto natus fingatur.

Magorũ duo genera.

Magi tres quæ Christo obtulerint munera.

Pusionis è Loti flore nascentis symbolum quid significet.

Platonis idea.

& vernaculo sibi pabulo ad cognitionem veri animorum pabuli ducerentur; & non solùm quæ vera esset sapientiæ methodus ostenderent, sed fructum etiam eius in hac vita carpendum demonstrarent. Neque frugifera dici potest eorum philosophia, qui cùm ex rerum cognatione ad Vnum omnium principium deducti sunt, non idem primo suo patri exhibent officium, quod Soli lotum quotidie præstare cernunt. Hic enim scopus esse debet omnium studiorum, vt vnum Deum patrem in omnibus quæramus, & inuentum sic colamus, vt eum coli decet, citra cuius præsentiam ne momento quidem temporis esse possemus, nedum bene viuere & lætari. Quamobrem si suauiter viuere velimus, necesse fuerit vt vnum solum Deum colamus & adoremus; & non adoremus verbis & externo ritu tantùm, sed tota mente & omnibus mentis operibus, ita vt eum perpetuò tum exteriùs erga alios, tum interiùs apud nos ipsos ducem sequamur, & ab eius imperio & nutu nulla perturbationum vi, nulla dæmoniaca fraude, nullis hominum blandimentis deuios nos ferri sinamus. Quòd si his Ianigenarum monitis Ægyptij paruissent, numquam in tam fœdam incidissent idolomaniam, numquam tam impias de diuinitate opiniones vel ipsi suscepissent, vel ad alios propagassent. Accidit videlicet illis quod D. Paullus de philosophis scripsit, qui cùm vnum Deum è rebus creatis esse deprehendissent, mox ab eo desciuerunt: & quem Deum cognouerant, non vt Deum honorarunt, sed aut inanibus titulis & fabulis, aut rebus creatis, aut ipsis cacodæmonibus diuinos attribuerunt honores; ob hoc ipsum tanto plebeiis hominibus sceleſtiores, quanto grauius est, scientem & volentem, quàm ignorantem atque seductum à vero Deo omnium patre & vnico custode discedere, & se in certum præcipitare exitium & mortem sempiternam. Quid enim aliud est à vitæ datore & custode transfugere, quàm se ire perditum? Nihil igitur in omni hominum genere perditius iis qui Deum nouerunt, & tamen non vt Deum honorarunt: in quorum numero vti olim philosophi fuerunt; ita multo magis sunt hodie Christiani illi qui patrem suum, quem per Christum norunt, non vbique & semper sequuntur, iuxta illud Apostoli, *Scienti & non facienti, duplex peccatum*. Lotus ergo Ægyptiis non solùm viam & rationem per cognationis gradus Dei cognoscendi præmonstrabat, sed vnà fructum philosophiæ vnicum & solum vitæ necessarium indicabat; qui totus in eo consistit, vt nos rectam rationem veluti Solem nostrum, recta ratio Deum vti patrem sequatur: atque ita toti non ex nobis aut quauis alia re, sed ex Deo pendeamus; non secus ad eius imperium parati, atque membra corporis nostri, dum bene valent, capitis iussis obtemperant. Et hoc quidem fuit commodissimum & breuissimum veræ doctrinæ & arcanorum reuelationis compendium, quo ex suaui corporis cibo ad suauissimum animorum pabulum peruueniretur; & idcirco nomenclator sic Lotum vocauit, vt eius ichnæa conuersio doceret, nos ad æternam sublimitatem eleuatum iri, si ductum ipsius loti fuerimus secuti. Nam, vti dixi, Lambda siue vocalem addas siue non addas, nobis semper idem significat quod sublime vel sublimo: vnde, sicut loot sublime caput significat, ita vim verbi quoque intellexeris, si dicas eo significari, sublima caput, vel sublimo caput; vt illud sit monentis, hoc sit herbæ asserentis, se caput in altum eleuare. Et quia bene docet solus ille qui bene præit, bene factum est, vt loot vtrumque significet, & sublimo & sublima, dum vt verbum accipitur. Loot itaque hoc suo nomine non solùm altum caput esse & excellens denotatur, sed monere etiam intelligitur, vt qui eam videt ac considerat, sic caput attollat, vt ipsa solem secuta caput in altum effert. Iam quis inde sperari fructus debeat, vox retrò lecta declarat; quam si herbæ pro eo ac debes applices, idem dicit ac si Latinus diceret, Ad æternum leuo siue exalto. Verùm quia oo non solùm æternum significat, sed altum etiam, vt quæ reapse seiungi non possunt eadem quoque voce denotentur, fit vt meliùs reddideris si dicas, Ad æternam sublimitatem, siue ad sublimem æternitatem exalto: quod clarissimè te-oo-el denotat; quod si contrahas, T'oo'l habebis. Quid clarius esse potest? Pronuntia dumtaxat ipsas litteras eo ordine quo ponuntur, nónne te-co-el audis? Atqui hoc idem est nobis ac si Latinus diceret, Ad æternam sublimitatem exalto. Latini ab celt/ quod significat nobilitat & ad altum attollit, Altum fecerunt: & alia via ab hel cum adspiratione, quam extra compositionem ferè adhibemus quo spiritus in altum ferat, Celsum sibi finxerunt: haud secus ac κωδίας ex hooden sumserunt, & ab hom Cornu, & multa alia, quorum nonnulla antè

Studiorũ omnium scopus.

Deus vnus colendus & adorandus.

Philosophiæ fructus.

T'oo'l.

Celt.

Alii & Celsi etyma.

posuimus exempla. Ineptum est quod Festus dixit, Celsum à κέλης fieri; eo quòd qui equo vehuntur, sublimes sint. Lotus itaq. primogenia sua voce, quæ est loot, pollicetur se sui imitatores donaturam æterna sublimitate: quod haud dubiè præstabit, si in virum adolescat, id est, huic Dei è naturalium rerum cognatione notitiæ eam addat quæ ex Spiritus sancti reuelatione contingit, quæ masculum habet robur omnibus numeris absolutum. Forma autem pusionis videtur Harpocrates esse recens natus. Quòd autem lapis sit heliotropius, id in lotum & totius symboli significationem optimè quadrat, eo quòd huius lapidis nomine statim intelligamus qua de caussa Apollinem pusionem è loti fructu produxerint. Statim enim videmus illud in loto ipsos maximè annotandum putasse, quòd sese cum Sole circumagat, & eius ductum, quocumque se vertat, promptissimè sequatur. Vnde liquet frigidum & prorsus ineptum eorum esse commentum, qui hoc pusione Solem dumtaxat orientem designari apud Plutarchum prodiderunt. Heliotropium Plinio nascitur in Æthiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, sanguineis venis distinctum. Caussam nominis dat, quòd in vas aquæ deiectum fulgorem Solis accedẽtem percussu sanguineo mutet. Eandem ait extra aquam Solem speculi modo accipere deprehenderéque defectus, subeuntem Lunam ostendens. Addit Magorum vanitatem, qui hanc certis precibus adiectis, vnà cum herba heliotropio præstare dicunt, vt quis non conspiciatur. Ego hîc nihil sani video: & quod de Solis percussu, & quod de Eclipsi dicitur, vanum est. Quod de heliotropio adiicitur, crediderim equidem eum qui hunc lapidem secum ferat, & vnà Lotum heliotropiam noctu sequatur, non conspectum iri. Mihi placet lapidi nomen datum à colore Heliotropij minoris, quod tricoccum Aëtius vocauit; quod pallido virore præditum est, & intus succo sanguineo turget. Quia enim gemma sanguineas quasdam venas ostendit, videtur intus eundem colorem habere quem succus herbæ, licet foris in vtraque viridis appareat. Hispani hanc herbam *Tornesol* nominant, vernacula voce Heliotropium exprimentes, & eius tincturam vilibus linteis exceptam ad nos sub eodem vocabulo mittunt. Maius heliotropium *Tornesol bobo* vocant, eo quòd sanguineo succo, vti minus, præditum non sit. Ab hoc igitur minore heliotropio, cuius semen siliquis trino interuallo distinctis continetur, lapis nomen mihi videtur accepisse, quasi & ipse tritus cruorem ex venis illis, quas ostentat, daturus esset; nec aliam appellationis caussam reor inueniri: quam cùm alij ignorarent, nec scirent minus heliotropium sub pallido virore purpureum succum occultare, varia somniarunt, & in re tenui magnas nugas commenti sunt. Equidem vtrumque Heliotropij genus frequenter in eisdem agris copiosissimum vidi, maximè circa vallem Dolitanam. Maius altiùs assurgit, sed minoribus est foliis, & flosculorum pediculum, haud secus ac scorpius caudam, reflectit; vnde *Scorpiuro* nomen. Huic semen thecis inclusum est quaternos loculos foris intusque ostendentibus: qua nota sesamo comparatur. Quod Dioscorides in flore ὑπόπυῤῥον vocat (neq. enim ὑποπόρφυρον legendum) non deprehendes, nisi accuratè flosculum intus conspexeris; qui diligentiùs intuenti nonnihil subfului ostendit. Minoris heliotropij theca tres loculos coniungit, vti Aëtius item annotauit, & multo maior est quàm sit prioris fructus: adeò vt si fructum & folia tantùm spectes, hoc genus maius esse dicas: & profectò tanto maiorem adfert vtilitatem, vt huius collatione maius bobo dicatur. Lapis igitur heliotropius minori heliotropio colore exteriùs similis est, & rubris venis suis, quibus à Prasio distinguitur, promittit se intus succum habere succo herbæ similem, atque inde Heliotropium à naturæ peritis nuncupatum esse opinor. Ingenti tamen duritia à Prasio differt, eóque maiore in pretio habetur. Sanguinem eo cohiberi quidam volunt, & certa rei iactant experimenta: quod facilè credetur ab iis quibus placet occultas rerum facultates externis quoque notis frequenter indicari: quod in plurimis sanè ita habere deprehendo. Reginæ Angliæ calicem ex hac gemma esse dicunt, quo non rarò ad bibendum vtatur. Quòd si se cum Sole, quod equidem necdum credo, verteret, insignem nobis præberet vsum. Nam leui ligno impositus aquæ vel oleo innatare posset, atque intra vnius exiguæ scutellæ, cuius limbo horæ inscriptæ essent, capacitatem, totũ nobis Solis cursum quouis momẽto indicare: qua cõmoditate quid posset esse maius ad plurima diligenter obseruãda citra errorẽ, in obscurissima etiã nocte vel die nubibus obscuro? Vtinam eiusmodi heliotropiũ haberem: næ ego pluris eũ facerẽ, quàm quicquid vsquam

Heliotropij locus natiuus, color, & nominis ratio.

Tornesol herba apud Hisp.

Heliotropij herbæ genus duplex describitur.

Heliotropium gẽma à Prasio quo differat.

vsquam est carbunculorum. Sufficiant hæc de Heliotropio. Inueniuntur & aliæ gemmæ quibus hic pusio Loto insidens incisus sit; quarum vnius ectypon Langius ad me misit, vir omnis reconditæ litteraturæ studiosissimus, tum accuratiore antiquitatum & totius rei herbariæ cognitione vix pauciſſimis conferendus, nedum cuiquam secundus. Verùm quia per omnia illius scalptura cum hac Heliotropij facie, quam modò exposui, conueniebat, nihil mihi attulit vlterioris mysterij, atque idcirco non est cur ei diutius immoremur. Restat nunc symbolum sinistra manu comprehensum, cuius vel solius causſa nobis de Harpocratis figura antè tractandum fuisset, quàm ad hieroglyphicas litterarum notas accederemus. Ex hac enim acuti anguli sursum tendentis imagine primi elementi figura consistit. Verũ quia in Canopo de hoc ipso symbolo rursus erit agendũ, hîc non aliud annotabo, quàm vitæ signum hunc angulum habere; & idcirco nos moneri, totam Harpocraticæ imaginis significationem ad eam vitam spectare, quæ è lato spatio in quo homo versatur, se totam refert ad vnum supremum apicem, qui non alius est quàm ipse Deus, via, veritas, & vita. At de hoc signo & eius notatione latiùs in Aleph. Transeamus ergo nunc ad priorem Harpocratis imaginem, quam Pyrrhus ex ære depromptam, Pighio; Pighius mihi communicauit. In hac enim quædam sunt communia, quædam præcipua & propria; quorum vt illa non sunt repetenda, ita hæc quanta fieri poterit breuitate perstringenda, ne singulorum latitudinem persequentes, nullum tandem exitum reperiamus. Plurima enim sunt symbola, & singula tam vberes habent & rationes & significationes, vt quot sunt, tot codices non iniuria postularent. In primis hæc tanta varietas indicat, simplici veterum Harpocrati, quem modò exposui, plurimas postea phaleras accessisse; idque ea maximè ratione, quòd phylacterio eius tantundem virium esse putabatur, quantum ceteris diis omnibus simul ad auxiliandum congregatis. Iuuenalis cecinit: *Nullum numen abest si sit prudentia.* Eodem modo potuerit dici de Harpocrate, & longè fortasse verius: *Nullum numen abest cui custos Harpocrates sit.* Cùm igitur multorum numinum instar vnus haberi crederetur, videntur ei ceterorum quoque præcipua ornamenta & insignia tribuisse, maximè eorum quibus cum putarent ei esse quandam cognationem. Hanc si velimus sequi rationẽ, breui opera omnia absoluerimus, dicendo facem accensam Cereris esse, pharetram & arcum Cupidinis, vlulam & serpentem Palladis, longam asini aurem Sileni vel Bacchi, gallum Æsculapij indicium habere. Verùm scalpturæ elegantia mereri mihi videtur, vt artificiosius explicetur, nec tam pinguem admittat philosophiam. Nos itaque singulas tesseras Harpocrati accommodabimus, & omnes ad eundem scopum tendere ostendemus: atq. id quidem tanto consensu, vt ex omnibus simul iunctis non alius quàm vnus exsistat Harpocrates; licet diuersis indiciis diuersa eiusdẽ officia monstrentur. Primùm igitur quid fax accensa in sinistra faciat, aperiendum. Si facis consideretur vsus pro eo ac debet, mox intelligemus imbecilliori hominis parti lumine opus esse & flama, qua in apicem sursum feratur ad ipsum luminis & caloris omnis auctorẽ, ad quem vitæ signum sinistra Apollinis è Loto emergentis manu comprehensum nos tendere debere demonstrabat. Totus autem noster vetus Adam sinistra parte designatur, eo quòd totus mancus sit, atque adeò in mortis tenebras deiectus: nisi ab alieno lumine & flama vitam rursus accipiat, & nouo accendatur desiderio supernorum. Facula igitur lumen Spiritus sancti siue Apollinis signat: cuius ea vis est, vt depressos nostros animos & in tenebris iacentes illustret, accendat, & secum sursum ad ipsum fontem lucis attollat. Nos hodie non Facht/ vt olim, sed Fackel dicimus, à Wackelen/ quod est continuo motu huc illuc ferri, ignium flamis propriè applicari consuetum. Antiquum nomen Facht videtur fuisse, à quo Fax, vt à Recht Rex, à Merck Merx: cuius etymon Feg & Fag, id est, mundo. Nihil enim æquè aërem mundat ac ignis accensus; omnis ille quidem plurimum ad id virium habens, sed nullus præstantior, quàm is qui lignis resiniferis & suaues odores lacrymantibus constat. Porrò vt ceteri ignes alia circumfusi aëris vitia purgãt; ita fax non solũ hunc vsum præstare solet, sed & alium longè diuiniorem; quo nimirũ nocturnas tenebras, horrendũ hominibus malum, discutit ac procul à se pellit: qua de re præ ceteris ignibus facis nomen meretur, id est, flamæ purgantis atque mundantis. Insignis igitur significationis nota est, dum sinistræ hominis appingitur, ad tenebras partis mortalis depellendas. Solet hoc quoque signo vita denotari,

Harpocrates multorũ deorum instar.

Harpocratis ornamenta & insignia.

Fax accensa in sinistra Harpocratis, quid significet.

Facht. Fackel. Wackelen. Facis etymẽ. Feg. Fag.

ob eam quam in Aleph expoſituri ſumus cauſſam, vbi latiùs de toto ignis ſymbolo & pyramide,& angulo acuto, quem Apollo & Canopus oſtentat, erit agendum. Hîc ſatis eſto dixiſſe facem Harpocrati prorſus eſſe neceſſariam, eo quòd tum depurgato animo & ab omnibus ſordibus libero ei opus ſit, tum etiam luminis plurimi egeat, quo deſideratum ſibi mentis pabulũ perueſtiget. Ceres natam perditam face quærit, id eſt, ſemen terræ commiſſum vitali calore reſuſcitare conatur: at quid Harpocrates reperire velit, eadem manu indicat. Præfert enim tres codias, non illas quidem papaueris, vt quidam fortaſſe ſunt opinati, ſed Loti; quibus quid aliud ſignificat, quàm perfectum & trinum ſe quærere alimentũ; & id certè non corporis, quod iam in manu habet, ſed illud cuius corporis pabulum eſt ſacramentum. Non ſine maxima igitur ratione tres codias dederunt qui primi fuerunt ſymboli auctores, quo nimirum intelligeremus, diuinum eſſe, non humanum aut mortale quod facis ope quæreretur. Virgilius communem veterum ſententiam ſecutus cecinit: *Numero Deus impare gaudet*. Cuius cauſſam dum Seruius quærit, ſatis oſtendit quàm veræ philoſophiæ nihil ſciret. Nec multo ſaniùs Ariſtoteles eſt in ternarij conſideratione verſatus, dum egregio ſophiſmate principium eorum quæ de cælo ſcripſit ornare vellet. Fatetur ſe à Pythagoreis didiciſſe, ternarium omnia eſſe: at dum hoc propoſito ſuo applicat, & neſcio quæ alia inde colligit, oſtendit ſeſe huius ſententiæ vim non aſſecutum fuiſſe: atque adeò ſic credo ne ipſum quidem Pythagoram ſatis quid diceret intellexiſſe. Erant enim apud veteriſſimos homines certa quædam ogeniæ veritatis documenta, à maioribus illa quidem accepta, ſed quid iis ſignificaretur vel nullis vel pauciſſimis, quos æquus amauit Iupiter, erat notũ. Inter illa & hoc vnũ fuiſſe cerno, quo nihil perfectum, quod non ternario conſtaret; ac quicquid tribus conſtat, id omnia eſſe atque perfectum diceretur. Nos in figura Daleth latiùs hac de re loquemur: hîc obiter monebo, omnium rerum creatarum eſſentiæ imaginem quandam ineſſe Trinitatis creatricis, atq. inde dici, Omnia tria eſſe: quod vt Chriſtianis claram habet ſignificationẽ, ita apud veteriſſimos fuit celeberrimum: quod Ariſtoteles infinito profanius quàm Plato interpretatus, ad rem eam accommodauit in qua nihil faceret ad Bacchum. Tria igitur Loti capita diuinum & æternum animorum pabulum deſignant: ad quod perueſtigandum face vtamur neceſſe eſt. Arcus & pharetra Cupidinis vim indicant; ſed eam quam tum Cupido maximè exercet, cùm arcu remiſſo ipſe ſuum intus fouet ignem, in pectoris pharetra multas ſagittas acuendo. Sunt autem iſtæ ſagittæ tacitæ de rebus diuinis cogitationes; quas pennis & acumine mentis armamus, vt iis nos ipſi feriamus, quo dulciſſimo amoris diuini vulnere percuſſi langueamus. Totum enim liberalium diſciplinarum ſilentium ad Amorem debet referri; & eum quidem non impurum illum poëtarum puerum, ſed cæleſtem, & è cæleſti Venere natum: vt bene Platonis Dipnoſophiſtæ diſputarunt. Harpocrates itaque noſter hic ipſiſſimus eſt Cupido, ex Vrania Venere, quæ eadem eſt cum Themide, ſemper procedens, & ad eandem ſemper reuerſurus, & vnà ad hanc ſuam matrem pertracturus omnes quos occultis ſuis ſagittis vel leuiſſimè ſauciarit. Cùm igitur amor hic in nobis è pulcritudine rerum cæleſtium & æquabili totius vniuerſitatis harmonia & concentu bene diligenterque audito & attentè conſiderato naſcatur, idque non alias quàm dum tranquillo ſilentio conquieſcimus ac ſedemus; cur non Amoris arma Harpocrati rectiſſimè applicentur? Sed hac de re plura qui volet, Platonis adeat ſympoſium; in quo ingentes nectaris hauſtus Socrates ſitienti propinabit: ceteroqui nihil facturus eum qui non ſiticuloſus acceſſerit. Cùm in ceteris rebus omnibus aggrediendis magna vis eſt ardentis cupiditatis, tum nuſquam hanc decet eſſe maiorem, quàm in ſtudio rerum pulcerrimarum. Ne putemus ergo poſthac ab Harpocrate Cupidinem poſſe vllo modo ſeiungi; eum, inquam, cui Vrania Venus mater eſt. Porrò quid hoc monſtri eſt, quod ſiniſtro cubito galli gallinacei guttur premat Harpocrates? cùm tamen nemini dubium ſit, huic animali maximam cum Sole intercedere cognationem; & eam quidem tantam, vt leoni etiam hac ratione incutiat pauorem? Duo hîc in primis animaduertenda; alterum, gallum non deeſſe Harpocrati: alterum non quouis modo adeſſe: ita vt ſit in hac aui quod placeat, ſit quoq. quod diſpliceat, niſi comprimatur. Galli naturam ſolarem eſſe, certa eius cum Solis curſu mutatio declarat; quæ tam vehemens eſt, vt animal hoc certis horarum interuallis cantare cogat. Nolo hîc generoſum eius animum celebrare, nec fabulam

Loti tria capita in manu Harpocratis quid notent.

Ternarius numerus perfectus.

Tria ſunt omnia.

Cupidinis armorũ, arcus & pharetræ Harpocrate ſignificatio.

Harpocrates ipſiſſimus Cupido.

Galli gallinacei guttur ab Harpocrate preſſum quid ſignificet.

Galli natura ſolaris.

bulam referre, qua Martis armiger fingitur fuisse: nec Luciani præterea somnia narrare. Ea qui volet aliũde petet. Nos scimus gallum eum maximum sui vsum hominibus præstare, quòd cantu suo homines quotidianas temporũ doceat opportunitates; & ea ratione eum haberi veluti magistrũ quendam operum omnium per horas distribuendorum: & quia ad ea incitat, nomen חיתן accepisse, ceu חיתן, id est, feruenter aggredere, diceretur. חיתן. Verùm quia Harpocrates otium quærit, & omnium operum externorum vacationem; non permittit ei, vt hoc excitandi ad labores munere fungatur; & ideo quemadmodum digito sua labra compescit; ita huic cubito guttur coërcet. Sed interroget quis, si nulla huius auis vtilitas sit ad ea vel præstanda vel iuuanda quæ Harpocratis symbolo denotantur, cur ad partes vocetur; cur non potius, vt nihil ad rem faciens, omittatur, perinde ac picæ, cornices, graculi, philomelæ, & ceteræ id genus auiculæ aut garrulæ aut canoræ? Et certè si nocturnum quæratur silentium, luscinia potius quàm gallus compesci debuisset, quòd ea sola totas sæpe noctes canendo ducat insomnes; hic vix ter stridulam & minimè durantem vocem exhalet. Est quidem hoc ita; verùm, vt dixi, gallus animal solare est, & inter omnia solaria tenet principatum, adeò vt non frustra videatur erigere cristas. Cùm igitur diligenter diurni temporis vices obseruet, atque homines ad agendum incitet, non potuit apud Harpocratem asymbolus manere. Cùm enim maxima cupiditate id quod quiescens agit agere videatur, vti Cupidinis arma declarant; quid gratius habere potuisset, quàm animal sub cubito tenere, in cuius gutture iam vocem moliente sentiretur tacitum & internum incitamentum? Quamuis enim vocem edere nequiret, vrgebatur tamen ad vocem: & quod exteriùs præstare non posset, id musculis & vocalibus instrumentis moliebatur: quod facile erat ei sentire, qui cubito guttur pressum teneret. Gallus igitur hic sic positus est, vt non cantet ille quidem, nec silentium rumpat; sed vsum tamen eum præstet, vt tacita corporis molitione solaris cursus det significationem. Neque verò solis Regibus, gentium suarum salutem sedulò tueri studentibus, nec solis militibus noctu identidem est expergiscendum; sed iis etiam qui curam gerunt animi sui diuinarum rerum cognitione excolendi. Et reuera non potest dici serio aliquo studij genere teneri, qui sese non comparet vt Rex fiat; si non populi, at saltem suiipsius: quo fit, vt si Regi & homini militari nocturni temporis spatia sunt dimetienda, sint etiam & illi diligenter dispensanda, qui & sese ad verum regnum paret, & non contemnendum noctu contra brutam naturam bellum gerat. Quisquis igitur seriam operam bonis disciplinis nauabit, ei nocturni temporis accuratè subducendus est calculus; tum quia regnum sibi parare molitur, tum quia militat contra domesticum hostem, quem nullis portis, sed sola interna potest excludere custodia. Quid? an leue hoc videtur bellum quod non tantùm ciuile est, nec vnis tantùm opidi mœnibus est inclusum, sed intra vnius hominis septa omnia intestinis bellis perturbat? Quòd si bellum difficile meritò dicatur, in quo tanta est hostis vel dexteritas vel potentia, vt rarò cõtra eum victoria quis potiatur; non video aliud bellũ grauius, quàm sit illud quod quisque domi suæ contra suas ipsius gerit affectiones. Quanto autem difficilius, tanto diligẽtiore cura vigiliæ & constituendæ & obeundæ: qua in re qui gallinacei partes nõ nouit, is numquam Teutones in bellũ vidit proficisci. Iam si periculi magnitudo & victoriæ raritas nos à pugna deterreant, actum fuerit de tota hominis libertate; & idcirco assiduo pugnandi & vigilandi vsu animus noster exercendus, vt tandem illud sibi robur paret, quo vel semper superior euadat, aut saltem rarò vincatur. Atqui ad hoc nihil plus adiumenti contulerit, quàm si gallinaceos nobis imitandos proponamus; quorum tam magnus est animus, tanta magni animi constantia, vt vitam malint perdere, quàm alterius imperium iugumque vel ad vnum temporis ferre momentum. Sciuit hoc Themistocles, sciuerunt nostri maiores; & anniuersariis gallorum pugnis sollemni ritu institutis, perpetuos nos esse voluerunt gallorum imitatores: qua in re quam laudem meruerimus, referre nec tutum est nec decorum. Imitemur igitur gallos; & imitemur non his modò quæ diximus, sed in iis etiam quæ in hoc animali domesticum exercẽti regnum peculiaria videmus. In primis enim non vigilem tantùm se suorum præbet custodem, & manè dum tempus est ad quotidianum inuitat laborem; sed ipse primus exsilit, non tam voce quàm reapse quid faciendum sit ostendens. Ipse omnia verrit, omnia explorat, dispicit, & simulac aliquid

Regibus & militibus nocturni temporis spatia dimetienda.

Gallorũ sollemnis pugna cur à maioribus instituta.

Gallus regis, militis & boni patrisfamiliâs exemplar.

aliquid escæ nactus est, gallinas & pullos ad pascendum conuocat; interim velut pater quidam & sympositarchus excelsus adstat, & ad epulandum inuitat; hoc vnum semper curæ habens, vt suis sit quod edant. Interea ipse disquirit ecquid in proximo reperiat, quo reperto rursus suam familiam citat. Accurrunt ilico. Ille sublimem se gerens & vndique circumspiciens ecquid hostile vsquam appareat, totam cohortem circumit, & obiter granum aliquando vnũ sibi sumit, non citra inuitationem, vt se sui consequantur. Hæc tota denique diei ratio est, vt quicquid virium habet, id totum ad suorũ conferat salutem, & nullius rei minus quàm suiipsius sollicitus esse videatur. O insigne patrifamiliàs exemplar! ô insignem totius masculæ vitæ magistrum! Hunc si velimus sequi, statim, simulac experti fuerimus, Deo gratias agamus, ac mox totius domus nostræ eam quam gallinaceus docet curam habeamus. Pythagoras hanc huius animalis vitam considerans, dixit gallum nutriendum quidem esse, at non immolandum: quod vt alij aliter interpretantur; ita ego inter cetera hoc dico denotare, homini hanc galli sollicitudinem ad res corporis curandas esse quidẽ necessariam, verùm non sic esse necessariam, vt eam etiam ad sacrificiũ & cultum diuinũ ferre debeamus, vt quem omnis externæ curæ liberũ esse decet, nec vlla terreni pabuli sollicitudine distineri. Absit ergo gallinaceus à sacrificiis, hac quã dico ratione. Iam & illud moneri videtur, cetera quidẽ animalia immolari posse, gallũ citra piaculũ nõ posse; eo quòd is qui optimũ totius vitæ exẽplar occidit, is videatur indicare sibi nihil amplius opus esse laudatissimis huius animalis dotibus, citra quas tamen probo sapientiq. viro non fuerit viuendum. Alendus igitur gallus, & perpetuò dũ viuimus imitandus, tum in familia alenda & propugnanda, tum in vitæ officiis per opportunas temporum vices distribuẽdis. Hinc Socrates iam certus mori, gallum iussit Æsculapio immolari; ceu diceret, Nec mihi posthac corporis curis, nec ope medicorum, nec cuiusuis alterius rei ad corpus pertinentis subsidio opus fuerit: quo fit, vt ne galli quidem, horum viui exemplaris, amplius egeam; atq. idcirco permitto, vt Æsculapio huius corporis medico immoletur, quò animal solare ad ideam solarẽ, qua corporata nostra vita gubernatur, rursus adscendat; & animus iam corporis expers, ad mentem solarem reuertatur. Sed hæc sat sit indicasse, obscuriora enim sunt, quàm vt breuiter & dilucidè explicari possint. Æsculapius nobis eum significat qui masculum alendi robur semper resarcit: quo nomine generatim illud numen denotatur quo auxiliante omnia huius vitæ munia obimus ad nostram & nostrorum salutem: & quia singulare huius vitæ rectè instituendæ exemplar est in gallinaceo, quod & Regi, & priuatim cuiuis in familia sua est imitandum; placuit antiquis, vt Apollinis filio siue Apollini corpus curanti gallus consecraretur, qui non antè, quàm quis à corporis curis liber esset, fuerit immolandus. Verumenimuerò in nostro Harpocratico silentio hæc omnia ab externis ad interna transferuntur, vt quorum illa egent exteriùs ea nos similitudine quadam ad pastum animorum applicemus. Existimet vnusquisque se moneri, vt perpetuò gallinaceum tacitum domi suæ habeat; & haud secus atque gallus totus solaris est; ita & ipse totus à Sole supermundano pendeat, & in animi affectionibus moderandis insignem se se præbeat & militem & Regem; & quamuis potius sibi mortem oppetendam ducat, quàm vllius seruitio deprimatur. Habuit & gallus suas in tragœdia salutis humanæ partes, dum D. Petrum monuit quàm vano fastu se se iactasset, à domino suo se non recessurũ. Sed iam satis de gallinaceo, verissimo Regis & militis & patrisfamilias exemplari: quod ad animum translatum, in varias admonitionum formulas trahi posset ab eo qui docere vellet, solius philosophi esse, bene Regis officio fungi: quod quia prolixioris esset sermonis exordium, in præsens omittatur. Properandum enim est, ne si diutius in gallinaceo hæreamus, Noctua se subducat. Adstat hæc Harpocrati magna quadam grauitate: Philosophiam de vultu diceres. Sed mirabile secum monstrum adfert, necdum, vt opinor, in toto hoc noctuarum genere visum. Tametsi enim auritum bubonem nouerimus; hoc tamen hactenus genus necdum prodiit, cui longa asini auris superne sinciput ornaret. Verùm quia hoc insigne non Noctuæ tantũ, sed ipsi Harpocrati quoq. attributũ cernimus, prius de noctua, pòst de aure tractemus. Palladi hanc auem sacrã esse, si non de alio, de vetere certè Athenienſium constaret numismate; quod locum prouerbio fecit, quo is noctuas Athenas ferre dicebatur, qui rem quampiam ad eum locũ portabat in quo maxima eius esset copia & vilitas, vt si quis te-

Gallus nutriendus, non immolandus.

Socrates certus mori cur gallum Æsculapio immolari iusserit.

Æsculapius quid significet, & quod numen.

Noctua cur Harpocrati appingatur.

lam

Iam lineam ferret in Hollandiam, aut Leodium saxeum bitumẽ. In Gotodanicis quædã à me de noctua dicta sunt: & est certè in noctuarũ genere nocturna quædã caligo, quam vereor ne ipse etiam Aristoteles penitùs effugerit, dum βύαν & hubridem distinguit. Homerus Chalcida eandem videtur nuncupasse,

Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ ἄνδρες δὲ κύμινδιν.

Verùm nos bubonem missum faciamus, de noctua dumtaxat ea quæ in vrbibus commoratur, verba facturi, quam vulgus nostrum templorum bubonem vocat: & nostrates quidem totum noctuarum genus Vl dicimus; & eas quas Latini vlulas nominant, nos Hubrus & Hubekens & Kutz vocamus: cui generi calliditatis tribuimus palmarum. Noctua igitur quoniam eo tempore quo ceteræ aues ad pastum euolant, quiescit; & quo ceteræ quiescunt & dormiunt, vigilat & prædas agit; & tum maximè videt cùm reliquæ per tenebras caligant, Mineruæ consecrata est. Hoc enim proprium sapientiæ videtur, illic vbi totum hominum vulgus valde occupatum est, quietem agere; & contrà vbi plebs nihil videt quod agat, plurimum videre. Discurrebat Martha multis distracta negotiis, à quibus Magdalena quiescebat: Magdalena interim illic plurimum quod ageret videbat, vbi Martha nihil agi posse arbitrabatur. Hoc igitur sapientis est, in illis quietem agere, quibus vulgus occupatur: & contrà illic sese plurimum exercere, vbi vulgus nihil videt agendum: quod dum facit, egregiè noctuam imitatur. Hinc plerumque & illud sapienti viro vsu venit, vt si apud plebeios compareat, haud secus ac noctua sit in admiratione, & solus omnium rostris vellicetur: quod dum ipsi accidit, noctuam rursum imitatus, sese supinum impeti sinit, rostro suo & vnguibus reliquum corpus defendens. Et certè nulla auis est quæ prudentiùs sese custodiat aduersus alias quàm noctua; adeò vt vna sola sese contra totum exercitum possit tueri: qua vel sola ingenij dote Palladi dedicari meretur. Quoniam itaque & plurimum in tenebris videt, & illic maximum otium agit, vbi vulgus hominum plurimum laborat; & sese præterea suasolius ope contra totum auium exercitum defendit atque custodit illæsam, quid ni dicamus vel eam esse, vel nullam quæ digna sit Mineruæ societate? Non mali igitur ominis sibi nomen sumserant, qui sese olim Herulos nuncuparunt, id est, communes noctuas: de quibus in Gotodanicis. Liquet hinc, qua de caussa noctua Harpocrati adstet: liquet, inquam, iis qui sciunt Harpocratem illic sedere vbi plebs discurrit; illic plurimum agere, vbi vulgus nihil cernit: atque hinc illud effici, vt noctuæ quoque sibi comparet securitatem, solusque possit totas aduersariorum copias propulsare. Nihil sanè vel Palladi vel Harpocrati conuenientius, quàm noctuam habere adstantem: quo de huius auis dotibus in eorum deducamur cognitionem, quæ nobis vel Palladis vel Harpocratis fauore contingent. Et hæc quidem breuiter de Glauce. Nunc de dracone, quem temporibus intortum videmus appingi. Multæ sunt & variæ serpentis significationes. Apollo de Pythone occiso celebratur, Æsculapius eius filius draconem habet carissimum, & crebrò sub eius tegmine delitescit; Hercules hydram trucidauit; Minerua Gorgonis angues gestat; Mercurij caduceum duobus serpentibus ornatur; Ceres vehitur draconibus. In his omnibus non vna videtur esse significatio, nec opportunum fuerit hîc omnem varietatem explicare. Scimus serpentes quotannis tempore veris vetus corium deponere, & exuuio illo deiecto recens natos videri. De hac natura homines symbolum sibi finxerunt, quo per serpentem nouam vitam, abiecta vetere senecta, denotabant. Omissis ergo ceteris quæ de serpente disputari copiosè variéque possent, dicamus Harpocratis capiti eum affingi, quò denotetur tacitæ ingenij contemplationi eas vires esse, vt per eam quicquid in nobis veteris est senectæ excutiatur, & noua rursus vita succedat. Neque enim Harpocrates puer tantùm est, sed eos qui monitis suis obtemperant, è senibus pueros reddit, & primo restituit vigori; idque tum maximè, cùm terrenis & mortalibus rebus neglectis, æternis & numquam aut morte aut senio consumendis toti adhærent. Sacræ litteræ non calliditatem modò serpenti, sed prudentiam etiam tribuunt; quam sic quidam prædicant, vt eum aiant aures sibi aduersus incantamenta obturare; alteram quidem terræ opponendo, alteram cauda opplendo. Proposito nostro prior ratio congruentior videtur, quæ Harpocratem sequentibus, perpetuam iuuentutem & vitam semper innouandam pollicetur. Restat modò frontis ornamentum, idque duplex, alterum lunulæ, alterum auris simulacrum ferens.

Vl. Hubeken.

Noctua cur Mineruæ sacra.

Noctua deas.

Serpentis in fabulis vsus multiplex.

Serpentes pellem quotannis mutant.

Serpens cur Harpocratis capiti affictus.

Lunula cur Harpocrati appicta.

ferens. Lunula apertiſſimum habet creſcendi indicium. Huc enim totum Harpocratis ſilentium ſpectat, vt ingenium ipſius haud ſecus atque luna noua tantiſper luminis capiat incrementum, dum totum ſuum orbem compleuerit, id eſt, donec integram Solis ſupermundani imaginem, quoad eius fas eſt captui humano, conceperit, & orbem illum ſcientiarum abſoluerit; quarum adminiculo ad Dei notitiam & inſpectionem venitur. Porrò auris longa & prorſus aſinina non Harpocrati tantùm, ſed noctuæ etiam impoſita, attentam præ ſe fert auſcultationem. Quis neſcit, ob id Satyris aures eſſe acutas & ſurſum arrectas, vt diuina Dionyſiaca quàm accuratiſſimè audiant? De Midæ auribus alibi memini ſcripſiſſe, & id quidem contra receptam apud pleroſque omnes opinionem. Audiuit enim hic Silenum tanta attentione, vt aſini aures ei affixerint. Noſtro Harpocrati & noctuæ hoc peculiare, quòd erecta aſini auris, & ea quidem vnica, ex ipſo ſincipite naſcatur: qua de re intelligimus, non illas eſſe corporis aures, quas capitis lateribus natura appoſuit, quibus Deus audiatur; ſed eſſe vnicam aurem quæ ex apice mentis & omnium ſenſuum oriatur, & recta ſurſum ad ipſum Vnum omnium principium & conum tendat, nihil admittens terrenum, nihil ex his inferioribus accipiens, ſed ſolis patens ſupernis. Hæc auris eſt ad audiendum Deum; hæc auris talis, quales ille ſibi voluit qui dixit, *Qui habet aures audiendi, audiat.* De hac ſic cecinit Ieſſæus vates: *Audiam quid loquatur in me Dominus meus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* Loquitur Deus in nobis, aure igitur interna audiendus; aure, inquam, mentis noſtræ, cuius hæc aſininæ auris figura teſſeram præfert. Et reuera hæc ſola auris Cimbricum auris nomen meretur. Ωογ enim idcirco dicitur, quòd per aurem in originis noſtræ cognitionem veniamus: & quia ους priùs originem & primam cauſſam ſignificat quàm aurem, videtur auris ea ſola ratione ſic dicenda, quòd proprium ſit primæ cauſſæ capiendæ inſtrumentum. Ab ους Latinorum auris, & Græcorum οὖς. Prima ergo cauſſa primum eſt & proprium auris, vt ita dicam, obiectum: ad quod niſi tota dirigatur, auris dicenda non ſit. Ab Ωογ fit Ηους, adſpiratione agendi vim indicante. Hinc Horus Harpocrates dictus ab audiendo; cui nomini hæc, de qua agimus, auris in ſymbolo reſpondet: & hac quidem parte non paullò plus habet elegantiæ quàm prior Harpocratis imago; in qua nulla erat peculiaris nota ad Hori nomen exprimendum. Videmus itaque cuius rei Horus ſibi velit auditionem, & quam aurem ad audiendum. Admirabilis eſt hîc conſenſus eius qui primus ſermonem noſtrum condidit, & huius qui ſymbolum hoc Harpocrati accommodauit. Eſt'ne quiſquam mortalium, qui aurem congruentiorem fingere poſſit ad id audiendum à quo auri nomen datum eſt, & à quo Horus pòſt nomen accepit? Fuerunt qui Orum citra adſpirationem ſcribendum putarent; qui qua ſint nixi ratione, non video. Noſtra nihil intereſt, an citra adſpirationem, an cum adſpiratione ſcribas, cùm vtraque notatio eôdem recurrat. Si enim Orum dicas, ab aure nomen dederis: at ſi Horum, ab audiendo Harpocratem indigetaris. Homerus videtur hanc in Apolline aurem ſubodoratus fuiſſe, dum de Sole dixit: ὃς πάντ' ἐσορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Apollo igitur non ſolus ille reuelator eſt qui pulcerrimum diuinæ maieſtatis ſpectaculum oculis offert, ſed is etiam qui mentis aurem primæ cauſſæ cognitione inſtruit ac format. Nunc tandem videmus quorſum ſilentium, quorſum ſeſſio, quorſum cetera omnia ſigna ſpectent; ad hoc nempe, vt interna mentis aure primam omnium rerũ cauſſam auſcultemus, & eam quidem, vt Dauid cecinit, in nobis loquentem. Quid verò loquitur? *Pacem,* inquit idem, *& veram tranquillitatem.* O ſtupendam rerum & vocum ſymphoniam! O diuinum auris nomen! Quàm omnia ad vnum ſcopum collimant! Sciebat Ariſtoteles auditum ad ſcientiarum perceptionem eſſe quàm viſum præſtantiorem, ſed neſciebat vtrumque ſenſum à Cimbricæ linguæ architecto tam artificioſum accepiſſe nomen, vt in altero prima omnium cauſſa, in altero ipſum altum intelligeretur. Hæc enim eſt ipſius Ωογ & Ωογ conuenientia, vt oculus ad altum tendere debere dicatur, auris verò ad primam nos vocet cauſſam: ceu nec ille ad aliud datus ſit, quàm vt excelſa contempletur; nec hæc ad alium vſum comparata, quàm vt primum omnium principium & originem audiamus. Horus ergo Harpocrates iuſtiſſima de cauſſa dicitur, eo quòd totum ipſius ſilentium, tota ſeſſio, tota tranquillitas, totum otium ad hoc vnum ſpectet, vt primam cauſſam in omnibus rebus audiamus, & ei auſcultemus. Erigamus ergo hanc longam aurem in capite noſtro, quò

Auris aſinina in Harpocrate & eius noctua quam notationẽ habeat.

Ωογ.

Auris etymõ.

Ηους.

Horus ſiue Orus.

Harpocratis ſignificatio.

cum

cum Horo ad originem & primam cauſſam adſpiremus, & eius attenti ſimus vbique & ſemper auſcultatores: quod vbi conſecuti fuerimus, exiſtimemus nos ad ſummum huius ſymboli Harpocratici pertigiſſe culmen. Porrò cùm noctuæ Palladis ſymbolo eandem aurem impoſitam videmus, duo ſimul docemur; alterum Harpocratis & Mineruæ eundem eſſe ſcopum: alterum totam Palladis ſapientiam ad hoc nos inuitare, vt ſuperna & cæleſtia, non terrena audiamus. Quæ verò ſunt pura cæleſtia? Quæ alia quàm quæ ſolo humano ingenio cognoſci non poſſunt, ſed Spiritus ſancti gratia reuelantur. Sic Chriſtus dixit; *Caro & ſanguis non reuelauit tibi.* Ad hæc igitur præcipuè nos Horus inuitat, & cetera omnia ſic audienda putat, vt ad hæc referantur: quibus niſi conſentiant, nihili ſint æſtimanda. Nec aliud Cimbrica vox Oor indicat, qua hæc mentis auris ſurſum ad primam cauſſam rectà tendens propriè denotatur; adeò vt cùm de aliis antea expoſitis, tum de hoc dubitari non poſſit, quin hoc ſymbolum à Ianigenis ſit principiò fictum & ſermoni ſuo accommodatum. Vt autem copioſiſſimum hoc ſymbolum videmus, & magna ſignificationum diuerſarum varietate plenum; ita non ſatis fuit artifici, auris longæ ſimulacrum dediſſe, niſi & aliud præterea addidiſſet arcanum. Vide, quæſo, vnde auris ſimilitudinem petiuit. Prima fronte aſini aurem diceres; at ſi diligenter inſpicias, fructum neſcio quem ex aure erumpere videbis: è quo mox ſentias aliud quippiam quàm aſini aurem hic deſignari. Quid igitur eſt? Qui dracunculum norunt & primum ſeminum rudimentum è theca auriformi prodire viderunt, næ illis mox clarum erit, vnde hoc auris ſimulacrum ſit acceptum. Habemus itaque non auris modò aſininæ formam, ſed in ipſa etiam aure primum exordium rerum omnium luculento exemplo deſignatum. Qua enim meliùs ratione primam omnium rerum cauſſam, vnde omnia fluunt, ſignifices, quàm ſi ſeminalem vim iam primùm extuberantem oſtendas; & id quidem ea figura, vt membrum generationi aptum quodam modo agnoſcatur; & ad id eam deligas herbam, cuius hoc primum ſeminis rudimentum inſigni calore & humore præditum ſit. Certè ſiue dracunculum ſiue arum accipias, vtrouis modo hanc inuenias naturam. Et in aro quidem mox audias papen ruſ/id eſt, membrum ſacerdotale: quo nomine apud nos vulgo vocatur. Habemus itaque non auris modò effigiem in acumen ſurſum pendentis, ſed in ipſa etiam aure pulcrum & luculentum originis exemplum atque ſimulacrum. Quid? quòd herba tota ad venerem excitandam idonea eſt, atque idcirco ſemen eius maiorem habet originis ſignificationem: cui cùm figura accedat, non video quid deſideretur, aut quid melius inueniri queat & congruentius ad aurem denotandam in ea conſideratione, vt cum origine prima ſit coniuncta, quàm ſi huius herbæ autem cum primo fructus rudimento pingas, in quo non ſeminalis tantùm vis eſt, ſed forma etiam membri quo animalia creantur. Verè enim de flore hoc ſiue rudimento fructus in aro & dracunculo dicas aurem eſſe, quæ in ſe ſuiipſius contineat principium, eo quòd ſeminum vim contineat, è qua tota herba procreatur. Cùm igitur Oor auris ſit, & prima omnium rerum cauſſa, non poterit figura huic nomini aptior reperiri, quàm ſi hæc vel ari vel dracunculi auris depingatur. Porrò vt maiorem cernas ſignotum & rerum conuenientiam & cognationem, ſcito nihil eſſe ad aures depurgandas efficacius, quàm ſuccum harum vtriuſlibet herbarum: quo fit, vt non auris tantùm cauſſæ ptimæ auſcultatrix, ſed depurgata etiam auris deſignetur. Quis crederet tantum ſollertiæ, tantum arcanorum in vnico auris aſininæ figmento contineri? quis hanc vel ari vel dracunculi florentis effigiem tam inſigniter quadrare in Cimbricum auris nomen exiſtimaſſet? Et licet hæc omnia ſimul accepta talia queant videri, vt nulla acceſſione videantur fieri poſſe elegantiora, ſi tamen naturam vlteriùs examines, aliud adhuc myſterium minimè contemnendum in ſymbolica ratione deprehendes. Neque enim hac aure tantùm monemur, vt originem noſtram ſupremam ſemper in auribus habeamus; ſed illud etiam, nullo modo quæ in auribus habemus ad linguam transferri oportere: & ſi quis temerè quod in aure eſt ad linguam transferat, graues pœnas eueſtigiò daturum. Nam ſi fructus aut dracunculi aut ari rudimentum quod in aure cernis ad linguam transferas, ingentes & intolerabiles ſenties dolores, à quibus non facilè te liberaris. Sciunt id qui experimento ſuo harum herbarum norunt facultatem. Quamobrem huius herbæ auris inſigniter Harpocratem decet, vtpote quæ non ſolùm quæ audienda ſint monſtret, ſed pœnam etiam

Auris Harpocratis dracunculi ſiue ari herba figuram præ ſe fert.

Dracunculi & ari forma atque natura.

Papen ruſ

contineat

contineat eorum qui linguam ab iis quæ in auribus sunt,non possunt continere. Haud sanè scio an quicquam in omni rerum natura queat reperiri,quod maiore vehementia, maiore efficacitate, præsentiore pœna demonstrare possit, patulas nobis & erectas aures esse debere; & ea quæ in auribus sunt non esse vllo modo ad linguam transferenda. Mordax,me Hercule,admonitio, ei præsertim qui vel semel tantummodò ari semen degustauerit. Placet verò mihi ari magis auricula, quàm dracunculi, eo quòd thyrsus eius Papentul vocetur: qua in voce generationis pater indicatur; eodem modo primam rerum omnium causſam significans,quo vel ipsius Thot, vel Osiridis Ithyphallus.

LIBER VII.

Aleph.

A litteræ pronunciatio & significatio.

HÆC LITTERA duabus partibus absoluitur; quarum prior prioris, posterior posterioris syllabæ exprimit notationem. A rectam linguam patulo ore suspendens, idoneum sonum habet ad incitandam motionem omnem & omnem actionem: quam vim qui figura imitari studebit, ei non video quid offerri queat quod recta linea in longum extensa sit aptius similiusque. Cui enim motus quispiam proponitur absoluendus, ei recta planaque via nihil potest expeditius cogitari, cùm nihil sit per quod maiore compendio ad finem queat perueniri, si recta quidem linea inter duo quælibet puncta nihil breuius reperiatur. Hinc fit,vt recto brachio rectaque manu iter demonstretur: quem positum nisi manus Mercuriales obseruarent, non rectæ viæ, sed errorum indices dici mererentur. Quia verò omnis motus naturæ ductu à dextra parte exordium sumit; & à termino in quo est, ad alium exteriùs tendit, in quo non est; meritò hoc imitationi dandum, vt à manu dextra exteriùs lineam rectam porrigamus, non contrà ad pectus reducamus. Vt igitur motionis initium à dextra incipit; ita si motio vlla suscipienda in rectum contendens, ea à dextra exteriùs peragetur. Sed hac de re anteà satis copiosè egimus; hîc sufficiet indicasse, ipsius A soni nullum congruentius simulacrum inueniri, quàm si recta linea dextrorsum ducatur, quo rectus à nobis ad alium motus denotetur. Hæc est itaque prior primæ litteræ pars, recto suo ductu à dextro extrorsum tendente, perinde atque Græcorum & Latinorum scriptura porrigitur, demonstrans progressum qui per A signatur. Verùm quòd hæc incerta sit & minimè definita exhortatio, non declarans ad quid agendum velit incitare, additur altera figura alterius syllabæ depingens significationem. Cùm enim qui A-lef dicit cuipiam, eum hortetur vt viuere aggrediatur; necessarium fuit pictori,vt viuendi actum exprimeret quàm maximè posset accommodata & conuenienti figura. Dispexit itaque quid inter omnia ea quæ oculis corporis offeruntur efficacissimum videretur ad vitæ actum perfectionemque delineandam: qua in re vocis indicium secutus, quæsiuit quid ex omnibus rebus visui patentibus altissimè subleuaret. Lef enim geminam habet rationem; alteram ex litteræ Lambda potestate, quæ ad cæli polum sonum leuat, ita vt Lef idem sit quod in altum sustollo, ceu Hel siue El-hef diceretur: alteram ex Le, quo membra denotantur, ita vt Lef sit idem ac si dicas, membra leuo. Quando itaque vtrobique vita per eleuationem designatur, congruum signum erit, quo maxima sursum ferendi potestas denotabitur: & quia nihil maiore vi sursum rapitur quàm flama, visa est flamæ figura maximè conuenire ad eleuationem sub oculos subiiciendam. Quæ porrò ignis, cuius motus in flama potissimùm cernitur, alia figura pingetur, quàm ea quæ sibi nomen ab igne sumsit? Qua de re Pyramis eleuationis optimum erit simulacrum de tot hominum suffragiis, quot nomen pyramidis rectè ab igne deduci iudicabunt. Fuit sanè hæc omnium priscorum sapientum sententia, vt igni pyramidis figuram tribuerent: qua in re nisi consensissent, nomen

Aleph littera figura partes, & rationes partium.

Lef.

Le.

Ignis figura. pyramis.

ipsius

ipsius figuræ minimè sic nuncupassent. Solus Aristoteles, Pythagoræ & Platonis desertor, argumenta congerere maluit, quibus receptam ab antiquis opinionem oppugnaret, quàm inuestigare quid sibi prisci illi maiores voluerint, dum tanta concordia non igni modò hanc darent figuram, sed eam etiam ab eodem elemento nominarent, quasi eius præcipua, propria & peculiaris esset. Longè profectò aliter primi illi sapientes in rerum principiis inquirendis versati sunt, quàm eos Aristoteles vel intelligere vel reprehendere videtur. Vsi sunt vocibus è medio petitis, non ad ea quæ obuia sunt explicanda, sed vt earum prætextu & velamine Theologiàm occultarent, quam nolebant à vulgo & profanis hominibus magis attingi, quàm amaracum & rosas à suibus conculcari. Quòd si verum fateri volumus, illic tandem Ogygia vetustissimorum patrum philosophia incipit, vbi Peripatetica metas suas fixit. Quicquid enim agunt id eo capiendum modo, vt ad diuina referatur, nec vsquam in eorum dictis examinandis mens in corporibus acquiescat. Quocirca cum vmbris & laruis pugnat Aristoteles, dum priscorum hominum sententias de Theologiæ arcanis intelligendas, ad crassam corporum applicat caliginem: in qua non mirum est, eum immanibus interuallis à veritatis linea deuium ferri. Nihil recta idearum contemplatione diuinius, nihil vno Parmenidis verius: nihil plus mentis habet, quàm Anaxagoræ mens: sed hæc ceteraque id genus permulta ad Aristotelicam trutinam examinata, quauis palea videntur leuiora. Eodem modo de pyramide igneæ naturæ ab antiquis maximo consensu tributa iudicabitis qui Theologiæ non erit ignarus: in qua qui ignem audit, mox mentem ad apicem omnis creationis dirigit, minimè consistens in elemẽto calore & siccitate naturam suam terminante. Quis in religione nostra Seraphici ordinis flamas nõ audiuit? Quis primum illum ignem in quo Deus dicitur habitare & sedere in arcanioribus mentis adytis non persentiscit, si modò vel vnam minimam ei diuini amoris scintillam Spiritus sanctus fuerit elargitus? Hic est ignis ille qui pyramidis sortitus est figuram, cuius cuspis infinitum diuinitatis orbem attingit: illum, inquam, orbem, cuius centrum vbique est, circumferentia nusquam. Nam dum per vestigia in magnitudinum consideratione sequimur veritatis vmbram, cuius lumen mens nostra non capit, Deum centro comparamus, circa quod omnia sunt, & à quo omnia ordine certo in orbem procedunt, donec integra rerum vniuersitas absoluatur. Vt enim centrum nec magnitudo est, nec circulus, nec orbis; sed omnium & circulorum & orbium principium; ita & Deus nihil est eorum quę sunt in mundo, nec mundus totus, sed totius tamen mundi principium. Ad hoc ergo centrum omnis creaturarum summitas terminatur, perinde atque in circulo omnes portiones per formam pyramidis à circumferentia in centrum finiuntur. Quî verò per circuli figuram diuinitas inuestigetur, cùm apud alios, tum apud Nicolaum Cusanum de docta ignorantia doctissimè speculantem licet videre. Cui placebit, idem in numeris cernet, & paullo etiam clariùs: quod in causa fuit, vt Pythagoricis numerorũ symbola ad diuinorum contemplationem magis placerent. Vnum ergo, quod Parmenides omnia fecit, Deo respondeat, & eius gerat imaginem: quo posito, si per planos numeros descendas, ad multa venies; quorum primum locum binarius possidet, cum vnitate triangulum constituens: à quo deinde per triangulos æquilateros ad infinitum fit processus, lateribus sibi per continuam numerorum seriem succedentibus; qui rectus ordo est ab vno ad omnia creata viam dirigens, vt latiùs in littera Daleth ostendetur. Porrò in solidis numeris, qui corpora ipsa dimetiuntur, non modò eorum plana, si ab vnitate ad multa pergas, confestim ex ea in quaternarium incides, primam omnium corporum pyramidem, quatuor angulis solidis & quatuor triangulis planis constantem. Quamobrem si integrũ orbem rerũm creatarũ imagineris, per pyramides omnia ad ipsum vnum contingent, quorũ quæ Deo proxima sunt, supremos pyramidum numeros occupabũt: quo fit, vt primus ordo quaternario solido mensuretur, sub quo deinde ordo est secundorum & tertiorũ, quæ per curtas pyramides ad primam pyramidem ordinato quodam successu adscendunt, & eius medio Deum contingunt. Pyramis itaque prima omnibus rebus diuinam vnionem, essentiam & vitam communicat, solido processu per curtas pyramides vim suam deriuans, quam ex fonte vnitatis haurit. Hæc est Tetractys illa Pythagorica, quam æternæ vitæ fontem nominarunt aurea carmina:

Aristoteles malè in veterum de theologia arcanis sententiis versatus.

Philosophia Ogygia vetustissimorũ ibi incipit vbi Peripateticorum desinit.

Pyramidis et ignis mysticæ significationes.

Deus centro comparatus.

Pyramis è numeris constructa.

Tetractys Pythagorica.

Ναὶ τὸν ἡμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν

παγὰν ἀενναόυ φύσεως. Quòd si hunc præceptorem Aristoteles sequi maluisset, quàm diuinas sententias sophisticis argutiis oppugnare; non tam temere de ignis figura disputasset. Quicquid de diuinis intelligimus, id per imagines dumtaxat & symbola apprehendimus; quorum mathematica aptissima illa quidem sunt ad contemplationem demonstratione absoluendam, sed à sensibus tamen physicis corporibus remotiora, & minùs etiam apta ad agendi vim exprimendam. Quocirca, vt symbolicæ rationi efficientia accederet, ad naturam ipsam numeros & magnitudines applicarunt, & in ea quæsiuerunt, quid primæ huic solidæ figuræ in elementis maximè responderet; in qua inuestigatione igni multis rationibus primas tribuerunt, tum quòd maxima vi in agendo ceteris omnibus præstet, tum quòd ad summum apicem perpetuò contendere videatur, haud secus ac primum solidum corpus sese ad vnitatem supremam effert. Ignis itaque symbolum est tetractyos, tetractys primi ordinis creaturarum, quem ab ardore & flamis Seraphicum dixi vocari; in quo Deum habitare ipse etiam cacodæmon diuino coactu confessus dicitur. Quid? quòd ignis quoque noster corporeus figuram pyramidis exprimit, inferiore parte, qua materiam depascitur, basim constituens; & superiùs vndique ad conum se cogens. cuius caussam Aristoteles potiùs explicare debuisset, quàm id quod oculis omnium cerneretur oppugnare. Quæ tam exigua flamula cernitur, quæ se in acumen non tollat? & quod minimæ cuique parti à natura est tributum in corpore partium similitudinem conseruante, quid ni toti dicamus id conuenire? Hîc si sese exercuisset omnium veterum Momus, clariora vtilioraque ea quæ de ignis figura disseruit, reddidisset. Miror quid respondurus fuisset, si quis eum interrogasset, vnde Pyramis nomen accepisset: quòd si ab igne vocabulum deriuasset, vel se, vel primum nomenclatorem, & omnes eum secutos erroris condemnasset; sed hoc quàm illud facere maluisset. Lubet hîc ridere Stephanum, qui de vrbibus scripsit, aut eum qui libros ipsius defloravit potius quàm in compendium redegit; apud quem legimus Pyramidem inde dici, quòd Ægypti Rex omne frumentum in pyramides congerens, effecerit frumenti inopiam per reliquam regionem, ita vt Pyramis πυρεῦ ἄμη diceretur, quasi falx messoria omne tollens frumentum: quam nisi vocis det interpretationem, non video quid frumenti inopia cum pyramidibus habeat commune, nisi has voluerit crudelium Regum & luporum potiùs, quàm populi custodum & pastorum granaria fuisse, in quæ non alia ratione frumenta fuerint deuecta, quàm vt eo monopolio Rex totius Ægypti pro eo ac auaritia iussisset premeret annonam. Sed id genus interpretationes non tam antiquitatum mysteria enucleant, quàm animum eorum ostendunt qui talia de Regibus imaginantur, qualia ipsis, si in eo fastigio sederent, in mentem venirent. Liberalior honestiorq. illorum opinio, qui ad Iosepum omnem Pyramidum fabricam retulerunt, dicentes horrea hæc fuisse, in quibus futuræ inediæ reposuisset alimenta: in quorum numero Nazianzenus videtur voluisse recenseri: sed pius hic vir parum animaduertit quanti sumptus monstrosæ illæ fuerint moles, & quanto minoris horrea exstrui potuissent, immenso discrimine ad frumenta conseruanda commodiora, cùm in pyramidibus nihil prorsus loci reperiatur, quod magnæ tritici copiæ asseruandæ satis esse queat. Adde quod in plurimis ne aditus quidem vllus ad meditullium detur, & pleræque etiam solido corpore visantur; nisi fortè quantum occulta & magnis molibus munita sepultura spatij dispescit, ad quod nullus patet accessus. Vnica dumtaxat Pyramis est è regione Memphis trans Nilum, quæ angusto tramite ad cauum quoddam antrum in medio sui constructum homines admittit: quod latum ad quatuor passus, longum ad sex Belonius esse narrat; in eoque grandem arcam è Basalte excisam cerni, longam ad pedes duodecim, latam ad sex cum altitudine vlnæ vnius: qua de re quis non colligat in ea Regis cuiuspiam corpus conditum fuisse? Quæ hîc oriri potest suspicio, quæ omnino cogitatio, hanc tam ingentem molem granarium fuisse, cùm nullus idoneus locus exstet, in quo vel mediocris frumenti copia posset asseruari? In hac sola gradus sunt alti ad pedes quatuor cum dimidio, vt Belonius refert: quamuis alius quidam dicat, tres dodrantes cum dimidio dũtaxat singulos gradus altos esse; quorum hóc quàm illud faciliùs credo, cùm idem Belonius totam altitudinem ad mille ferè pedes credat patêre: quæ mensura quatuor pedes singulis gradibus adscriberet. Totam itaque altitudinem sic Aquileiensis quidam Patriarcha computauit, vt gradus numeret

Pyramides Ægypti quales fuerint.

Pyramis è regione Memphis trans Nilum.

meret decem supra ducentos: quorum singulis spithamas tribuit tres cum dimidio vnius; latitudini verò octingentos & decem dodrantes; tametsi dodrantes suos paullo quàm vetustos faciat maiores. Habet hæc pyramis supernè planitiem, ita vt curta sit: quæ si complementum acciperet, septuaginta quinque dodrantum infima cuiusque lateris mensura altitudinem adamussim æquaret. Strabo altitudinem paullò maiorem facit latere, eamque stadio metitur. Sed vt ad id vnde digressi sumus redeamus, quid est, rogo, vt altissimas potiùs pyramides ad horreorum vsum inuitis veterum scriptorum testimoniis transferamus, quàm minores solida fabrica constitutas, citra omnem quæ adiri possit cauitatem? Insanire sanè is meritò dicetur qui Romæ Cestij pyramidem tritico aut alij grano reponendo seruiisse contendet. Quid de aliis minoribus etiam; an de his quisquam affirmare audebit eas fuisse loco granariorum? Velim præterea ab his hominibus tam absurda vel referentibus vel scribentibus audire, quod huius figuræ nomen fuerit ante illud tempus quo Regum insania his structuris frumenta condere cœpisset. Non poterant scilicet Græcorum pueri in arena pyramides pingere; aut si pingerent, non erat vox qua id quod pinxissent nuncuparent. Absit vt tale quippiam de pyramidum vel origine vel nomenclatura cogitemus, cùm non has modò, sed obeliscos etiam ingentes erexerint, non ad alium vsum quàm illas relatos. Ammianus Marcellinus laudandus hoc nomine, quòd ab igne dicat eas nuncupari: at ego iampridem in Hermathena docui, à Ur/quo ignis nobis vocatur, πῦρ Græcum deriuari: ne Platone quidem repugnante. Nec dissimili via à Ur-ram fit Puramis, adiecta peculiari Græcorum terminatione: qua compositione significatur regula ad quam se ignis natura extendit. Raam enim instrumentum vocatur, quo res pro suo quæque modo distenditur & explicatur. Vt ergo à Phrygibus Græcos πῦρ habuisse Academiæ magister confitetur; ita Pyramis ab eisdem tum ad Græcos, tum ad Ægyptios commigrauit: quod hi non poterunt negare, si volent verum id esse quod priscis ipsorum monumentis proditum Herodotus cetericque retulerunt, sermonem Phrygium Ægyptio esse vetustiorem: atque inde recta collectione efficiatur, voces ad religionem spectantes maximè ad Phryges referri debere, quando religionis nomina atque signa inter antiquissima primum locum sortiuntur. Quid enim religione antiquius? Nihil esse si non cuiuis per se notum est, pro eo ac esse deberet, mox post hanc litteram ostendam, dum Alaudæ symbolum explicabo. Vetustissimis autem rebus vetustissima nomina contigisse, quis non lubenter confitebitur, qui intelliget omnem sermonis & finem & vsum consistere in iis quæ cogitantur, alteri cuipiam interpretandis. At quid primis priùs in mentem venit? Nihil. Quod igitur homini antiquissimum, de eo primùm sermo institutus: quo fit, vt vocabula in antiquissima religione vsurpata primas sibi sumant antiquitatis. Quid porrò in iis quæ ad sacra pertinent, notis, pyramidum figura vetustius reperietur; si non per historiam tantùm compertum habemus, antiquissimas figuras hieroglyphicas in pyramidibus & pyramidalibus obeliscis scalpi solere; sed cernamus præterea ipsas quoque Pyramidum in sacris scalpturis notas frequentes fuisse? quod qui nondum animaduertit, eam seriem notarum inspiciat, quæ in Ægyptiaca Bembi tabula supremo Deorum ordini, vt sic pro tempore cum vulgo loquar, est subiecta; in qua mox pyramidales figuræ occurrent. Si quis tam stupidus sit, vt ex iis non intelligat id genus figuras loco nominum sacrorum fuisse, cum eo mihi non magis quàm cum pecude disputandum existimo; tantum abest vt illos etiamnum ferendos ducam, qui sibi de granariis somnia finxerunt. Fuerit verò hæc apud Ægyptios scalptura qua quis velit voce nuncupata, id saltem de sermone nostro tenere nobis permittat, Pyramidis nomine significari eam figuram ad quam videmus se igneum corpus extendere atque conformare: quam conformationis vim nemo mortalium Cimmeriorum lingua exprimet luculentiùs & significantiùs, quàm si Ur-raam dicat. Nec porrò vna est huius vocabuli notatio, sicut nec ipsius nominis Ur. Hoc enim dum vt nomen vsurpatur, ignis est; dum vt verbum, idem est quod ignem facio vel fero: propterea quòd ignis hoc sibi habeat præcipuum & singulare, quòd omnis vitalis motio calori debeatur. Ur ergo inter alia idem est quod fero, ago & porto: quod in homine nihil aliud est, quàm ipsum viuere. Quamobrem si viuere viuentibus est ipsum esse vt talia sunt, quod Aristoteles in iis quæ de anima scribit confitetur; quid aliud erit ipsa vita, quàm caloris, quo omnia

Pyramis Cestij Romæ.

Pyramidis etymon. Ur.

Raam.

Voces sacrâ & ad religionẽ pertinentes ad Phrygas referri debere.

Ur.

viuunt, siue opus siue actio? quæ continua quædam motio est eius ignis quem intus habemus. Aristoteles animam nouo nomine entelechiam dixit, quo veluti sepia quædam ignotæ vocis atramento naturæ cognitionem offuscaret. Satius ergo, ex iis de anima iudicium ferre quæ omnium consensu stabiliuntur, quàm in huius solius tenebris versari. At, ipsomet confitente, omnes animam definiunt motu, sensu & incorporeo: quo fit, vt cùm anima corpori suo vt forma insit, rectè describi queat, incorporea essentia siue forma corpori motum & sensum præbens. Huius autem motio vita erit: at mouere non potest corpus, nisi per calorem; quem viuentis corporis ignem si voces, non peccaris, eo quòd calor subtilissimo spiritui inditus, igneæ sit naturæ. Videmus itaque ignem motionis instrumentum esse: quo exstincto, anima corpus deserat, nec amplius mouere possit. Huius ergo instrumenti, quo tamquam vehiculo anima vtitur, siue latio siue motio ipsissima est vita: quo fit, vt Vur & Lef eiusdem sint notionis, cùm Lef quod est viuo, per Vur quod est moueo, definiatur. Quamuis quoduis ferendi genus per Vur intelligamus, ratio tamen vocis postulat, vt primùm ignis motioni conueniat, qui omnia tamquam vehiculo corpus mouet. Hinc modò liquet Vur & Lef prorsus idem esse, eo quòd Lef significet vel in altum leuo, quod est ignis proprium; vel membra leuo, quod quid aliud est, quàm corpus moueo? Quemadmodum ergo in Lef/quo viuo significatur, statim admonemur, vitam eleuationem esse; ita in Vur/quod est fero, intelligimus ignis lationem maximè lationem dicendam esse, eo quòd à Vur/quod ignem notat, verbi significatio deriuetur. Vita igitur cùm brutorum, tum hominum terrena sola spectantium vita dicenda non erit de prima vocis nostratis ratione, cùm is solus viuat qui sursum sese leuat & ad ignem motione sua se conformat. Non malè ergo illi qui animam ignem esse dixerunt, eo quòd humana anima officio suo non fungatur, nisi ritu ignis hominem ferat sursum ad ipsum vnum, ad quod omnium rerum creatarum pyramides finiuntur. Quocirca cùm pyramis ipsa illa sit figura ad quam se ignis in motione sua conformat; age, dic mihi quisquis es, an aliquid perspicaci ingenij tui acumine inuenire queas, quod vt vitæ symbolum sit potius quàm pyramis mereatur? Nec tamen cuiusuis vitæ tesseram geret, sed eius dumtaxat quæ propriè vita Cimmerio sermone dicetur; quæ à multis huius mundi negotiis se paulatim ad vnum colligit, & in Deum, vt apicem summum, omnes suas dirigit actiones: haud aliter atque in pyramidali numero à multis ad vnitatem peruenitur, & in ipsa pyramidis figura latitudo in vnũ apicem tendit. Hanc pyramidem expressit Deus dum dixit: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris circa plurima: porrò vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Qua de re intelligas, vt ab vno omnia profluunt & multa fiunt; ita à multis totius vitæ summam in vnum esse colligendam, si optimam partem cum Maria consequi velimus. Quanto ad plura distrahimur, quanto latiùs in multis occupamur, tanto ab vno, quod necessarium Christus esse dixit, sumus remotiores. I nunc, & diuitiis ad immensum accumulandis insta, porrige quàm potes latissimè possessiones, nullus te satiet decempedarum numerus, metire arua per schœnos & parasangas, ambitione nocte dieque per totam ætatem distrahere, nullus honor tam amplus sit vt non desideres ampliores: At dum nullo fine negotiorum latitudinem coërces, vide quando tandem sit pyramis tua absoluenda; ad quam adeò nulla iacis fundamenta, vt viam teneas prorsus contrariam à paucis ad multa, à multis ad plura, ab his item ad plura & ampliora perpetuò contendens. Intellige igitur nec te viuere, nec sursum adscendere, nec pyramidis notam mereri; sed præcipitem vt ab vno ad multa ferri, ita te multis turbis quibus distraheris non attolli, sed immori & morte perire sempiterna. Sit nunc itaque satis declaratum, pyramidem beatæ felicisque vitæ præ se ferre mensuram: quo cognito, non erit arduum caussam coniectare, ob quam pyramides Regum fuerint aliorumque sepulcris consecratæ. Numquam draco humani generis hostis cessauit venenum suum hominum animis inspirare, nec aliud inuenit vmquam præsentius, quàm si persuaderet, post hanc vitam nihil nostri reliquum esse; verùm cum corpore animam interire. Quàm verò latè per omnem orbem hæc pestis sit grassata, non est nobis de vetustæ historiæ monumentis docendum, cùm, pro dolor, hodie etiamnum satis magnam eorum multitudinem credam inueniri, qui sic opinantur.

Anima definitio.

Ignis motionis instrumẽtum

Vita quid.

Viuere quis verè dicatur.

Pyramis felicis vitæ symbolum.

Pyramides Regũ sepulchris consecratæ.

Animam cũ corpore interire, persuasio diabolica.

Qui

Qui in Italia ſapientiæ ſtudiis incubuerunt, qui medicorũ ſcholas frequentarunt, qui liberis diſputationum diſcurſibus crebriùs interfuerunt, qui deniq. omnino cum vulgo hominum in illa regione ſunt verſati, iis obſcurum eſſe nõ poteſt, quàm non ſine cauſſa in hanc ducar ſuſpicionem. Græcorum tam communem opinionem fuiſſe, nihil homini poſt hanc vitam ſupereſſe, vt Getas vicinos ſuos Athanatizontas per ludibrium vocarent, quaſi ei nationi id peculiare eſſe dicerent, vt animorum crederent immortalitatem, alibi demonſtraui: nec eſt rebus per ſe ſatis notis & alioqui abominandis diu inhærendum. Ægyptij ergo ſacerdotes de vetuſta religione diligentiſſimè cùm apud omnes, tum apud Reges eam ſententiam muniebant, qua peſtiferum hoc animorum mortalitatis venenum tolleretur, quibus aſſenſi Reges, & ſatis inſtructi quàm exitiale malum non ſolùm ſingulis, ſed toti etiam reip. daret, ſi futuræ vitæ ſpes fracta eſſet, ſummis viribus contendendum ſibi putarunt, vt illa inter homines opinio retineretur, qua labefactata & Dei cultus & hominum ſocietas collaberetur. Quamobrem cùm magnificentiſſimis templis homines ad religionem prouocarent, tum ſibi ſepulcra conſtituerunt; quibus oſtenderent ſe firma fide tenere, ſe poſt corpus depoſitum non viuere tantùm, ſed vitam etiam viuere quàm priùs vixiſſent beatiorem. Pyramides itaque nihil aliud erant, quàm perennia & ſemper duratura fidei ipſorum argumenta, incomparabili illa quidem ſumptu concluſa; ſed tanto validiora, quanto maiore labore, maiore impenſa, maiore ſubditorum moleſtia conſtitiſſent; cùm quæ talia ſunt & præſentes maximè moueant, & apud poſteros ſui admirationem excitantia eò cogant, vt qua de cauſſa erecta fuerint interrogetur. Viuunt ergo hactenus, & non viuunt modò, ſed ſe viuere etiamnum teſtantur qui has moles in cælum ſuſtulerunt; quas nec Perſæ, nec Romani, vt omnia quæ poſſent & agerent & raperent, vel diruere vel labefactare potuerunt. Durant adhuc ſtupenda Regum opera, ſtultis quidẽ & rationis veræ, ob quam poſita ſunt, ignaris potentiæ & diuitiarum miracula: at iis qui cauſſam examinant; firmiſſima non priſcæ modò fidei monumenta, ſed efficacia etiam ad vitam rectè formãdam præcepta: quæ qui ſequetur, ignis ritu ad ætherem & ad ipſum vnum recta linea feretur. Quamuis ergo impenſam perditam plerique omnes has moles & nunc iudicent & olim iudicarint; nobis tamen minimè eorum calculus approbandus, ſi clarè cernimus veneno perpetuo perpetuum amuletum adhibitum fuiſſe: quo beneficio quia Reges illi maius nihil mortalium generi præſtare potuiſſent, non miremur eos tanto ſtudio tantiſq. ſumptibus curaſſe, vt ad omnem poſteritatẽ vtilitas pertineret, & omnes ij qui operum magnitudinem ſtuperent, occaſionem haberent tum de cauſſa ſtructuræ perquirendi, tum vitæ ad pyramidis teſſeram accommodandæ. Verùm neminem hactenus legere memini veteris vel ſapientiæ vel hiſtoriæ ſcriptorũ, qui ad veram ſymboli tam toto orbe terrarum celebrati intelligentiam adſpirarit: nec equidem adſpiraturus eram, niſi Cimmerius Mercurius interpretatione ipſius Alef viam aperuiſſet. Vt verò pyramides ex innumeris & ingentibus lapidibus ſunt conſtructæ ad hanc quam dico notationem; ita ad eandem aliud quoddam eiuſdem ferè figuræ genus inuentum, quod vnico lapide viuo cõſtans, obeliſci accipit appellationem; quaſi paruum veru eſſet, cùm nullum magnitudine conferendum reperiatur. Facile mihi Ammianũs conceſſerit, eiuſdem obeliſcum & pyramidem ſignificationis eſſe; cùm hanc ab ignis figura dictam fateatur, illum ad hunc deſcribat modum, vt aſperrimum lapidem eſſe dicat in figuram metæ cuiuſdam excelſam, ſenſim ad proceritatem conſurgentem, & paullatim graciliorem, vt radium imitetur. Cùm enim metam factam dicat, vt radium imitetur; quod diſcrimen eſt huius & igneæ figuræ, niſi quòd obeliſcus acutiùs adſcendat, & vno dumtaxat lapide conſtet? qua re ſymboli ratio nihil immutatur. Fuere qui hoc argumento radiorum freti, omnes obeliſcos Soli conſecratos fuiſſe indicarent; quibus non aſſentietur Marcellinus, qui obeliſcum illũ quem Conſtantius Romam tranſtulit & in circo erexit, ea de cauſſa ab Octauiano relictũ dicit, quòd Soli præcipuo quodam honore nuncupatus fuiſſet. Nos lubenter faciemus vt hoc Soli tribuamus, obeliſcos ei hactenus ſacros eſſe, qua vitam tenus hac figura denotatam omnibus largitur. Vita enim à calore, calor à Sole, Solis lux à Sole ſupermundano, & hic à Deo ipſo trino & vno dependet. Quòd autem rotundam pilam obeliſcis impoſuerint antiqui aureo fulgore radiantem, atque inde pyrõpum nominatum; id hac ratione capiendum, vt

Athanatizontes dicti Getæ.

Pyramides Ægypti quid ſignificent, & cur exſtructæ.

Obeliſcus.

Obeliſci quõ diſtent à pyramide; & quales fuerint.

Pyrõpus.

intelligamus vitam nostram radio denotatam in æternam lucem terminandam, quam rotundus pyrôpus pollicetur. Quem itaque ex hac vita bene pieque acta ad æternam vitam significabimus transiisse, ei si obeliscum cum pyropo metæ apicem claudente ponemus, ab hieroglyphica disciplina videbimur instructi. Pierius in obelisco & pyramide igneis figuris explicadis tam frigidus fuit, vt si quis eum pingere volens, Salamandram igni imponat, nihil ab ingenio eius aberret. Sed de obelisco rursus. Quando modò quid pyramis sit, quid obeliscus, & quid apud sacrorũ antistites denotarint, satis mihi videor declarasse; poteram finem huic considerationi imponere, nisi Meta (cuius voce in obelisci descriptione Ammianus vius est) postulare videretur, vt & nominis sui, non minus quàm pyramis, acciperet rationem; cui reddendæ tantus modò sub oculis iacet apparatus, nihil vt præterea sit quærendum. Cùm enim is totius nostræ vitæ scopus esse debeat, vt iuxta ignis & radiorum lationem sursum ad vnum apicem, qui Deus est, omnem actionem & maximam & minimam referamus, stupidus sit necesse est, qui non animaduertet pyramidem signum esse vitæ præstantissimæ, ad quod omnibus sit tota mentis acie collimandum; quoq. contracto, felicis vitæ cursum dicamur emensi. Metiri idem est quod mensurare: vnde Latinis Metior. Hinc Mæt, quod alij Mæt vocali longa pronunciant, pro mensura, vnde Meta Latinorum nihil aliud sonat, quàm mensuram: quæ vox per excellentiam humanæ vitæ dimetiendæ examinandæq. primum videtur conuenire. At hanc pyramis metitur & norma sua coërcet; quo fit, vt ipsa meritò dicatur sine meta siue mensura actionum humanarũ. Hinc ad signum cuiuluis finis significandi meta transfertur. Nec alia causa vetustis fuit, vt pyramidibus fines notarent, quàm vt cuiuluis termini signo vilo hominibus succurreret, vitam totam ignis figuræ esse conformandam, nisi nonnunquã ad felicitatis finem pertingere velimus. Quamuis ergo meta de vocis origine cuiuis cuiuluis rei mensuræ conueniat, pyramidi tamẽ exoche quadam potissimùm accõmodatur, eo quòd hac rectus humanæ vitę cursus mensuretur. Quamuis igitur in circis antiquitùs ad cursus terminum denotandum columna rotũda æque commode collocari potuisset, maluerunt tamen prisci illi patres pyramidem sub metæ nomine collocare, vt in ludis etiam beatæ vitæ finis ob oculos versaretur. Hæc est itaq. ratio ob quam & fines pyramide olim signarunt, & metæ vocabulum pro pyramide sola posuerunt: quorum vtrumque omnibus hactenus æquè ignotum reor fuisse, tametsi metam à meticndo dici annotarint, contra quàm analogia postulare videretur. Sed in ea re nihil difficultatis, quando alibi clarissimum feci, vtrumq. vocabulum à nostra lingua ad Latinos venisse: quorum primus fons est Tam, vox conuersione Mat generans: vnde Mart & Tam vocabula ichnæa. Meta itaque pyramidis formam habebat, ea quam dico ratione, quòd nimirum vltimus felicitatis humanæ finis à priscis hominibus huius figuræ tessera acceperit. Hinc simpliciter pro fine ponitur, vt in illo Virgilij,

His ego nec metas rerum nec tempora pono.

Alibi ad figuram etiam & circensem titum vocabulum accommodauit,

Hic vel ad Elaï metas, & maxima campi
Sudabit spatia, & spumas aget ore cruentas.

Elegantissimè Cicero vmbram terræ vocat metam noctis, in quam Luna incurrens, luminis patitur deliquiũ. Nos Mjt dicimus pro strue in conum subducta: Latini metati castra & metari agros dixerunt, pro eo quod est, metis disponere atque distinguere. Vt in catena annulus annulum, ita in antiquaria contemplatione vera vnius symboli expositio aliam & aliam secum trahit. Dixi quid pyramis & obeliscus notarent, & inde mox verus exstitit metæ explicatus: ex hoc video aliud luculentum signum accipere interpretationem, quod à nemine hactenus intellectum fuisse cerno. Norunt omnes, cupressum apud poëtas feralem arborem haberi, sed qua de caussa in hanc venerit existimationem, non item omnibus puto liquere. Pierius more suo rem tractauit, id est, præclaris & sesquipedalibus verbis non pauca locutus nihil dixit. Cupressum non alibi quàm in Creta de radicibus vbi recisa fuerit nasci annotauit, atq. idcirco sepulcris conuenire, vt eius videlicet exemplo discceremus, eum qui sepultus esset, non resurrecturũ. Tolerabilis profectò interpretatio apud Epicureos porcos, qui post mortem nullam vitæ spem relinquunt; at nobis & natione Germanis, apud quos numquam animorum immortalitas in dubium vocata est, & fide Christianis, adeò hæc intelligentia reiicienda videtur,

Meta nominis ratio & mysteria.
Meten.
Mæt.
Meta.

Meta in circis cur pyramidali figura constructa.

Tam.
Mat.

Vmbra terræ, meta noctis.
Mjt.
Metor, aris.

Cupressus feralis arbor cur habeatur apud poëtas.

videtur, vt prorsus contrarium hoc symbolo denotatum fuisse contendamus; nec non eandem omnino significationis rationem in cupresso atque in pyramide veteres obseruasse. Sed condonemus Pierio, si Festo credere & communem plurimorum suæ regionis hominum opinionem sequi maluit, quàm nihil de cupresso in suis Hieroglyphicis commemorare. Plinius cupressum feminam metam vocari scribit, eo quòd in metam attollatur: qua de causa non immeritò natiua sua forma vitæ cælestis & ignei vigoris indicium præfert: quamquam non hac vna ratione, cùm & aliæ accedant quibus hæc prima adiuuatur & luculentior euadit. Quamuis enim Diti sacra hæc arbor esset, atq. ideirco inuisa & funesta, minimè tamen id notabat quod plerique omnes tum veterum tùm recentiorum existimarunt. Doctè Virgilius, vt omnia:

Cupressus dicta meta.

Cupressus Diti sacra.

Nec minùs interea Misenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.
Principiò pinguem tedis & robore secto
Ingentem struxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorantq; super fulgentibus armis.

Idem alibi:

Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus: stant manibus aræ
Cæruleis mæstæ vittis atráque cupresso.

Ad quem locum Seruius annotauit funestam cupressum esse, quòd cęsa non reuirescat: quod illi minimè assentior. Solet eadem ante fores collocari mortuorum: quem ritum Horatius indicauit:

Linquenda tellus & domus & placens
Vxor; neque harum, quas colis, arborum
Te præter inuisas cupressos
Vlla breuem dominum sequetur.

Ouidius Cypariſſum puerum in hanc arborem mutatum canit: qui cerua quam vehementissimè amabat, imprudenter à se occisa, ita contabuit & obriguit dolore, vt commiseratione Apollinis in cupressum sit conuersus. Nobis quidem placet, Cypariſſum Apollinis gratum fuisse; at necdum videmus eius amoris causſam satis explicatam. Fuerunt qui omnes obeliscos radiorum crederent symbola; eatenus illi quidem veritati propinqui, qua Deus hic vitæ præsidere intelligitur, quæ per metæ figuram significatur, quam Ouidius expressit:

Cyparissus puer in cupressum arborem mutatus.

Adfuit huic turbæ metus imitata cupressus,
Nunc arbor puer antè Deo dilectus ab illo
Qui citharam nervis, & nervis temperat arcum.

Quemadmodum ergo obeliscus ille quem Octauianus Augustus mouere noluit ob religionem, & Constantius superstitionem contemnens Romam transtulit, Soli fuerat dedicatus, vt præcipuo & singulari vitæ datori; ita Cupressus etiam eidem Deo à priscis hominibus fuit consecrata: cuius rei causſa non rectè vel examinata vel intellecta, conficta est fabula, sollēnis & antiquus ignorantiæ prætextus. Est autē Soli dedicata non ob id tantùm quòd pyramidem insigniter æmuletur, eaque forma vitæ signum habeat sempiternæ; sed propterea etiam quòd lignum eius nec cariem sentiat, & alia etiam ab erosione & vermibus seruet. Quamobrem merito suo maximo & sepulcris & funeribus dedicabatur, vt eius monitu homines docerentur, eos quos mortuos putarent, ad æternam & cupressinam durationem transiisse, iam apice cælum contingentes. Eadem ratione Deorum simulacra è cupresso fieri consueuerunt, vt materia, quoad eius fieri posset, illorum responderet æternitati. Quanta sit cupressini ligni duratio qui nescit, cùm alios, tum Plinium legat, & mox intelliget quanto & veritati, & veterum, qui symbolo huius vsi sunt, existimationi melius à me consultum sit, quàm à Festo Pompeio, Seruio, & ceteris sententiam secutis, non Christianis modò, sed omnibus etiam sapientibus indignam. Quid? quòd cupressus minimo semine citra omnem cultum iacto sic assurgit, vt numquam degeneret. An non hoc quoque nobis indicat, ipsum corpus terræ mandatum de minima elementorum portiuncula resurrecturum? Cùm enim cor-

Obeliscus Soli dedicatus.

Cupressus Soli sacra.

Cupressus in funeribus & sepulcris quid significet.

pora in semina elementorum resoluantur, non illa quidem è trunco suo aut radicibus resurgunt, sed è minimis particulis ad integritatem tantam restituentur, vt non tantùm non sint degeneratura, sed etiam immortalitatem assumptura plusquam cupressinam. Quanto saniùs prisci illi patres, quàm Sadducæi & Epicuri de grege porci de vita animorum sempiterna & corporum resurrectione senserunt, dum tesseram hanc sepulcris imponerent. Vellem equidem etymon mihi à quoquam vel Græcorum vel Latinorum exponi, vt viderem, ecquid & inde lucis affulgeret: at quantum memoria teneo, frustra apud scriptores illud vestigarem. Et quid opus est longa inquisitione? Præsto est Cimbrica interpretatio, non arboris tantùm naturam ostendens, sed luculentam etiam addens symboli rationem. Græcorum ὑ-λὸν & V Latinorum frequenter in O transire; & rursus hoc in illa mutari, notius quàm vt sit admonitione dignum. Nos Coper dicimus pro ære: quod nomen huic metallo datum eo quòd eius in emendo maximus olim vsus esset. Latini Cuprum inde fecerunt; vnde & Cypros insula, quòd hoc metallo abundaret. Verùm originis ignari crediderunt æs Cyprum à Cypro vocandum, quasi illic primùm inuentum fuisset. Eodem modo ex Coperps siue Cepers fit Cupressus, & Cypariſſus Græcis. Est autem Cop caput, ita vt Cop rees arbor vocetur, quæ capite suo in altum assurgit. Sic Rees etiam is vocatur, qui alto corpore ceteris hominibus præstat. Elatam ergo in altum comæ in hac arbore naturam nomen expressit, & vnà denotauit, huius tessera resurrectionem capitum nostrorum denotari; quæ tanto virore assurget, vt nullum vmquam senium aut marcorem sit sensura. Est inter breues Pythagoræ sententias & hæc vna, non esse ligna cupressina coaceruanda: qua quid notatum sit, difficile fuerit coniectare. Iamblichus sic recitat, vt cypressinum aceruum non oportere fieri dicat, vel quia Iouis sceptrum cupressinum fuerit, vel ob aliam quampiam mysticam rationem. Simpliciter & citra ambages aceruus cupressinus mihi ab eo fieri videtur, qui sic rebus coaceruandis est intentus, vt diuitias velit parare sempiternas; cùm tamen earum vsus breuis sit, & momento temporis finiendus. *Vitæ summa breuis*, inquit Horatius, *spem nos vetat inchoare longam*. Et iterum: *Immortalia ne speres monet annus, & almum Quæ rapit hora diem*. Qui vltra vitæ terminum curas extendit, nec vllam metam ponit cupiditati, is aceruum parat cupressinum; talem nimirum, vt numquam absumatur. Diuitiæ corpori dumtaxat quæruntur; at hoc breui est interiturum. Quæ igitur insania aceruum velle parare immortalem? Eodem modo Iouis sceptrum cupressinum dicitur, quia regnum eius est sempiternum, cùm alia regna omnia caduca sint & exiguo tempore duratura. Quòd Gyraldus hîc putauit vetari, ne ex rebus sacris nobis diuitiarum aceruos paremus, minimè placet: nec magis quòd suspicatur nos moneri, ne simus solliciti de sepultura & funebri pompa. Consentit ergo Pythagoræ allegoria cum eo quod dixi, cupresso in sepulcro & funere cùm animi immortalitatem, tum corporis etiam resurrectionem denotari. Ex cupressi meta in mentem venit Coni & Pini. Conus Græcis idem quod Latinis meta, non alio à pyramide differens, quàm quòd Conus pyramis sit ex rotunda basi assurgens, qualis est cupressi forma. Eiusdem notationis est Turbo. Hinc & fructus pini & cognatarum arborum ex hac forma Conus vocatus. Sic Virgilius Coniferas cypariſſos dixit. Ex figura itaque Pinea nux conum formans, vitam significat, non illam quidem quamuis, sed occultam atque concluſam. Quamobrem pinus Cybelæ deæ terram concludenti, & semina gremio suo custodienti dedicatur. Nihil enim aliud apud Physicos interpretes Cybele fuerit, quàm terræ vis concluſa; sterilis illa quidem exterius, sed vitam intus alens seminum vniuersorum, quæ cono pini designatur. Et haud secus atque nux pinea solo calore vel ignis vel aquæ calentis aperitur; ita & terra non antè se recludit, quàm Sol radiis eam directioribus excalfecerit. Hinc Thyrsus Bacchicus pro mucrone conum habet pineum, denotans vitam similiter concluſam & occultam in Bacchicis cærimoniis latêre, quæ non nisi mentis calore diuinitùs accenso referari queat. Sicut enim vannus mystica est in huius Dei sacris, ea quæ in omni vitæ ratione superuacanea sunt haud secus ac paleas euentilans; ita & thyrsus nihil minus quàm hasta militaris, is est scipio, cuius ope vita mystica & comparatur & sustinetur. Quòd si vlteriùs pergas, verè dixeris Thyrso fidei baculum notari, cuius vita concluſa est & occulta; nec alia via in apertum fructus suos prolatura, quàm si caritatis ignis accedens, quòd vitam suam firmis

Cupressi etymon.

Cupressina ligna non esse coaceruanda.

Conus quid, & quo à pyramide differat.

Pinus Cybelæ sacra.

Cybele quid Physicis.

Bacchicus thyrsus cur pro mucrone conum habeat pineum.

Thyrsus fidei baculum denotat.

firmis clauſtris intra ſecretos ſinus tuetur, id multiplici & vndiquaque patente hiatu recludat. Hic eſt feruor ille, qui niſi omnibus iis quæ vel ſymbolis, vel hieroglyphicis, vel ſacris ritibus abdita deliteſcunt, vim ſuam validam benignè adſpiret, nihil vmquam ex eorũ inuolucris capietur emolumenti. Multos variosque ſcipiones in ſacris Ægypti ſcalpturis videmus, pro eo ac varia in vario vitæ genere officia proponũtur, alios hoc, alios illo animalis aut floris ornamento ſupernè inſignitos; inter quos hic ſi poneretur, non poſtremas vtilis notationis partes, ne dicam primas, obtineret; vt dilucidè patebit, ſi fides cum caritate, iuxta D. Paulli ſententiam conferetur. In fide enim omnis noſtra vita vires ſuas tamquam in munitiſſima arce conſeruat: cuius fructus ſuauiſſimus ſolius caloris à Spiritus ſancti accẽſi beneficio ſeſe prodit ad communem omnium ſalutem. Quid thyrſus cauſſæ myſterijque nomine Cimmeriis demonſtret, non eſt huius loci planius docere. Satis eſto ſi examinetur, cur pyramidis hæc formula Conus dicatur. Hîc rurſus Græcos & Latinos fruſtra conſulas de vocis origine: at non luſeris operam, ſi eam apud noſtrates explores. Coon forti audaci, & ad quiduis aggrediendum prompto animo præditum deſignat. Hinc Coon-rat/ quem Conradum Latinorum formula vocamus, qui cor habet ad res magnas audendas paratum. Quam ergo figuram audaciſſimam dicemus ad quiduis inuadendum? Num aliam, quàm eam cui Plato maximum tribuit acumen, & ſummas vires ad quiduis penetrandum? Hanc ipſe Pyramidem vocauit: quæ ſi nomen à modo & ratione poteſtatis accipiat, Coon/ & Græca terminatione κῶνος dicetur: atque ſic vocata & nomine & reapſe igni maximè conueniet; cui non audaciam modò, ſed maximam etiam in agendo vim omnium ſæculorum gentiumque tribuit obſeruatio. Porrò quia alij Coon/ alij Cuen dicunt pro eodem, & proclius alioquin horum eſt commutatio elementorum, Latini ex eadem origine Cunei nomen ſeruarunt: quo licet ad inſtrumentum dumtaxat audaciſſimum & omnis contemnens aduerſitatis vtantur, ea tamen eſt ſignificatio, vt cuiuis formæ pyramidali perquam ſcitè queat applicari. In prouerbium abiit, Malo nodo malum cuneum quærendum; dum indicatur, nihil tam ſolidum eſſe, quod non cuneo aliquo vel rumpatur vel ſoluatur: & maxima id quidem ratione, cùm ea huius figuræ vis ſit, vt omnia penetret, nec quicquam tam firmiter ſit connexum quod non diſtrumpat. Quocirca non video quid aptius dici potuerit, quàm igni omnia penetranti & ſoluenti formam eſſe cuneatam: quam ſi de Cimbrica interpretatione deſcribas, eam eſſe dicas quæ nihil non audet atque poteſt. Diſcant modò Græci, diſcant Latini, quàm elegantibus vtantur vocabulis, quamque ſapientiæ arcanioris plenis, ſi eorum nos rationes de ipſis ſermonis radicibus explicare permittent. Sed quid dixi ſi permittent? cùm nihil interſit mea, quid mihi ipſorum liceat vetitum'ue ſit permiſſu; ſi quidem conſtat, eos nihil ſani de vocum harum origine poſſe comminiſci. O bellum, & plenum voluptatis ſpectaculum! in quo tantam datur intueri vocum & rerum cognationem, vt neſcias Timæus'ne à nomenclatore, an nomenclator à Timæo his ſapientiæ præceptis fuerit imbutus. Non poſſum committere, quin aliud adhuc addam argumentum, quo nihil hominibus noſtris dici poſſit luculentius. Alauda, à criſta Corydos Græcis vocatur; & à Theocrito ἐπιτύμβις, eo quòd tumbum patris in capite habeat erectum ea forma qua in Ægypto pyramides videntur: ex quo quiuis intelligit, veterum tumbos in metam fuiſſe ſublatos, atque idcirco apud nos hactenus tumuli ad hanc effigiem è terra aggeſti, quales cùm in tota Albania plurimi, tum tres non procul ab ipſis mœnibus Thebenſium cernuntur, vernaculo hactenus ſermone Tomben nominantur, quæ ſunt vetuſta Romanorum hic olim cæſorum buſta. Alauda autem Lew—were nobis, ſiue Lef-were vocatur, id eſt, vitæ opus: qua in voce videas pro tumbo, quem in capite gerunt, nos vitam ipſis tribuere. Sed de hac aue vt pluribus agamus, admiranda naturæ conſideratio, & eius monumenta à priſcis hominibus diligentiſſimè ad poſteros tranſmiſſa me cogere videntur, nedum incitare. Prius tamen quàm de alauda verba faciam, ex ipſa Ægyptiorum antiquitate hanc primæ litteræ figuram in lucem proferam; vt non ſolùm de nominis ratione conſtet hanc eſſe congruentiſſimam, ſed præterea etiam è vetuſtiſſimis monumentis perſpicuum fiat, & hanc ipſius Aleph olim figuram, & hanc ipſius figuræ ſignificationem in hieroglyphicis fuiſſe, quam modò explicaui.

Coni etymon.

Coon.

Conradus.

Cuen.

Cuneus vnde nomẽ habeat.

Cuneus malus malo nodo quarẽdus.

Alauda dicta Corydos, & ἐπιτύμβις.

Tumbi noſtratium cur in tumbi effigiem aggerãtur.

Tomben.

Lew-were.

Neſcio



Canopi ſimulacrum ex Ægypto Antuerpiam allatum.

Neſcio equidem quo fato accidiſſe dicam, vt dum in hieroglyphicis litterarum notis verſarer, ſimulacrum quoddam antiquiſſimum ex Ægypto Antuerpiam allatum ſit, cuius materies Cyaneo lapidi ſimillima eſſet, & tota longitudo quatuor paullo plus minus digitos æquaret. Caput pueri formam præferebat, totum velo contectum, ſola facie mento tenus & auribus bene magnis exſtantibus. Propendebat autem capitis hoc velum ex parte anteriore à mento in ipſum medium pectus; perinde atque mulieres quædam noſtrates lugent; & ſimiliter in poſticam partẽ à capite inter ſcapulas deſinebat: reliquum corpus totum tectum, ſolis manibus exſtantibus, ad eum modum, vt cubiti decuſſatim ſe premerent ſub veſte, & manus dextra in ſiniſtro latere, ſiniſtra in dextro videretur. Reliquum corpus terminorum ritu finiebatur in quadrangulam baſim, cui tota effigies recta inſiſtebat. A medio corpore deorſum litteræ hieroglyphicæ anteriorem partem occupabant. Dextra manus figuram Aleph tenebat, vnà cum funiculo, è quo à tergo librarius ſaccus è iuncis vel viminibus factus pendere videbatur. Siniſtra falcem gerebat. Nobis itaque puer Alphabetarius nunc primùm rationis compos factus hoc termino denotari videbatur, quem Ægyptij de ſacro ſermone Canopum ſolent nuncupare. Non minus nobile fuit Canopi atque Harpocratis nomen; ſed quid eo ſignificaretur, à nemine hactenus explicatum. Strabo Canopum Menelai gubernatorem fuiſſe ſcribit, cui & ceteri conſentiunt: vnde & vrbi Canopo & foſſæ Canopicæ & oſtio Canopico nomen manſerit. Mihi veriſimile non fit exterum hominem, & eum nec rebus geſtis illuſtrem, nec apud Spartanos vllos conſecutum honores, tanti apud Ægyptios fuiſſe, vt non hæc modò monumenta ei dedicarint, ſed & in deorum numerum retulerint, & clariſſimum ei ſidus conſecrarint. Nimis hæc abſurda ſunt, & indigna quæ vel inter fabulas recenſeantur, & idcirco luculentum dant indicium, nihil prorſus notitiæ probabilis de Canopo exſtitiſſe. Audiamus interim fabulam de Canopo in Ægypto olim iactatam, quam Rufinus in hiſtoria Eccleſiaſtica recitat. Iam verò, inquit, Canopi quis enumeret ſuperſtitioſa flagitia? vbi prætextu ſacerdotalium littera-

Canopi in Ægypto monumenta.

Canopi fabula.



litterarum (ita enim appellant antiquas Ægyptiorum litteras) magicæ artis erat pænè publica ſchola. Quem locum velut fontem quendam atque originem dæmonum in tantum venerabantur pagani, vt multo ibi maior celebritas, quàm apud Alexandriam haberetur. Sed de huius quoque monſtri errore cuiuſmodi originem tradant, abſurdũ non erit paucis exponere : Ferunt aliquando Chaldæos Ignem deum ſuum circumferentes, cum omnium prouinciarum diis habuiſſe conflictum ; quo ſcilicet qui viciſſet, hic eſſe deus ab omnibus crederetur. Reliquarum prouinciarum dij æris aut auri, argentiſque aut ligni vel lapidis, vel ex quacumque materia conſtabant, quæ per ignem proculdubiò corrumperetur. Ex quo fiebat, vt ignis locis omnibus obtineret. Hæc cùm audiſſet Canopi ſacerdos, callidum quiddam excogitauit. Hydriæ fieri ſolent in Ægypti partibus fictiles, vndique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus turbida aqua deſudans defecatur & purior redditur. Harum ille vnam, cera foraminibus obturatis, deſuper etiam variis coloribus pictam, aqua repleta, ſtatuit in deum, & exciſum veteris ſimulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput deſuper poſitum diligenter aptauit. Adſunt poſt hæc Chaldæi. Itur ad conflictum, circa hydriam ignis accenditur; cera qua foramina fuerant obturata, reſoluitur; ſudante hydria ignis extinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Chaldæorum victor oſtenditur. Vnde ipſum Canopi ſimulacrum pedibus perexiguis, attracto collo & quaſi ſugillato, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorſo æqualiter tereti formatur. Ex hac perſuaſione velut Deus victor omnium colebatur. Hæc Rufinus : quæ ad eundem modum apud Suidam narrantur. Quis hîc non videt ridiculam & anilem fabellam, ne dicam putidam & ineptam, tantum abeſt vt ad veram referri queat antiquitatem. Stupidi fuerint & plus quàm plumbei Chaldæi illi neceſſe eſt, qui nec hydriam, nec aquam effluentem deprehendere quiuerint. Deinde qua tandem ætate hoc commentum dicemus accidiſſe? Certè ſi vmquam, Cambyſis tempore contigerit, qui plurima contra Ægyptiorum ſuperſtitioſam inſaniam deſignaſſe narratur. Atqui id fabulæ auctores non commemorant,

Ignis, Chaldæorũ deus, aliorum omnium deorum victor.

Canopi fabula cõfutatur.

rant,adeò vt facilè cernas qualis ea sit historia, quæ nullo tempore, nullo regno, nullo auctore circumscribitur. Nos igitur eandem viam quam in ceteris hieroglyphicis ingressi, primùm quid Canopus in sacra Ægyptiorum significet lingua declarabimus; ac deinde videbimus, quæ conuenientia sit nominis & adspectabilis signi. Can apud nos dum verbum est duo significat, possum & scio: vnde ab eius præterito imperfecto Const/ dicitur ars & facultas. Significationis ratio in Ce-an cernitur, quæ vox vehemés desiderium indicat cuiuspiam rei quã nobis adesse cupimus. Omnes enim homines & scire, & aliquid facere posse vehementer desiderant, nec quicquã est quò maiore naturæ proclivitate rapiantur. Vox Can conuersa Nac facit; quod significat vehementer & cum impetu quodam ad aliquid inclino, vt dum dicimus, Hi nact bar-na, id est, pronus ad hoc fertur. Quia verò ex hoc tam ardenti desiderio ad rem ipsam ad quam ferimur paullatim accedimus & reddimur propinquiores, Nac vocali longa idem est quod appropinquo; in quo finis est ipsius scientiæ. Tota enim rerum cognitio eò tendere debet, vt ipsi enti & ipsi vni quàm possumus proximè comunganur. Verumenimuerò vt nusquam dormitauit nomenclator; ita in hac voce Can insignem arripuit symbolicæ doctrinæ occasionem. Quemadmodum enim animus ad sciendum pronus fertur; ita corpus ad poculum. Nihil enim infantes auidius appetunt, quàm vel mammæ, vel poculo mammæ vicem habenti adhærere; ita vt quicquid arripuerint, id mox, veluti poculum sit, ori admoueant & inde fugant. Quamobrem Can pro poculo nomenclator voluit vsurpari. Iam poculum nobis vires suppeditat; & si largius eo vtamur, maximá inducit scientiæ opinionem, falsam illam quidem & temporariam, sed talem tamen, de qua sibi poti insigniter placeant & blandiantur. Porrò vti poculum cuiusuis liquoris capax est; ita puerorum animus cuiusuis scientiæ & artis, si modò hanc, modò illam infundas. Hinc tandem symbolum Canopi, fingebatur puer qui solo capite & obscuris corporis lineamentis à poculo differebat, quem Canopum vocabant, simul ad Can pro scio & possum vsurpatum, simul ad poculum alludentes. Idem autem significat Canop/ac si dicas cognoscendarum rerum spem. Nop enim spes est. Dum igitur hanc pueri imaginem pingebant, omnia simul hæc indicabant, puerorum animos haud minus ad scientiam & artes natura pronos esse, quàm ad pocula ipsorum palatum: & quemadmodum poculis vicissim quiuis liquores infunduntur; ita puerorum animos quauis arte imbui posse: & quoniam maxima est puerilis ingenij capacitas, ventricosum poculum & amplum Canopi capiti corporis loco supponebant. Eiusmodi simulacrum cernes in primo limbo ad dextram partem hieroglyphicæ tabulæ, quã Bembi nobis bibliotheca communicauit. Eôdem spectat in ordine infimo secũda à sinistris figura, tota reti inclusa, perinde atque fictiles orcæ, quibus oleum & alia è Lusitania ad nos adferũtur, funibus in retis modum connexis aduersus iniurias muniuntur. Idem simulacrum in eodem ordine repetitur, sed minus quàm priore loco, & scipione nonnihil immutato. Nemo non pueri formam in capite agnoscit, & in reliquo corpore poculum reticulo munitum. Vt autem tenellam adhuc ætatem agnoscas, mento ipsius caruncula longa appendet, quam nostrati lingua Lel vocamus, quam pueris adhuc lactantibus tribuere solemus,

Canopi nomenclaturæ ratio.

Can.

Const.

Can.

Nac.

Nac.

Poculum vires suppeditat, & inducit scientiæ opinionem.

Poculi et puerilis animi analogia.

Nop.

Canopi simulacrum alterum explicatur.

Lel.

ſolemus, eo quòd mentum eorum perpetuò papillis hærere videatur. Lellen enim nos pro ſugere dicimus, eo quòd puer ſugens Lel in ore habeat carnem pendentem: qua voce contemtu quodam mammam pendulam denotamus. Fit autem vox per duplex Lambda, eo quòd puerorum lingua ad ſupremum palatum in ſugẽdo referatur. Canopus igitur velut lallans adhuc puer eſſe deſignatur, dum hæc caruncula mento eius appingitur: quod ex alia lingua numquam intelligas. Latini veteres Lallare à priſcis Cimmeriis retinuerunt: Sic Perſius: Lellen. Lallare.

——At cur non potiùs teneróque palumbo
Et ſimilis Regum pueris pappare minutum
Poſcis, & iratus mammæ, lallare recuſas?

Vbi duo Cimbrica verba cernas, Pappare & Lallare. Pap nobis pulticulam pueris dari conſuetam ſignificat: vnde pappare, pulticula veſci ſignificat. Hinc optimè Plautus in Epid. Nouo liberto opus eſt quod pappet. Interpretes, noſtri ſermonis ignari, nec quid lallare, nec quid pappare ſignificet, ſatis intellexerunt; dum lallare & pappare ad voces putant referri. Perſius ridens pueri mollitiem, cur non, inquit, ſimilis palumbo & Regum pueris minutam pappam qua veſcaris, poſcis, cùm iam nolis lallare, iratus mammæ? id eſt, nolis mammam ſugere. Cùm noſtrates cuipiam infantium & pueriles mores exprobrant, dicere ſolent, De lel henet hem noch aen den mont/ id eſt, Lella ſiue mamma ei adhuc pendet ex ore. Fruſtra igitur ex alterius linguæ conſuetudine huius hieroglyphici ſigni petas interpretationem, quæ nobis de vulgato loquendi more eſt clariſſima. Quod autem in hoc Canopi ſimulacro caruncula è mento dependens nobis Lel vocata deſignat, idem in Canopo cyaneo peplum è mento dependens notat, quo hæc pendula caruncula occultari videtur. Vt autem tenerum vas eſſe agnoſcas, & diligenter cauendum ne offendatur, reticulato opere totam hydriam ſiue poculum circumdatum atque munitum vides; quo non firmitas tantùm ei conciliatur, ſed noua etiam accedit ſignificatio. Rete enim nobis Net dicitur: at eadem vox pro mundo & puro vſurpatur, ita vt dum rete vides, de Cimbrico ipſius nomine ad puritatis venias cogitationem. Denotatur igitur puer hic vaſculum adhuc purum eſſe, nullo hactenus imbutum liquore. Quamobrem ſummopere obſeruandum, vt principiò optima infundantur. Quæ verò infundenda ſint, ſcipio quem ambabus manibus Canopus tenet, demonſtrat. Hic igitur nobis eſt declarandus. Verùm de ſcipionis notatione & capite alaudæ, quod eius ſupremam partem abſoluit, mox in Alauda pluſculum dicemus. In medio ſcipione ſub alaudæ capite clariſſima crux cernitur, quæ nobis indicat totius vitæ opus per alaudæ caput denotatum ſuper cruce fundari; & omnem cognitionem quam pueris proponimus, ad crucem debere ſpectare ſiue Tau, de quo pòſt latiùs. Tau verò non ſolum hîc cernitur, ſed vnà lituus tenetur; & figura quædam quæ Aleph eſſet, ſi rectam lineam haberet motionis ad locum indicem, quam priùs in Hori Apollinis ſiniſtra conſpeximus. De lituo & eius notatione in Gimel agemus. Hîc dumtaxat figuram illam quæ partem Aleph refert, conſideremus. Dixi pyramide vitam denotari ſempiternam, vtpote eam quæ in ipſum Vnum finiatur: quæ quia omnes homines admittit, inferiore ſui parte aperta eſt, vt nimirum cuiuis liber & amplus pateat acceſſus. Dum igitur Canopus hanc figuram pyramidis indicem manibus apprehendit, vitam apprehendit æternam; cui cetera coniuncta viam & rationem vitæ huius aſſequendæ oſtendunt, vt in Alauda, Lituo & Tau patebit. Porrò quamuis ex antica parte egregiè hic Canopus noſter munitus ſit ſacrorum ſignorum amuletis, à poſtica tamen parte habet aliud adhuc phylacterium, triangulum nimirum cum orbiculo dependentem: quo deſignatur homini diuinam naturam eſſe ad æternam vitam deſtinatam; tametſi hac prima corporum & ingeniorum infirmitate deorſum in terram dependere videatur. Triangulo æquilatero diuinitatem notari Plutarchus auctor eſt, & nobis è ternarij ſignificatione manifeſtum eſt. Rotundum autem orbem æternitatis indicium eſſe, neminem latere poteſt, qui non prorſus ſit rationis impos. Bene igitur vndique munitus eſt Canopus, & in magna ſpe immortalium bonorum ſtare cernitur. Nunc cyaneum noſtrum Canopum conſideremus. Huic in dextra clariſſimum Alef videtur, vnà cum linea quæ priori ſyllabæ in Alef reſpondet. Vnà funiculus tenetur cui ſacculus librarius appendet, quo pueri ad ſcholas itantes vti conſueuerunt. Siniſtra manus falcem

Pappare. *Pap.* *Net.* *Triangulus æquilaterus. diuinitatẽ ſignificat; rotundus orbis æternitatem.*

Falx Canopi quid notet. gerit. Priùs ergo quid falx ſibi velit, expendamus. Cimbricum falcis nomen Seiſſen eſt, quo denotatur id quo fata deſtruuntur. Sten enim deſtruo ſignificat Latina vox falx è Cimbrico quoque ſermone manauit, ceu Fal-hact diceretur; quod nihil aliud eſt quàm ſi dicas Cedit vt cadat: è quo falx ſyncoptôs, & & in x mutato, vt in aliis etiam obſeruatur: Vel ſi mauis Fal-hac/ id eſt, vncus trahens ad caſum. Quoniam igitur falcis nomen apud Ianigenas vſurpatum, eorum quæ fata ſunt minatur deſtructionem, atque eam apertè præ ſe fert; factum eſt, vt falx pro mortis ſigno poneretur, eo quòd hæc omnia quæ fata ſunt demoliatur & exſcindat. Canopus ergo ſiniſtra manu, quæ imbecilliorem hominis partem ſignificat, demonſtrat deteriorem noſtri partem morte interituram; nec tantam ſpem nobis vel ſcientiæ vel alterius facultatis affulgere, vt mortem effugere poſſimus. Dextra verò manus meliorem præſtantioremque hominis partem ſignificans, qua corpus nimirum mouetur & viuit, vitam continet ſempiternam per Alef denotatam; cui ſaccus adiungitur, quo vitæ huius viaticum continetur: indicans, libros ſiue ſcientias libris comprehenſas veriſſimum pabulum eſſe vitæ perennis. Bene igitur accidit, quòd hic cyaneus Canopus in manus noſtras venerit, vt nobis euidens adferret argumentum eius figuræ qua Alef olim apud Ianigenas notabatur. Ex his li-

Falcis etymō.

Falx mortis ſignum.

Canopus, ſpei de puerorum fruge ſymbolum. quere puto Canopum nihil aliud fuiſſe, quàm ſpem eam quæ de puerorum futura fruge iam inde à teneris vnguiculis, atque adeò ab ipſa lallatione concipiebatur; quæ ob eam cauſſam poculi habebat figuram, vt intelligeremus pueros haud ſecus ac pocula cuiuſuis liquoris capaces eſſe; & magni referre quo primùm imbuantur humore, eo quòd iuxta Horatium,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

Hinc Canopus haud aliter in ſcholis pingebatur quàm Harpocrates, & vt hic Deus paullatim ex hominum ignorantia euaſit; ita & Canopus in errorum materiam tractus varias vulgo præbuit fabellas. Quoniam autem hæc tenella adhuc puerorum vita, licet magnam habeat futuræ aliquando frugis exſpectationem, parum tamen hactenus à terra attollitur, veteres Ianigenæ clariſſimæ cuidam ſtellæ, quæ in Ægypto videtur,

Canopus ſtella. Canopi nomen dederunt, eo quòd clariſſima quidem ſit, ſed parum tamen ſupra finientem circulum eleuetur: ea in re puerilem nobis indolem ob oculos ponens; magnam illam quidem & illuſtrem, ſed adhuc non procul à terris elatam, atque adeò vix dum emergentem. Elegantiſſimè profectò ſidus quod non altè ſupra horizontem adſcendit, puerilis ſpei nomine conſecrarunt, eo quòd perpetuò, velut in primo ſemper eſſet ortu, depreſſum maneret; nec vmquam ad eam perueniat, quam polliceri videtur ſublimitatem. Viden' quàm omnia inter ſe conſentiant, tum quæ de Canopo puero, tum quæ de ſtella, tum quæ de poculo dicuntur, quàm vbique immatura adhuc ſpes ſit fru-

Canopũ Menelai gubernatorem non fuiſſe. gis olim futuræ? Quid hæc habent cum Menelai gubernatore cognationis? qui ſi vllus in Ægypto mortuus fuit vel de ſerpentis morſu, vel de quauis alia clade, certè prouectæ iam fuerit ætatis & multo ſenior, quàm vt lallantis pueri præ ſe tulerit formam. Quis vmquam Regum tam ſtolidus, tam inſanus, tâm omni rectæ rationi aduerſarius, tam furioſus denique fuit, vt vel puerum imberbem, vel iuuenem eius nauis in qua ipſe veheretur, clauum voluerit tenere? Quòd ſi id vnum eſt de abſurdiſſimis; quî poterit eorum probari commentum, qui puerilem hanc, quam in omnibus vetuſtatis monumentis videmus, faciem gubernatoris Menelai eſſe dicent? Quod ſi nullo modo admitti poteſt, vt non mox de omni actum ſit probabilitate; quid de Canopo & lallanti eius imagine cogitandum? Ille ſcilicet ſtellæ ad ſeptuaginta quinque Auſtralis latitudinis gradus ab Europæis remotæ, nomen dediſſe dicetur, qui numquam eam antea obſeruare potuerit, quàm vel in Ægyptum, vel in vicina loca appuliſſet. Sunt hæc frigidiora, aut potiùs abſurdiora, quàm vt poſſint vel in ridiculis, vel in fabulis haberi. Quamobrem cùm Canopus primæ magnitudinis aſtrum ſit, & parum ſupra Ægypti horizontem eleuetur, dicimus ab ea ſpe nomen accepiſſe, quæ maximam quidem & illuſtriſſimam ſeſe oſtendit in ſuo exortu; ſed ſic in exortu ſuo hæret, vt perpetuam videatur infantiam agere velle, nec vmquam ad illud decus excelſum adſcendere, ad quod ſe dum oriretur videbatur præparaſſe. Cùm igitur Canopus nihil aliud ſit quàm pueri imago, de quo nunc primùm ſpes concipi queat, vt tandem aliquid ſciat & poſſit; di-

ligenter

ligenter quid nobis ea repræsentet considerandum. In primis igitur in hieroglyphica Bembi tabula cernimus, statim ab initio puero ea præponenda esse, quæ rectà ducant ad vitam sempiternam. Idem in nostro Cyaneo Canopo videmus per figuram Alef designari; atque idcirco hac veterum nobis tessera præcipi, vt pueris à teneris statim vnguiculis æternæ vitæ semita monstretur. Paruulus ille Canopus, qui in supremo Hieroglyphicæ tabulæ limbo cernitur, sola ferè penna insignis est, quæ in capite erecta stans nihil aliud significat, quàm totam ipsius ollarem capacitatem ad hoc spectare, vt omnibus iis quibus implenda sit sursum ad cælum euehatur, quod penna Cimbrico, Ver/ nomine, quod à Vuer/ id est, fero deriuatur, designat. Quanta autem huius ætatis cura nobis habenda sit, ne qua parte fragilis eius natura lædatur aut offendatur, satis declarat accurata illa custodia, quam reticularis plexus in Ægyptiaca tabula demonstrat. Cyaneus noster Canopus sic totus fasciis est munitus, vt vix manus extremæ exstare videantur; quo intelligamus tenellam hanc pueritiam accuratissimè esse ab omni noxa tuendam, si illam quidem, quam concepimus, spem nobis integram velimus manere. Hinc illud est quòd nihil vsquam præ ceteris exstet membrorum, quo juxtà omnia in tuto conseruentur. Aures tamen bene patulas in Canopo videmus; quo intelligamus, totam puerilis spei firmitatem in diligenti consistere præceptorum auscultatione: per has videlicet totum poculum, quod in corporis eius effigie videmus, est replendum: his instillandum quicquid per scipionis indicium, quicquid per figuram Alef infundi iubetur. Reliqua membra omnia in alta quiete contineantur; non manus, non pes, non lingua, non cubitus, non quicquam ceterorum libero motu vagetur, sed his omnibus adstrictis solæ pateant aures. Per has totum poculum repleatur, per has omnia totius messis speratæ semina indantur; quod si fiat, Canopus id reuera erit quod dicitur, Spes nimirum omnis scientiæ & facultatis, qua homines ad vitam æternam queant peruenire. Hoc igitur modo puerilis ætas instituenda atque formanda, si Canopi symbolo credere velimus: & si huic credemus, facilè ignem falsum Persarum Deum exstinguemus, quo omnes qui Canopi consilium secuti non fuerint, exurentur. Vt enim & hoc ad causam aliquam referamus, licet minimè sit necessarium quasuis fabellas ad veritatem aliquam vocare, quòd Ignem Persarum Deum solus Canopus dicatur vicisse; nemo Christianorum ignorat, eos qui citra Canopi spem vixerint, æternis ignibus post mortem esse cruciandos; atque idcirco non iniuria fabellam in vulgus emanasse, solum Canopum flamis restitisse & de igne Persico triumphasse. Nisi enim cum Canopo sub vitæ sempiternæ signo militemus, Tartareos ardores euadere nequimus: at si ipsum Alef alacres dextra manu arripiamus, omnia flamarum tormenta vincemus. Et hæc quidem de Canopo & vetustissima ipsius Alef figura, citra quam hieroglyphicum Canopi sigillum numquam vel intelligere vel explicare potuissemus. Aliàs fortasse copiosiùs exponemus, cur mortis signum dextrorsum siniſtra manu porrigatur; & dextra manu Alef vitæ index ad siniſtrum latus feratur. Hîc sufficiat dixisse, mortem nobis internam esse, vitam externam & aliunde arripiendam; & illam quidem exteriùs à nobis, hanc interiùs ad nos spectare debere, nisi mori quàm viuere malimus. In Cyanei Canopo integrum Alef videtur: at in tabulæ æneæ Canopo & horo Apolline Lef solum notatur, relicta linea quæ ipsum A exprimit, eo quòd ad signum hieroglyphicum Canopi formandum non magni referat siue ei integrum Alef, siue Lef dumtaxat in manu ponas, cùm vtriusque significatio eodem tendat. Antiquissima igitur & prima ipsius Alef figura pyramis est, duabus lineis supernè coëuntibus notata, quæ infernè non clauditur, vt indicetur cuiuis ad vitam aditum patêre, & ab vno ipsius coni apice vitam ad infinita spatia inferiùs diffundi. Hanc Græci & Latini integram seruarunt, ceteræ gentes perdiderunt. Quamobrem vt pyramis & vita conueniunt; ita Alef & eius nota inter se congruunt; adeò vt nemo posthac dubitare possit, quin Alef Cimbricum sit vocabulum, idem significans ac si dicas, Age viue. Est autem huius vocis Lef illud quod antè dixi artificium, vt recta structuræ suæ ratione promittat se ad excelsum leuare id in quo est: qua in re ignis consonat naturæ, & idcirco eadem pingitur forma. Quòd si vocem conuertas, hostilem vitæ oppugnationem videbis. Nomenclator enim quo doceret quàm crudelitas aliena sit ab humanitate, sic vitæ fecit vocabulum, vt eius

Puero quæ primùm præponenda.

Ver.

Vuer.

Puerilis ætatis quàm cura habenda.

Aures patulæ in Canopo quid significent.

Ignem Deum dicitur Canopus vicisse.

Alef antiquissima & prima figura.

Fel.

Fellis etymon.

Gal.

Lag.



conuerſio crudelem denotaret. Fel enim crudelem notat: quæ vox ſi vt verbum vſurpetur, idem ſignificat quod è vita tollo. Latinorum Fel hinc manaſſe videtur, quo crudeliſſimus in corpore humor denotatur. Nos eundem benigniore vocabulo Gal vocamus, à fine nimirum veſicæ fellis nomine dato. Nam ſi hæc pro eo ac debet ſanguinem à bile bene purget, hominem reddit Gal/ id eſt, Gai-al ſiue omnino placidum & hilarem. atque hinc per ichnæam conuerſionem Lag idem eſt quod rideo. Sed nunc ſatis de Alef; cuius quoties in mentem veniet, toties cogitemus omnem nobis vitam ſic eſſe inſtituendam, vt pyramidis ritu à multis ad vnum tendat, & in Vno finiatur: quod ſi præſtiterimus, certò ſciamus nos ad vitam peruenturos ſempiternam. Nunc itaque tandem quiuis videbit, quàm non fuerit mihi committendum, vt Harpocratis imaginem negligerem, vtpote eam quæ in Heliotropio exſculpta clariſſimum haberet ipſius Alef rudimentum, quod in Canopo item cernimus expreſſum. Atque hinc liquet quæ ſit Harpocratis, Canopi, & ipſius Alef cognatio; quorum ſimulacra nimirum nos iuxtà ad vitam vocant ſempiternam, quæ ſola vera vita dici poteſt non apud Chriſtianos modò, ſed apud Plotinum etiam & ceteros ſapientiæ externæ magiſtros.

LIBER

LIBER VIII.

Alauda.

PRISCOS homines nobis esse præstantiores, & ad Prometheum propiùs accedere, qui primus lucidissimum omnium scientiarum ignem mortalibus intulit, in Platonis Philebo memini legisse: & eiusdem Timæus docet, antiquos deorum filios vocari, & iis fidem habendam, in iis maximè quæ ad diuina pertinent; tametsi nullam adducant demonstrationẽ, propterea quòd domestica & sibi in primis nota proferant. Aristoteles item, licet equinum se pullum præceptori suo; & non huic modò, sed vetustioribus etiam præstiterit, hoc tamẽ veritatis impulsu coactus est fateri, illud omniũ honore dignissimum, quod sit antiquissimũ. Quòd verò hac sua confessione eam opinionem conuellat quæ mundũ & hominũ genus statuit æternum, cùm infinitum quod est nullum admittat primum aut antiquissimum, in Hermathena explicaui; hîc satis mihi fuit testificatione duorũ, quibus nihil habent Græcorum scholæ quod anteponant, clarum facere, nullum firmius esse veritatis argumentum, quàm si quid doceatur vetustissimis hominibus placere. Ceterum cùm antiquitas omnis veneranda sit, illud in summo pretio habendum esse concludo, quod antiquorũ auctoritate antiquissimum esse comprobatur. Atqui inter antiqua nihil alauda antiquius; quam vetusti priscorum hominum sermones ferunt ante ipsam terram fuisse. Aristophanes, quia antiquissima quæque deridet, pro ludibrio Cronia & Becceselana habens, nihil nos turbat, quòd alaudam quoq. in comœdiæ partes vocarit. Quis enim tam insanus est aut vecors, vt eius commoueatur scurrilitate, qui Socratem & in Socrate omnem sapientiæ laudem populo propinauit deridendam; & id quidem, quo sceleratiorem agnoscas, pecunia emptus? Venalis tamen hic scurra, & linguam habens prostitutam ad conuicia in optimum quemque iacienda hoc nobis attulit emolumenti, vt ex eius derisione multo clarius quàm ex vllo alio doctore, qui in hominum quidem manibus versetur, antiquissimam de Galerita fabulam cognoscemus. Qui, inquam, itaque palàm profitetur se veritatis antiquæ perduellionem, exordium tamen ab eo sumemus veritatis è tenebris eruendæ. Apud hunc Pisistratus auium chorum imperitiæ taxans, hæc de Alauda verba facit:

Antiquissima quæ sunt, eadẽ esse præstantissima.

Alaudæ antiquitas.

Aristophanes.

Ἀμαθὴς γὰρ ἔφυς κ' ὑπολυπράγμων ὑδ' αἰσώπου πεπάτηκάς
Ὃς ἔφασκε λέγων κορυδὸν πάντων πρώτην ὄρνιθα γλυέσθαι
Πρωτέραν τῆς γῆς κ' ἄφωνα νόσῳ τὸν πατέρ' αὐτῆς ἀποθνήσκειν,
Γῆν δ' οὐκ εἶναι· τὸν δὲ προκεῖσθαι πεμπταῖον τὴν ἀπορυῦσαν
Υ'π' ἀμηχανίας τὸν πατέρ' αὐτῆς ἐν τῇ κεφαλῇ κατορύξαι.

Alaudæ fabula.

Intelligimus itaque Æsopo hanc fabulam adscribi, qua narretur, Galeritam omnium auium primam ante fuisse quàm terra esset; ac deinde patrem eius obiisse, nec terram fuisse in qua sepeliretur. Cùm igitur hic iam quintum diem iaceret, illam consilij impotem, patris tumulum in capite suo collocasse. Atque hic quidem est Apologus ab Aristophane ad Æsopum relatus. Hinc modò Theocriti idyllion lucem capit, quod sic meridianum tempus describit, vt & lacertos in sepibus dicat quiescere, nec galeritas vagari. ἀνίκα δὴ καὶ σαῦρες ἐφ' αἱμασίαισι καθεύδει οὐδ' ἔτι μυβίδιον κορυδαλλίδες ἠλαίνονται. Galenus galeritæ esum colico dolore laborantibus commendans, facere non potuit vt Aristophanis versus subticeret, ex quibus Theocritum explicauit ille quidem, verùm nec ipse, nec quisquam aliorum exposuit quæ causa fuerit huius figmenti, vt Alauda ipsa terra, omnium, non eorum modò quæ animalis habent naturam, sed inanimorum etiam matre & nutrice, vetustior diceretur. Certè fabulam esse nemo non intelligit: at fabulæ à priscis hominibus fingi non solent, nisi ad insignem aliquam eorum qui intelligerent vtilitatem. Magnum & illustre nomen apud antiquissimos Græciæ sapientes Æsopus fabellis suis comparauit, in nullo futurus pretio, si anicularum dumtaxat deliramenta nullum fructum afferentia prodidisset. Ad hunc autem & hoc vetustissimum

de vetuſtiſſima auicula commentum refertur; qui cùm Phryx fuerit, vt pleriq. tradunt, vel Thrax, vt in Ariſtophanis interpretibus legimus; de patria ſua nos monet, eandem apologorum & Orphicæ theologiæ eſſe originem: & vtrumque docendi genus à Cimbris antiquitùs inuentum fuiſſe; propterea quòd & Thraces & Phrygij & lingua & natione Cimmerij eſſent, Becceſelana mea demonſtrant. Vel igitur quiſquam de Latinorum aut Græcorum monumentis nos doceat, quid ſibi voluerint qui alaudam hac antiquitatis prærogatiua donarunt; vel permittant quod ipſi facere nequeunt, id vt nos expediamus. Primùm illud quæratur, quo nomine hæc auicula Cimmeriis olim fuerit vocata, quo cernatur ecquid ex eo queat lucis adferri. Gallos ab origine Cimmerios eſſe, nos non vno loco indicauimus, & eſt alioqui de Ioſephi teſtificatione certum. Quamobrem ſi Gallicam galeritæ nomenclaturam reperero, Cimbricam quoq. reperero. Hîc me iuuabit Plinius, qui tradidit Alaudæ nomen Gallicum eſſe, addens & legionem inde nuncupatam: quo fit, vt non Latinos, ſed Cimbros de vera vocis notatione conſulere debeamus. Suetonius Tranquillus huius legionis his meminit verbis: Qua fiducia (de Iulio Cæſare loquitur, iam conſecuto vt ſibi ad quinquennium imperiũ prorogaretur) ad legiones quas à Rep. acceperat, alias publico, alias priuato ſumptu addidit; vnam etiam ex Tranſalpinis conſcriptã, vocabulo quoq. Gallico, Alauda enim appellabatur: quam diſciplina cultuque Romano inſtitutam & ornatam poſtea vniuerſam ciuitate donauit. Hæc ille. quibus cùm nihil clarius eſſe poſſit ad docendũ Alaudæ nomẽ Gallicum eſſe, nihil amplius aliorum teſtimonia morati, exponamus quid Alaudæ nomen ad veram rationem vocatum deſignet. Al omne eſſe, & Aut vel Aud antiquum, ne balbutientibus quidem de plebe noſtra pueris ignotum: è quibus vocibus ſi nomen componas, quid aliud dices, quàm id quod in omni re antiquum eſt; quaſi diceretur, hanc auem apud omnes in omni re habendam antiquiſſimam? Iam ſi al-auden dicas, in plurium numero locutus intelligeris, nihilque aliud notaſſe, quàm omnes antiquos eſſe. Quoniam autem & auiculæ & legioni nomen idem tributum videmus, priùs id examinemus quod faciliorem habet approbationem. Galli ergo in Romanam militiam Iulij Cæſaris delectu adſciti, Gallicum ſibi nomen ſumſerunt, non Romanũ; infami hominum noſtratium huius temporis nota, qui quauis vel corruptiſſima lingua quàm ſua ipſorum, quam puriſſimam hactenus habemus, vocari malunt. Quale verò nomen ſibi indiderunt? Nempe tam nobile & honorificum, vt vix nobilius aut honorificentius legioni dari poſſet. Quanti fuerint apud Romanos veterani qui neſcit, is in eorum hiſtoria ſe perparum vel nihil legiſſe fateatur. Cùm igitur hos in ſummo honore cùm apud ceteras nationes, tum apud Romanos eſſe Galli ſcirent, ſic legionem ſuam nuncuparũt, vt ſe omnes veteranos eſſe ipſo nomine iactarent. Quid enim aliud ſignificat Al-auden, quàm omnes veteranos eſſe, in pluriũ numero voce pronunciata? Quod licèt ceteri fortaſſe Latini ſermonis ſcriptores ignorarint, à Cicerone tamen diligenter obſeruatum videmus, vt legionis nomen in hoc numero ponat. Sic dixit, Alaudas ab Antonio iudices lectos: & iterũ, Antonium cum legione Alaudarum in vrbẽ pergere. Quid? quòd idem videtur ſatis perſpexiſſe hanc vocis ſignificationem, dum dixit: Huc accedunt Alaudæ ceteriq. veterani. Sunt ergo Al-auden in lingua noſtra qua hactenus vtimur, iidem qui Latinis ad verbum, Omnes veterani, dicerentur. Conradus Geſnerus dum Alaudas ab Alten ſiue Alden dici ſcribit, addens veteres Gallos lingua Germanica magna ex parte vſos eſſe; nec id de Germanis inferioribus capi volens, quos dicit Olden non Alden ſonare, tria vna in re peccat. Neq. enim Alaudæ ab Alden, ſed ab Al-auden dicũtur: neq. Germani inferiores Olden ſolùm, ſed Alden etiam dicunt; tametſi hæ voces ad ſuperiores potius ſpectent. Propria enim ipſis pronunciatio Auden habet. Neq. verum eſt, Gallos olim Germanica lingua ſuperiore vſos eſſe, cùm clarum ſit Cimbrorum ſobolem fuiſſe, quorum ſermo hactenus apud Brabantos Campanos integerrimus exſtat: quem Gallos olim loqui ſolere, ſi non ex iis quæ in Gallicis originibus tradidi, at certè ex hoc Alaudarum nomine clarè docetur: in quo ne vnus quidem apex eſſet immutatus, niſi Latini more ſuo ipſum terminaſſent. Porrò quò clariſſimo nomini, quo omnes ſe veteranos eſſe ſignificabant, ſymbolum reſponderet, eiuſdem rei habẽs notationem, auiculam ſibi ſignum ſumſerunt, quæ non voce tantùm & nomenclatura conueniret, ſed omnium gentis ſuæ hominum confeſſione vetuſtiſſima etiam haberetur. De ſigno igitur

Apologi à Cimbris originem habuerunt.

Alauda, vocabulũ Gallicum eſſe.

Alaudæ nominis notatio.
Al.
Aut.

Alaudæ nomen cur legioni à Cæſare ex Trãſalpinis conſcriptæ tributum.

igitur Alaudam non malè dicas; sed si primum nomen spectes, Alaudas melius vocaris. Crediderim equidem, nec est etiam cur dubitem, Alaudas dum à Romanis nominis sui causſam rogarentur, respondisse ab auicula sibi nomen cõtigisse, atque inde Plinium sic litteris prodidisse. Videmus itaque nunc, fabulam eam quam antiquissimi Græci Æsopo acceptam retulerunt, ad vnguem quadrare cum Cimbrica Galeritæ nomenclatura; atque inde coniecturam meam reddi certiorem, qua collegi huius fabulæ exordium ad Cimmerios pertinere. Verùm vt clarissimum reddidi qua de causſa Alaudarum nomen legio sibi vindicasset; ita non tam procliue fuerit nomenclaturæ rationem in auicula explicare. Quò tamẽ id quoq. dilucidè expediri queat, maximum momentũ habebit, si alterũ galeritæ nomen apud Cimbros vsitatũ exponatur. Hodie hanc auiculam Leeuwerc vocamus, V consonante pro F littera duriore ad cõpositionis mollitudinẽ aduocata. Integrè enim & extra compositionem Leefwerc diceretur: qua voce idem significatur quod Romanus, vitæ opus, ad verbum verteret; siue malis Latinius, ipsum totius vitæ officium atque munus. Mirificum, me Hercules, & portentosum nomen. Quid enim vel tãtum, vel tanti in hac tam pusilla auicula esse potest; vt in eo vitæ opus consistere meritò dici possit? Ego sanè quódnam hoc opus sit siue munus quod totius vitæ summam iis complecti visum est, qui hoc nomen exiguæ huic aliti dederunt, non ex libris vllis, sed ex maiorum accepi traditione; qui mihi adhuc puero frequenter narrarunt, hanc auiculam quotidie septies in altum euolare, quò hymnos cantet suo creatori: vnde factum vt pòst in adolescentia mirarer, dum viderem Psalmistam cecinisse, *Septies in die dixi laudem tibi*. Ex hac re fortè quidam arripuerunt occasionem, vt alaudam à laudando nominari docerent; cùm tamen nihil sit putidius, quàm vocabulo Gallico Latinam adscribere significationis causſam; & ipsa adeò vocũ causſa tamquam ex summo tribunali sententiam ferat, cuiatis sermonis nomina statuenda sint. Quando itaque nullum aliud præcipuum alaudæ opus commemoratur, quàm quòd septies, id est, perfectissimè omnibus modis & semper Deum laudet atq. demulceat, in hanc cogimur descendere sententiam, vt hoc ipsum, Deum nimirum assiduè adorare & laudare, dicamus ipsum ipsissimæ vitæ opus apud maiores nostros iudicatum fuisse. Hoc posito, cuius mox causſam aperiemus, non fuerit difficilis eius inuentio, ob quod alauda omnibus terrenis, atque ipsa etiam terra antiquior dicatur. Ante omnia enim alia Deus inuocandus est atque laudandus: & reuera diuina laus & adoratio ipsa terra vetustior inuenitur; quandoquidem à choris angelorum antè Deus sit laudatus, quàm terra crearetur. Quamobrem si Galerita operis sui, quod præcipuum in omni animantium genere habet, tesseram præferat aptissimam, & id symbolis adscribi soleat quod rebus conuenit significatis, quid ni diuini auxilij inuocandi vetustatem galeritæ tribuendam censeamus? Viden' vt hæc auicula duo habeat apud Cimbros nomina, tam artificiosè facta, vt cùm eodem ambo tendant, alterum alterius habeat interpretationem? Quærant Græci in domesticis suis thesauris, quærant Latini, ecquid in vernaculis sibi huius auiculæ nominibus inueniant, quod vel eius vetustatẽ; vel causſam vetustatis exponat. Dicas σπυμβιδίας à Theocrito vocatas; sed id ad tumbi figurã quam in capite gerũt, & referri potest, & à multis refertur: & tametsi hinc antiquitatem colligas, nihil tamẽ est quod causſam explicet cur vetustas ei sit tributa. Nobis Leefwerc nomen clarissimam rationem indicat, qua galerita Alaudæ nomenclaturam apud Gallos fuerit sortita: quo fit, vt non verear asseuerare, Æsopum à maioribus suis, siue Thraces illi, siue Phryges fuerint, fabulam hanc accepisse. Atat, valde ridiculum videbitur, si hoc loco dixero quod non semel in mentem venit. Quoniam Orpheus Cimbricam vocem esse noui, & eum notare, penes quem ius sit ea moderandi ordinandiq́ue quæ auribus sunt instillanda; &, vt simpliciter dicam, eum esse Orpheum qui modum præscribit audiendorum, ceu aurium quidam custos & patronus; adducor vt Æsopi quoque nomen ex eadem officina credam prodiisse; atque eo quemuis eiusmodi virum notari, qui magnam adferre copiam possit fabularum; è diuersitate brutorum aptè concinnéque ad vitam bene formandam confictarum. Et mirum est quàm insignis & vrbana ambiguitas lateat in vocis compositione. Aes-hoop enim eum designat qui alimẽta accumulat & congregat: quæ notatio non malè in eum quadraret qui quàm diuersissima animalia bruta vel ad suum vsum, vel ad mercatum congregasset. Atqui non aliud agere videtur qui

Leeuwerc.

Alauda septies quotidiè in altũ euolat, & hymnos Deo canit.

Vita opus à maiorib. iudicatũ, Deũ assiduè laudare & adorare.

Alauda terrenis omnib.; & ipsa etiam terra antiquior.

Orphei vocis significatio.

Æsopi nominis etymon & notatio.

diuersissi-

diuerſiſſima animantia in vnam multitudinem cogit, quorum alia aliis eſcam præbent. Tales venatores videri poſſunt, apud quos equi canibus, canes falconibus, & aliæ aues aliis famem explent. Si quis ergo eum qui diuerſa animantia in medium producit, vt ex iis apologos fingat, Æſopum vocet; numquid peccaſſe videbitur? An non potiùs falſus dicetur fuiſſe? Et hæc quidem prima ſe fronte offert ſignificatio. Verùm ſi ſapientum ductu alimenta conſideres, mox intelliges, optima quæque vitæ rectæ inſtituendæ præcepta verum eſſe pabulum animorum. Quamobrem cùm quibuſuis quotidie varia brutorum genera vel occurrant, vel commemorentur, vel alio modo in memoriam veniant; nulla via & ratione commodior & efficacior reperiri queat ad hominum animos vtilibus monitis formandos, quàm ſi ex diuerſa animalium indole & moribus fabellas comminiſcamur, quibus ſeriæ & graues contineantur ſententiæ. Nulla enim memoriæ ars, ſit illa licet vel à ſummis oratoribus tradita, vim reminiſcendi ſuppeditabit præſentiorem; nec vbi ſemel hæ perceptæ fuerint fabulæ, quicquam hærebit firmius pertinaciusque. Quocirca ſi id genus de brutis animantibus figmenta magnũ aceruum ſtruant veriſſimi pabuli animorum, quod ſolis ſapientiæ præceptis & inſtitutis continetur, an non bene ab alimentorum aceruo nomen feret qui quamplurimis eiuſmodi fabulis abundabit? Quiuis ergo liber quo apologi deſcribuntur, Æſopo inſcribi poteſt; non ſecus atque Orpheo omnia fabularum inuolucra, quibus Theologia velatur; & Hermæ generatim quicquid hominibus diuinam ſiue voluntatem ſiue legem interpretatur. Hinc vt ſunt quamplurima Orphica carmina, nulli certo auctori attributa; plurimi Hermæ Triſmegiſti libri, nullius mortalium nomen præferentes; ita omnium apologorum figmenta quotquot vmquam fuerunt vel pòſt erunt, Æſopo tribui poſſunt. Eſt & alia non minùs concinna nominis interpretatio, qua is Æſopus dicatur, qui turbæ hominum & vulgo pabulum ſubminiſtrat: quæ notio eadem vocis compoſitione declarata, oſtendit nullam meliorem, nullam ſalubriorem eſcam plebi offerri poſſe, quàm eam quæ apologis continetur. Ὅοορ, quo cumulum quemuis notamus, quamuis etiam hominum ſignificat multitudinem: & Αες non ſolùm nomen eſt pro pabulo, ſed verbum etiam, pro eſcam præbeo: quo fit, vt prudentiæ pabulum populo ſuppeditans, rectè queat Æſopus vocari. De adſpiratione in compoſitione pereunte, quò vocis partes aptiùs cohæreant; ſuperuacaneum ſit monere homines intelligentes; & iniquos, & imperitos, & obſtinatos nihili facit Hippoclides. Quòd ſi hoc nouum meum commentum non explodatur, nihil erit de fabulæ noſtræ antiquitate ex Æſopi ætate colligendum: ſin, vt veriſimile eſt, in priſca homines opinione manere velint, & ſtolidè & ineptè nomen Æſopi vel Phrygium vel Thracium de Græcorum ſermone interpretari; licebit quidem ad Crœſi vſque ætatem, qua Æſopus vixiſſe traditur, fabulæ vetuſtatem referre, ſed ſuperiùs adſcendere non licebit. At ego clarè demonſtrabo ſi Æſopus tum quiſpiam cum Crœſo & ſeptem ſapientibus vixit, ad eum hanc fabulam referri non poſſe vt primum inuentorem. Oſtendam enim ex antiquiſſima ænea tabula, hieroglyphicis figuris inſcripta, & in Bemborum domo, magna, vt meretur, religione cõſeruata, tantam eſſe huius ſymboli de Galeritæ natura ſumti vetuſtatem, quanta eſt inuentionis hieroglyphicorum; quæ immani ſæculorum interuallo Crœſi ætatem præuertit. Si quem igitur Æſopum fingere volent, cui hæc ſiue fabula ſiue ſymbola debeatur, eum longè illa ætate ſuperiorem faciant neceſſe eſt, niſi malint conuinci manifeſtæ vanitatis, idque ſigno euidentiſſimo: quod erroris periculum illi minimè adibunt, qui Æſopi nomen de Cimbrico ſermone deductum fatebuntur. Quiſque tamen quem volet ſibi ducem legat; qui me ſequentur, luculentam videbunt totius Ogeniæ antiquitatis conſenſionem: quam equidem in primariis veritatis argumentis ſemper & collocaui & collocabo. De vetuſtate hieroglyphicorum, ſi quemquam dubitare arbitrarer, & non antè copioſè de iis diſputaſſem, eſſet fortè cur hoc loco iterum mihi agendum ea de re exiſtimarem. Nunc nihil opus eſt rei omnibus notiſſimæ diutius immorari.

Alauda caput ſepties in Bembi tabula hieroglyphica.

Eſt igitur in ea quam dixi Ægyptiaca tabula benigno Mercurio ad Bembum delata Alaudæ caput; & id quidẽ non ſemel, ſed ſepties; ita vt quiſquis eius fuerit architectus, ad id alluſiſſe videatur, ſepties quotidie Deo laudes canere galeritas: atque diſſimulato hoc ſuo artificio, ſollertibus ingeniis & diuinorum ſagacibus indicarit, totam hieroglyphicæ

glyphicæ ſuæ tabulæ picturam non aliò tendere; quàm vt ſepties in ſingulos dies, id eſt, ſemper & aſſiduè Deo preces & hymnos fundere diſcamus. Prius tamen quàm integram capitis alaudæ expoſitionem aggrediamur, extra controuerſiam ponendum, ea capita quæ ſcipionibus in Ægyptiaca tabula ſupremam abſoluunt partem, alaudarum non aliarum auium capita eſſe. Fuerunt, vt Pighius mihi retulit, qui Ibidum hæc capita eſſe dicerent; quos toto cælo aberrare ex eadem tabula diſcas: in cuius primo margine Ibidis figuram licet videre, quæ roſtrum longum & falcatum habet, caput nulla caſſide aut galero inſigne. Sed quid contra errorem pugnem cuiuis perſpicuum, qui modò apud naturæ ſcriptores cognorit, Ibidem non tam roſtri longitudine à ciconia differre, quàm eius curuatura, & cetera, excepto colore, ſimilem videri? Quòd ſi quis Phœnicis caput ſomniet hac figura denotari, is ex Lactantio diſcat, capiti eius coronam radiatam imponi, cui nulla cum hac huius tabulæ figura ſimilitudo. Eſt in hac eadem Ægyptiaca tabula aliud auis genus delineatum; ſemel in ſupremo ordine, in quo videtur à venatore quodam pedibus arreptum teneri: ſemel in limbo inferiore iacens; illic vno cirro, hîc duobus in capite notatum; ſed tam diuerſis ab eius capitis quod in ſcipionibus videtur galero ſiue cono, vt nihil ambigi queat, quin prorſus alterius auis ea ſit figura: & fortaſſe non aberret, qui Stymphalidis hanc dicat eſſe picturam; & eum qui pedibus apprehenſam tenet, Herculis eſſe figuram: quod ex cirris conicio, quos Stymphalidi Plinius adſcripſit. Certè ſi hæc Stymphalis eſt, longè abſunt à vero qui Pauoncellum hoc nomine dignantur, cùm figura hæc longum collum & corpus multo grandius præ ſe ferat, nec alarum colorem eundem oſtendat. Teneamus ergo, caput quod ſcipionibus ſuperne impoſitum videmus, galeritæ caput eſſe, cui à galero nomen dederunt Latini: apud quos quamuis feminino genere plerumque efferatur, Varro tamen galeritum maſculina terminatione dixit. Propertius Lucomonem hoc epitheto honorauit, dum cecinit: *Galerita à galero nomē.*

Prima galeritus poſuit prætoria Lycmon.

Solet olim ſacerdotum pileus hanc formam habere, cui tutulo nomen erat, vt latiùs trademus: Et, tametſi aliunde non conſtaret quæ galeri quondam fuerit forma, ex hac tamen auiculæ nomenclatura deprehenderetur. Græci κόρυδον & κορυδαλλίδα & κορύδωνα à Græco galeæ nomine vocarunt: à quorum poſtremo paſtori nomen tributum apud poëtam. Antiquiſſimum igitur eſt alaudæ ſymbolum, & multis ante Cœſum & ſeptem Græciæ ſapientes ætatibus in vſum vocatum, ad hoc denotandum, nihil eſſe precibus & laudibus diuinis antiquius habendum. Quòd autem caput eius ad huius rei notationem potiſſimum adhibuerint, in cauſſa illud fuiſſe arbitror, quòd ad id quod in re quaque ſummum eſt & caput totius, id concinniſſimè capite notaretur: & deinde quòd in alaudæ capite ea cernerentur quæ imaginem eius gererent, quod altero Cimbrico galeritæ nomine denotatur. Conus enim, vt in Alef figura declaraui, verum veræ vitæ opus deſignat; quod eſt, mentem noſtram à multis ad ipſum Vnum referre. Sicut enim omnes lineæ à baſi ipſius coni ad vnum ſupremum punctum contendunt; ita omnium actionum humanarum ratio ad eum modum inſtituenda, vt perpetuò mens noſtra ad ipſum Vnum, ſummum omnium rerum apicem, rectà dirigatur. Quemadmodum in elementis pyramis ignis habet figuram, cuius eſt in apicem altiſſimè attolli; ita hominum animis attributa, hanc ſignificat actionum omnium metam, cuius ſuprema cuſpis Deum ipſum contingit; & ea de cauſſa à Cimmeriis Ωιτ vocatur; quòd nimirum nos ipſi Ωοι, id eſt, primæ cauſſæ deuinciat, ipſo Tau vinculum denotante. Hæc enim vox vt ceteris cuſpidibus in communi loquendi conſuetudine tribuatur, huic tamen prima nominis ratio debetur. Latini vnde Oro dicatur, non facilè puto explicabunt: Et vt verum fatear, ne poſſent quidem. Ignorant enim quid Ωοι deſignet, nec ſciunt item quid ſibi velit qui Ηοο dicit. Nobis Ηοο exaltare notat, & Ηοοg altum: quo dato, Ωοι-Ηοο nihil aliud eſt, quàm cauſſam primam exalto, quod propriè eius eſt qui Deum orat. Niſi enim ſe humilem & ſummiſſum præſtet, & Deum ſolum exaltet, fruſtra preces concipiuntur. Quamuis autem hoc verbum hac tempeſtate nobis in vſu non ſit, vt plurima in deſuetudinem vel incuria hominum, vel delectu nimio abiuerunt; ipſa tamen vera ſignificationis ratio, quæ nulla apud Latinos inuenitur, declarat id à noſtro ſermone in Latinum veniſſe. Nec habent Latini cur Peto ſuam habeat notationem, *Coni ſignificatio hieroglyphica.* Ωιτ. Ωοι. *Oro verbi etymon.* Ηοο. Ηοοg. *Peto, id.*

Bet. tationem, cuius causſa tota dependet à Bet voce noſtrati; de qua in pictura ipſius Bet
Ozden. mox plura. Ab Oz præterea fit Ozten ſiue Ozden, à quo Latini Ordinem duxerunt, qua-
Ordo quid, & vnde nomen acceperit. ſi rectus litteram N haberet. Eſt autem Ozden talis rerum collocatio, vt vniuerſæ ad
Ozt ſiue primam cuſpidem recto ductu finiantur: quo modo niſi locentur, ſunt ordinis
Vitæ rectus ordo quis ſit. expertes. Quamobrem ſi rectum vitæ ordinem ſeruare ſtudeamus, id vbique in omnia
bus rebus operam demus, vt ad formam coni earum multitudinem exſtruamus, paulatim à multis ad Vnum tendendo: quod qui fecerit, is veram agit vitam: quæ quia metam exprimit ſiue pyramidem, meritò huius figuræ ſymbolo denotatur. Iam quoniam ignis, cuius calore vita continetur, pyramidem ſibi præcipuam in motione ſua vindicauit, primariam vitæ noſtræ cauſſam non ſequemur, niſi ex omni quam latè patet actionum congerie metam conſtituamus, & perpetuò Chriſtum auſcultemus occinentem, *Martha Martha ſollicita es, & turbaris circa plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium.* Profectò ſi hanc viam ingrediamur, ad quam ſummus veræ vitæ dux inuitat, mox id nos conſecutos eſſe ſentiemus, vt nullis aduerſitatibus, nullis malorum procellis, nullis vel hominum vel cacodæmonum machinamentis à felicitate vel minimum dimoueri, nedum frangi aut perdi queamus. Hoc ita eſſe, ipſum Coni nomen ad rationem ſuam vocatum nos docebit: qua ſic audaciam & fortem animum pollicetur, vt inde nomen ſibi vindicarit: quod priùs mentali vitæ, quàm elementi ignei lationi accommodaſſe videtur architectus. Cogitemus ergo nos ad hunc conum non priùs peruenturos, quàm conos nos præſtare poſſimus; id eſt, aduerſus omne omnium aduerſorum agmen fortes & animoſos: de qua dote longè nobiliſſima conus nomen duxit. Latini ex eadem
Cuneus. cauſſa Cuneum nominarunt: cuius vt etymologia, ita vis & vſus nos monet, vt quamuis vitæ duritiem, omnes nodos quantumuis contumaces & contemnamus audacter, & fortiter penetremus. Si enim vita vita non eſt, niſi Coni & cunei figuram ſequatur, quid ni eo contendimus, vt pari atque illa modo animoſi tum ſimus tum vocemur, & verè de nobis illud Horatianum dici poſſit,

Si fractus illabatur orbis,
Impauidos ferient ruinæ?

Pyramis ergo ſiue conus igneam exprimens figuram, aptiſſimum eſt ſymbolum quo viuere denotemur; ſed in nullo alio ſermone quàm noſtro hæc vitæ ratio in ipſo vitæ nomine declaratur. Leef enim, quo viuo notatur, duas dixi habere ſignificandi cauſſas; alteram, quòd nihil aliud ſit Leef quàm membra leuo ſiue porto; alteram, quoniam eadem vox indicat in altum cælum id ſe leuare quod viuit, de natura Lambda & Ief
Ignis vitæ teſſera apud vetuſtos. ducta notatione. Quia verò nec vlli eorum quæ oculis cernuntur maior in altum tollendi vis eſt quàm igni, nec alia ei quàm conoides propria figura, fit vt & ignis, & ignis figura apud vetuſtiſſimos vitalis teſſeræ conſecuta ſint nobilitatem. Duabus ergo rationibus, licet eodem tendentibus, galerita Leeuwerc ſiue Leeuwerc dicitur; altera, quia conum vitæ ſignum in capite gerat; altera, quia altiſſimè ſeſe ad cælum attollat: quod vt ipſiſſimum veræ vitæ opus eſt; ita vox Leef ex hoc ipſo rationem habet ſuæ ſignificationis. Mirificus conſenſus eſt ſymbolorum per hieroglyphicas notas & vocabula noſtratia expreſſorum. In figura ipſius Alef declaraui, pyramidem non ignis tantùm, ſed optimæ vitæ notationem habere, & qui ad eam peruenire poſſit figura ſua demonſtrare. Hîc iterum videmus, opus vitæ in altero Alaudæ nomine deſignari, nec intelligi oportere, niſi de illa vita quæ verè vita dicenda eſt; ea, inquam, quæ mentem in cælum & ad ipſum El attollit. Qua verò ratione ad excelſum illud acumen eleuetur alauda; partim cono capitis, partim ſuo in altum volatu, partim, & id quidem potiſſimùm, perfecta ſua docet adoratione, quam ſepties quotidie dicitur iterare. Et quia nihil non modò
Alauda cur terra fingatur antiquior. homini, ſed ne angelo quidem antiquius eſſe debet oratione, meritiſſimò hæc auicula perfectiſſimæ vitæ ſymbolum gerens prior dicitur fuiſſe quàm ipſa terra. Hæc enim quamuis corporeæ animantium vitæ & parens ſit & nutrix, eſt tamen ipſi vita cæleſtis, quæ ſola vera vita, longè anteponenda; atque idcirco habenda antiquior & magis honoranda. Quis modò non videt ex hac rerum & vocum conuenientia, ad cuius gentis inuentionem hæc ſpectent myſteria; & cuius ſermonis ſit, veram eorum intelligentiam aperire? Verùm quia in Alef de vita & pyramide ſatis multa dicta mihi videntur, ſufficiant hæc de vocum noſtratium & hieroglyphicorum concordia; quam & hîc & alibi

diligenter

diligenter perpetuò obseruare eum oportet, qui ad genuinam & germanam symbolorum originem volet adspirare. Nunc igitur ad fabulam ab Aristophane proditam; illam quidem vt ridiculam, sed nobis futuram vnam de iis quibus nulla seria sint præferenda. Aiunt galeritam ante terram fuisse. Quo iure? Nempe eo, quòd vita cælestis ad conum exstructa, omnia terrena, vt longè superior & potentior, contemnat & aspernetur; & tanto omnibus terrenis antiquior sit habenda & honoratior, quanto mens corpore naturam sortita est præstantiorem. Sed hoc facile ad intelligendum, & modò satis explicatum: at illi quid facias, quòd dicunt patrem eius mortuum? Profectò vix ausim id quod sentio verbis eloqui. Ille qui dixit, *Ego & pater vnum sumus*, & id genus alia in eandem sententiam, an non verus pater est cælestis vitæ, & eius quæ sola omnem contemnit aduersitatem? Non opinor quemquam id negare velle: & vt quisquam tam impius sit vt velit, non puto tamen ausurum, tantisper saltem dum viuit inter Christianos. Quando verò hic pater vitæ illius est quæ per alaudam designatur, pater item dicetur ipsius alaudæ, de ratione per allegorias loquendi: & frequens alioquin est, vt signis tribuere videamur quæ debentur signatis: quod in loquendo necessariò semper obseruatur, cùm sermo omnis verbis & nominibus constet, quæ Aristoteles symbola vocauit, reapse Platoni consentiens: cui tamen vt aduersari videretur, obliqua docendi ratione cùm hîc tum alibi quæsiuit. Non est ergo alienum, eum galeritæ patrem vocari, qui reuera illius vitæ pater est, quem hæc auicula designat. Porrò quando hic mortuus est? Semel quidem in terra. Verùm quid hoc ad mortem eius qui antè mortuus dicitur quàm terra crearetur? Profectò in diuinis diuina quærenda intelligentia; & potiùs nos oportet nostram ignorantiam confiteri, quàm quicquam dicere citra causſam confictum fuisse. Nos, salua sacrorum reuerentia, cum eo cui altissima veritatis mysteria reuelata sunt, piè dicemus, agnum occisum ab initio prædestinatum, vt per solam Christi mortem omnibus ad veram vitam aditus pateret. Præuiderat Deus ante terram creatam, hominem à dracone seductum iri; ad quem liberandum è mortis æternæ vinculis immensa sua hinc bonitate, hinc iustitia filium suum morti destinauit. Vita igitur æterna ante terram creatam prædestinata, siue Alauda eius tesseram habens, patrem suum, id est, eum per quem vita hæc erat nascitura, in capite suo sepeliuit. Quæ autem est vita primùm & propriè dicenda? Illa nimirum, quam Christus se esse dixit, aiens, *Ego sum via, veritas & vita*. Videor mihi cum alauda paullatim magis atque magis in cælum attolli; sed videndum ne citra alas. Si galerita veræ vitæ tesseram apud antiquissimos accepit, sitque ea ipse Christus; adeò vt ex hoc solo vitam accipiant quotquot vitam habent; non video quid vetet, immo non video qui non cogamur dicere, alaudam Christi symbolum prisćis patribus fuisse. Sed qua ratione illud de patris sepulcro ante terram facto ad caput ipsius vitæ accommodabimus? Multo sanè faciliùs, quàm si ratiocinationis torrens nos huc non detulisset. Christus qui Verbum est quod fuit in principio iam tum ante terram creatam, patrem vitæ, id est, se agnum in capite suo omnia præuidente & bona omnia prædestinante sepeliuit siue abscondit, tamquam in æterno omnium mysteriorum thesauro; atque ita sepeliuit, vt draco humanæ salutis hostis numquam subodorari potuerit, quis hic esset futurus per quem regnum Dei & vita æterna innouaretur. Nesciebat quem tantum tantum decus maneret; sciebat tamen aliquem futurum, atque idcirco passim omnes sigillatim homines veneno suo inficere conatus est, ne quis inter illos existeret quem Deus tam incomparabili splendore illustraret. Verbum igitur vitæ fons, & hac consideratione per Alaudam denotatum, patrem vitæ huius nouæ, id est, agnum in capite suo sepeliuit; in illo, inquam, capite, quo omnia diuinitatis secreta continentur & absconduntur: non antè in lucem & notitiam rerum creatarum proditura, quàm ab ipsomet reuelentur. Mirabilis sepultura, sed talis tamen, vt nunc mirũ esse desinat, galeritam patris sui sepulcrum in capite suo antè constituisse quàm terra crearetur. Nunc tandem intelligi potest, quantum in hac fabella deliteſcat mysteriorum, & quàm verè omnium rerum antiquitas alaudæ fuerit attributa. Quid enim antiquius Verbo quo creata sunt omnia & adspectabilia & inspectabilia? At cùm Verbum caro factum sit, & morte sua vitam nobis dederit æternam, cur non dicam galeritam non modò ante terram, sed ante omnia etiam fuisse, ante ipsos etiam ordines Seraphicos, principes omnium eorum quæ creata sunt? Nolo hoc loco latiùs

Alauda pater qua ratione mortuus dicatur.

Alauda Christi symbolum.

Alauda patrem cur in capite suo sepeliisse fingatur.

in altissimo hoc arcanorum abysso diuagari; nec suaserim intrare quemquam in obscurum diuinorum labyrinthum, nisi Ariadnes filo ducatur, id est, clara Spiritus sancti scripturæ sacræ principis reuelatione. Nobis sufficiat eminus capita eorum quasi digito demonstrasse, quæ in hoc alaudæ sepulcro delitescunt: & abundè satis sit nos eò lucis adscendisse, vt alaudam ipsius Christi tesseram esse cerneremus, ac deinde vitæ nostræ quam à Christo accepimus, habere notationem. Ceterùm quî cõuenit veritati symbolicæ illud quod de oratione dixi? Optimè. Nam & ipse Christus orat patrem septies pro nobis quotidie, & nos si vitæ participes esse velimus, per solum Christum orare debemus. Quis alius nos orare docet quàm Christus? quis alius nos in cælum deducit? quis precator noster apud patrem præter filium & agnum? Sequamur itaque hanc alaudam in orando, & diligenter præeuntem & modum præcundi cõsideremus. Ea est auiculæ natura, vt nihil magis obiter videatur agere, quàm pabulum in terra accipere; idque sibi primarium semper opus putare, vt terra & terrenis omnibus relictis, quàm altissimè in cælum subuolet ad preces & laudes Deo canendas. Quid? quòd ne altissima quidem arborum cacumina digna putat, vt in iis sedens Deum vel oret, vel hymnis extollat; propterea nimirum, quòd quantumuis eæ sint excelsæ, vitæ tamen suæ pabulum è terra capiant, & radices sic in ea habeant fixas, vt numquam ab ea se viuæ liberare possint. Quocirca alaudæ omnia terrena spernentes, vt cælestibus indigna, & se quamlongissimè possunt ab illis dimouentes, sursum contendunt, quo propiùs ad patrem accedãt, quem cantu suo demulcere moliuntur. Sic animi nostri quicquid terreni est relinquant necesse est, si digni velint haberi qui se orationibus & laudibus diuinis dedant. Faceſſant omnes curæ, omnes libidines, omnes liuores, omnia odia, omnes simultates, omnis superbia, omnis auaritia, omnis ambitio, omnis fastus, omnia denique quæ nos ad terram detrahunt & terrenis affigunt, si tales euadere velimus, vt digni habeamur quorum preces à patre cælesti exaudiantur. Sumantur galeritarum alæ; sumantur, inquam, alæ illæ quas Socrates nos dixit perdidisse, tum cùm terrenarum rerum & caducarum cupiditate à cælo descenderemus. His vnà cum alaudis subuolemus, nullis nixi terrenorum adminiculis, aut potiùs retenti impedimentis; cogitemusque tanto nos minus à patre & vera vita abesse, quanto longiùs terrena omnia reliquerimus; atque adeò ne posse quidem nos Dei fores ita pulsare vt audiamur, nisi prorsus à terrenis omnibus recedamus. Sed dicas, Est'ne corpus alendum, sũntne quærenda quibus

Panis ematur, olus, vini sextarius, adde
Queis humana sibi doleat natura negatis?

Sit sanè hoc ita; sed hæc si quærantur, tamquam aliud agas; & interim dum corpore laboras & discurris, animus vel apud superos versetur; vel si qua mora iniiciatur, ea mox reiecta, eò vnde auocatus erat, reuertatur. Nihil in hac vita est tam graue, tam acerbum, tam violentum, tam multis vel occupationibus, vel tormentis distractum, quod animum à superis detrahere possit, modò nos nolimus. Nec alauda corpore caret, nec vento pascitur, nec cælibem vitam agit, nec numquam sobolem cogitur educare: at hæc tamen quicquid terrenum est, ita obiter agere cernitur, vt hoc vnum sibi opus habere videatur, quo semper creatori suo suaues cantiunculas frequentet. Quid pueri in fornacem ardentem coniecti & flamis vndiq. cincti; an non hymnum Deo canebant? Quòd si ne ignis quidem omnium elementorum sæuissimum nos queat impedire, quo minùs alacri animo subuolemus, quid tandem erit quo retineri queamus? Nihil sanè nihil erit, nisi teneri velimus, & nos vltrò terrenis vinculis illigemus, eorum fallacem, fucatam, & momento citiùs euanescentem non dico pulcritudinem, sed pulcritudinis laruam aut potiùs vmbram pluris æstimantes, quàm admirabilem cælestium & pulcritudinem & constantiam pulcritudinis sempiternã. Natura, aut, vt veriùs loquar, Deus naturæ opifex oculos nobis dedit non ad alium vsum vel priorem vel potiorem, quàm vt iis cælestia intueremur; quem vt mox quiuis agnosceret, sic oculorum facultatem temperauit, vt citra lucem nihil apprehenderet. In tenebris ceteri sensus omnes munere suo funguntur, non secus ac meridiano Sole splendente. Tactus an non nimius noctu nedum temperatus? Quid deest gustatui cæcorum, num minus ceteris saporum norunt discrimina? Iam quando suauior vocum modulatio omniumque sonantium organorum harmonia, quàm concubia nocte? Philomela nostratibus hac ipsa de causa

Alauda natura hominibus sedulò imitanda.

Terrenis quousq. operam dare liceat.

Oculi ad quẽ vsum hominibus potissimùm dati.

In tenebris omnes sensus præter visum munere suo æquè ac in luce fungũtur.

Nachte-

Nachtegael dicitur, quòd varia vocum suarum dulcedine noctem reddat iucũdissimam. Nachtegael.
Nec odoratum nocturna caligo impedit, nisi fortè vt thalami sui rosas odoretur sponsa, faculis opus esse credas. Solus visus absente luce perinde habet atq. si nullus esset: qua re quod luculentius queat esse documentum eius vsum ad hoc primum & maximè homini datum esse, vt lucem & lucis originem spectet? Atqui vnde lux omnis nisi è cælo? & quamuis faces & cerei & alia flamarum genera nonnihil circa se luminis diffundant, totum tamen quantulumcumque illud est è cælestibus corporibus acceperunt, citra quorum influxum elementa hæc inferiora nec calorem nec lucem haberent. Verumtamen quamuis tam vecordes essemus, vt huius luminis corporum terrenorum fontem è cælo esse nesciremus, illustrissimum tamen ex huius luminis cum corporum cælestium luce comparatione existeret argumentum, ad terrena omnia præ cælestibus contemnenda & pro nihilo æstimanda. Fingamus nobis quàm maximum incendium, quale vel Troia dedit vel Gomorrha vel Roma cùm à Nerone incendiario spectaretur è turre Mæcenatis in colle Quirinali. Iam concedo vt harum trium vrbium flamas coniungas; quantulum rogo tota hæc pyra luminis diffundet? Num fortè si tanta Romæ & in suburbanis fax arderet, tu Velitris media nocte litteras citra alterius luminis adiumentum legere posses? Ne Albæ quidem aut Tusculi, tametsi illinc & è monte desuper & tanto propiùs ignem intuereris. Quantulum igitur mométi hic ignis habet ad totam aliquam regionem colluſtrandam? Confer hunc non dico Soli, sed Lunæ, & ne huic quidem plenæ, sed corniculatæ; & cerne quàm immani discrimine maximum maximarum vrbium incendium ab exiguo & imperfecto Lunæ splendore superetur. Hinc iam collige de terrenæ flamæ magnitudine cælestis corporis ingentem molem; quæ tanto maior, quanto latiùs lumen ipsius diffunditur. Quid iam dices de Sole, si de luminis portione corporum molem examinaris? Quid multis? vel vnicus Sol satis te docebit, si modò non otiosè consideretur, quàm nihil sint hæc omnia terrena, & quàm infinitis interuallis cælestia omnia his anteponenda. Videamus Solis splendorem, magnitudinem, celeritatem vix mente assequendam; adde reliqua sidera, & eorum varias motiones, & constantem diuersarum motionum conuentum: vide quid inde hæc inferiora elementa accipiant, quamque sint in cælestium potestate, dum pro eo ac illa ducunt choreas, hic omnia vel læta virent, florent, fetus edunt; vel contrà tristia iacent, & turpi caluitio consenescunt & emoriuntur. Huc igitur architectus naturæ totius spectauit, dum visum citra lucem nihil posse vellet, vt sciremus hunc sensum ad hoc nobis datum, vt illius originem inquireremus, cuius solius beneficio vsum eius nobis dari nouissemus. Nostratis linguæ faber oculi tale fecit nomen, vt ex eo mox hic vsus, quem natura nobis demonstrat, fieret apertus. Oog enim oculus dicitur, quòd eius partes sint, vt alta in nostrum vsum conuertamus; & altis conspectis Og dicamus; id est, vt optemus ex imo pectore ipsis altissimis adesse. Og optantis est, Hoog altum, Oog oculus. Sed hæc eius loci quo figuram eius litteræ quam Hebrei Ain hoc tẽpore efferũt, ad causſam suam vocabo. Hîc illud tantùm volumus, vt intelligatur qua via alas queamus nobis comparare, quibus cum alaudis ad cælum, terrenis omnibus procul relictis, euolemus. Oculorum esse dixi cælum eiusque pulcritudinem nobis offerre intuendam: sed qua ratione? vt cælos pro diis colamus, aut Solem nobis Deorum supremum statuamus, vt quosdam legimus fecisse? Minimè gentium. Verùm quò ex admiratione tantæ machinæ; tam splendidæ, tam ornatæ, tam denique omnibus modis admirandæ in eius cogitationem veniamus, qui eam construxit, & cuius causſa cõstruxerit, inuestigemus. Primùm igitur ex summa pulcritudine hoc consequemur, vt hæc terrena perinde atque alauda cõtemnamus: deinde vbi ratiocinando eò fuerimus deducti, vt illud tam pulcrum opus hominis causſa à creatore factum intelligamus, tum verò ingenti primùm stupore corripiemur, ingenio nostro tantam bonitatem non capiente: at dum paullatim vires resumemus, & accuratiùs tantum beneficium animo reuoluemus; tum tandem tanto amore accendemur, vt hic internus ignis alas producat, & indies magis atq. magis confirmet. Hic itaq. alatus amor nos cum alaudis in cælum subuehet, nihil amplius memores terrenorũ, sed totis iis inhiantes gaudiis quæ ex tá mirifico spectaculo oculis nostris vltrò exhibito cõsecuturos nos speramus. Tum demum firma fide patrem orabimus, vt nos ad vitam illam admittat, quam galerita apud priscos denotabat.

Lux cælestis quantum superet luminà terrena.

Visus citrà lucem nihil potest.

Oog.

Og.

Hoog.

Alæ quibus cum alaudis in cælum subuehimur.

Cælestium corporum contemplatio quem fructũ adferat.

Et hæc quidem de alis, quæ non multum à Socratis philosophia principiò recedere videntur: at dum accuratiùs examinantur, ad ea deuenitur, ad quæ nec Socrates, nec Pythagoras, nec quisquam naturæ ductu peruenire quiuit. Quis enim de morte patris vitæ cogitauit? quis si vel à Sibylla vel ab alio vate accepisset, vitæ datorem priùs mori oportere, quàm nobis vitam communicaret, non exclamasset quauis Chimæra absurdiora dici? Quæ igitur de morte patris ante terræ creationem fabula hæc continet, ea nullo modo ingenij sui viribus vel philosophi vel philosophorum magistri consequi potuissent: nihil vt mirum sit, si nemo hactenus mortalium de eius explicatu cogitarit.

Sphinges quare ante templorum fores collocari consueuerint.

Collocari solent sphinges pro templorum foribus, & in ipsa etiam Palladis galea, vt monerentur homines in iis quæ viderent, se mentem suam & omnem intelligentiam captiuam dare debere ipsis religionis arcanis; nec fas esse de iis iudicare, nisi mox leoninum diuinitatis robur & celerem vindictam exspectare vellent. Hoc enim in prisca

Sphingis vocis etymon.

nostra lingua Sphinx significat: sic dicta, quasi Sie-phincs. Redigenda enim intelligentia erat in captiuitatem, dum sacros ritus & cærimonias, quarum causas ignorarent, homines videbant. Hoc itaque Sphinx significabat, tametsi primaria eius notatio ad altera, atque adeò ad summam religionis Christianæ pertineret: cuius consideratio suo loco seruetur. Habuerit hæc Sphinx alibi suum locum, & eum quamuis bona ratione, nusquam tamen habuisset iure potiore, quàm in vestibulo fabulæ de alauda confictæ: in cuius hieroglyphica pictura non video quis dicere queat se captum non fuisse. Iis solis datum est, vt horum similiumque intelligentiam consequantur, qui Dei gratia in Christianorum numerum sunt cooptati, cui soli quicquid habemus bonorum acceptum ferre debemus. Huic etiam alas debemus, quas nec oculorum vis, nec mentis acumen post Adæ lapsum reddere potuisset. Neque enim omnes qui cælorum volumina intuentur, atque etiam diligenter numeros eorum & harmoniam scrutantur, ex eorum contemplatione eo quem diximus amore incenduntur, & idcirco alarum quidem tenue quoddam sentiunt exordium, sed imperfectum, & longè minus quàm vt iis pertingere possint ad cælestem veritatis lucem. Hoc enim est quod D. Paullus dixit, philosophos ad Dei quidem notitiam ex operibus eius peruenisse; verùm quem cognouerunt, non vt Deum honorasse. Frustra igitur illis oculi, frustra mens fuit, quando ad verum videndi scopum & vsum non adspirarunt. Perdiderant alas eorum animi, sed ignorabant qua id sibi causa accidisset. Admirationem terrenorum Socrates caussatur: at quis vt terrena admirarentur & amarent animos induxit? Hîc hærent, quia nec scripturas sacras, nec dilucidam maiorũ traditionem, germana Spiritus sancti dona, acceperant; sed solo corrupto & excæcato animi sui iudicio temerè ferebantur; & in eo tandem acquiescebant, vt ipsum corpus nobis à Deo carceris loco datum putarent, eique semper conuicium facerent; ceu cum ipso nulla homini posset contingere beatitudo. Quemadmodum autem vbi & qua occasione alas perdidissent ignorabant; ita nesciebant quoque cuius adiumento possent renasci. Habebant illi quidem fabulam de galeritæ patris morte & sepulcro, sed quid illa facerent citra Spiritus sancti illustrationem? Nos Deo gratias agamus, non semel, sed septies quotidie, id est, quàm possumus perfectissimè, de hoc lumine nobis prælato; quo illud cerneremus, quod extra Christianorum fidem frustra quæreretur. Oremus itaque cum alauda quotidie sepies, in cælum quàm altissimè conscendentes, ne frustra nobis hæc sint reuelata. Frustra autem reuelata essent, si galeritæ imitatione neglecta, opus nostrum in terrenis poneremus. Sed dices: Multa quidem tu de alis, de adscensu, de galeritæ imitatione, sed necdum video quî possum terra relicta in cælum conscendere, quo ex altiore loco paternum auxilium inuocarem. Neque enim quicquam eiusmodi in sacris litteris inuenitur; quibus nisi tua consentiant, vide ne nugari te iudicent omnes. Scio sanè, nec quisquam ignorat scriptum esse, neminem in cælum adscendere, nisi eum qui de cælo descendit;

Qua via in cælum adscẽdendum.

& eum quidem filium hominis esse qui est in cælis. Quomodo ergo nos adscendemus? Ea ipsa nempe via & ratione, quam eodem loco expositam videmus. *Sicut Moses*, inquit Christus, *exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hîc audimus omnem nostrum adscensum per fidem eam esse, qua credere debemus filium hominis, & eundem filium Dei in crucem esse sublatum. Hæc igitur fides est quæ alas nobis dat, & vnà cum

Christo

Christo adscendere facit ad vitam æternam. Opus ergo alaudæ, quæ alio nomine Vitæ opus vocatur, fides est in crucifixum. Iam Deum velle vt terrena relinquas & galeritam sequaris, paullo pòst in eodem euangelio docemur. Ea enim ratione mundum iudicari & condemnari Christus dicit, quòd homines magis tenebras quàm lucẽ amarent. Diximus lucem è cælo descendere, tenebrosa esse terrena, nisi à cælo illustrentur. Quid igitur aliud est tenebras amare, quàm amare terrena? Sequamur ergo lucem è cælo venientem, & ad eam cum galerita, quoad captus mentis nostræ feret, adscendamus: & adscendamus quidem alis fidei, quæ vitam operatur æternam, quam Leeuwerc nobis nomine suo designat. Iam & in orando te galeritam sequi debere facilè cernes, si examines quæ sibi loca veteres ad orandum delegerint. Nónne sacrificaturus Abraham adscendit in montem, idque aperto Dei iussu? Quid? an non & Mosi mandatum, vt immolaret Deo in monte Oreb? Quid dicam de monte sancto toties in sacris litteris repetito? Quid de monte, ad quem Christus cùm adscendisset vt oraret, tres apostoli tantum diuinæ maiestatis specimen viderunt, vt Petrus attonitus in eo manere vellet? Iam quid sibi volunt excelsa? quæ licet ad idolomaniam fuerint translata, argumentum tamen præbent, homines à maioribus suis accepisse, loca alta sacrificiis & Dei laudibus maximè conuenire. Ceterùm dicet quis, num Deus qui nobis vbique coràm est, tanto propiùs abest, quanto altiùs adscendemus? Eamus itaque quò facilius exaudiamur ad crystallina Alpium cacumina, & illic super perenni glacie genua flectamus. Absit, absit vt cogitemus non æquè in planitie atque in Caucaso Deum nobis adesse. Quid igitur excelsa, quid montes volunt? Ad cærimonias videlicet id referendum, quæ rebus externis nos commonefaciunt eorum quæ nobis in animo nostro sunt gerenda. Montes enim externi & terreni altitudinem mentis nostræ adscendendam esse demonstrant, dum à Deo volumus exaudiri. Quando verò hunc mentis apicem conscendimus? Hoc te docebit Christus, vnica & vera victima in monte sancto oblata. Tu, inquit, cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Quis hìc mons in cubiculo clauso poterit cogitari? Ille nimirum, in quem adscendimus, dum omnibus curis terrenis exclusis diligenter ostium claudimus, ne quid terrenum mentis cubiculum intret, quo de vertice suo detrahatur. Quis autem vertex? Eleuata cogitatio ad ipsum Vnum patrem vniuersorum, ad quem pyramis vitæ nostræ terminatur. Si in cubiculo mentis nostræ conum siue pyramidem inuenimus cuius vertex ad Vnum pertingit, hanc conscendamus, & in suprema eius parte cum Magdalena Vnum eligente consistamus; hinc enim audiemur. Hoc dum faciemus, id quod alauda volatu suo monet fuerimus exsecuti: & sicut illa oratura patrem, terrena fugit, totamque se mortalium oculis quoad potest subducit; ita & nos eadem fugiamus, mentis nostræ foribus excludentibus omnia quæ impedire possent diuinorum meditationem, & nos ex apice pyramidis nostræ detrahere in terrestrem negotiorum turbam. O benignum orationis magistrum! O facilem montis adscensum! In ipsis intimis domus nostræ penetralibus montem nobis monstratum videmus; ad cuius verticem vt euadamus, non per salebras, non per saxa, non per angustias, non per præcipitia caliginem incutientia, non per niues aut perennem glaciem est anhelandum; sed dumtaxat ad intimum domicilij nostri conclaue est eundum: in quo dum erimus, facillimo gradu ad apicem mentis perueniemus. Quî, rogas? Eo ipso modo quo Magdalena, sedendo nimirum ad pedes Domini. At si sedebat, quî conscendisse dicetur? Id Christus aperuit dum vnum dixit esse necessarium, ad quod Magdalena sedens contendebat, non corpore, sed mente. Ipsum igitur Vnum apex est montis siue vertex pyramidis, cuius effigiem alauda in capite gestat. In hieroglyphicis Harpocratem sedentem videmus; & eum quidem sic sedentem, vt pedibus inutilẽ dicant: quo quid aliud volunt, quàm eum minimè idoneum esse ad eos discursus qui in negotiis terrenis peragũtur, sed totũ vacare rebus diuinis? Huic vt in vertice nullus est conus; ita auris est sincipiti imposita, adeò longa & acuta, vt alaudæ conum vincat: qua denotatur, mentem sursum totam esse erectam, & iam in fastigio suo versari. Videmus itaque, vt priscæ illæ veterrimorum patrum sacræ notæ cum ipsa consentiant veritate: &, vt fieri possit ne quis sedendo ab adscensu impediatur; immò, vt necessarium sit eum sedere qui velit ad apicem mentis suæ peruenire. Alaudæ itaq. in altum

Fides, alauda seu vitæ opus.

Mõtes & excelsa loca maximè Dei laudibus & orationi conuenire.

Mons cuiusmodi sit in quo Deus orãdus.

Harpocrates quare sedeat.

Harpocratis sincipiti cur longa auris imposita.

volatus totus ad id referatur oportet, quod altero suo apud Cimbros nomine declarat. Cùm enim per illud se vitæ opus facere polliceatur, sitque hominis vita non in corpore, sed in mente, quicquid eius symbolo continetur, id ad hanc, non ad illud pertinere intelligendum est. Quamobrem si bene rem supputemus, prius erit cum mystico Harpocrate & cum Euangelica Magdalena sedendum, quàm cum alauda euolare possimus: & quò quietiùs sedeamus, ad ipsum domus nostræ penetrale Christus iubet secedere, ne quis importunus interpellator ex improuiso tranquillitatem perturbet. Remittenda igitur omnis corporis actio, quò mentis vigor intendatur; nec aliàs omnino ad sublimia euehi poterimus, quàm prorsus otiosi in secretissimo secessu quiescamus: & tum quod Scipionem aiunt dicere solere, licebit & nobis profiteri, Numquam nos minus otiosos esse, quàm cùm sumus otiosissimi. Huius quietis quanta vis esset non ignorauerunt illi qui Græcis eam loquendi consuetudinem inuexerunt, vt otiari eos dicerent qui sapientiæ studiis inuigilarent: à quibus ad nos scholarum nomenclatura peruenit. Latini perquàm eleganter eos philosophiæ vacare dicunt, qui toti sapientiæ studio sic tenentur, vt vacui sint rerum ceterarum. At si vsquam omnes externæ curæ deponendæ, certè non alibi magis, quàm dum ad Deum orandum mentem nostram eleuamus; nisi tam simus ab omni communi sensu alieni, vt eum qui omnia præsens videt, omnia audit, alloqui velimus, aliud interim agentes. Bene in sacris accumebatur preces pro communi salute fusuro: Hoc age. Quoad igitur eius fieri potest, cum galerita terram, id est, corpus nostrum, & omnia ad corporis curam spectantia procul relinquamus. Aiunt Socratem ad viginti quatuor horarum spatium vno vestigio immotum constitisse, nescio quid contemplantem: quo tempore non cibi aut potus, nõ alia corporis necessitate videtur potuisse excitari. Similia & maiora etiam cùm apud exteros, tum apud Christianos legimus: è quibus hoc nobis ad exemplum trahere oportet, vt dum Deum accedimus, totum corpus omnesque eius curas exuamus; atque liberis ad cælum animis rapti, iam nunc immortalitatis rudimenta meditemur. Narrat D. Augustinus, Calamensem quendam sacerdotem sic rapi solere, vt nec spiritum ducere videretur, nec sectionem sentiret, aut ignem admotum. Hunc vtinam inter orandum imitari possemus, quo corporis huius vinculis soluti, cum alauda in cælum præpetibus alis attolleremur. Latissimè sese hæc extenderet contemplatio, si pro eo ac meretur eam persequi aut virium esset nostrarũ, aut propositi præsentis: verùm ea abrupta, ad illam alaudæ considerationem reuertamur, quæ nobis conclusit vitæ opus, quod & symbolo & nomine eius denotatur, fidem esse in Christum, qui seipse vitam esse dixit; cui, iustum ex fide viuere, D. Paulus adiecit. Cùm igitur vitæ opus sit, Christo vitæ datori fide inniti, videamus an & hoc hieroglyphico aliquo signo prisci patres denotarint. Sed quid quæro? quasi non id mox vel à lippis videri, vel à cæcis tangi possit. Nónne diximus septies caput alaudæ in Ægyptiaca Bembi tabula depictum esse, nec tamen alibi inueniri quàm in suprema scipionum parte? Hoc verò quid aliud signare quisquam sibi persuadebit, quàm caput scipionis nostri, alaudæ caput esse debere? Sed quid est scipio? An non id quo gressum nostrum sustinemus atque firmamus? Sicut autem baculo hominum corpora firmantur; ita D. Paullus Colossenses hortatus est, vt fide fundati & stabiles essent; & eosdem alloquens fide firmatos dixit. Idem ad Corinthios, *Vigilate*, inquit, *& state in fide*. Et ad eosdem epistola 2. *Per fidem enim ambulamus*. Et priùs: *Nam fide statis*. Ad Romanos dixit ramos Iudaicæ oliuæ fractos esse propter incredulitatem: & idcirco Romanos monet, quorum oleaster successit in locum oliuæ, vt dum starent fide, nollent altum sapere, sed timerent. Ecclesiasticus vaticinatus est, in sæculum staturam fidem: quod si sic habet, hoc fidei scipione nos firmemus, qui vt perpetuò stabit, ita nobis quoque firmamentum præbebit æternum. Quomodo igitur scipionem eum vocabimus, cuius suprema pars in galeritæ caput desinit? Galeritæ baculum? Bene quidem: sed cùm hoc dicis, quid aliud dicis quàm baculum fidei? En quò venimus rerum! Fidei baculum, quo solo vita nostra stare potest, inuenimus in hieroglyphicis signis. quem si de nostro sermone ab auicula, qua est insignitus, nominaremus, Leeuwerts staf diceremus, id est, firmum viuifici operis scipionem. Nunc opus vitæ est ipsa fides; nihil vt interfit vtrius nota baculum designes. Qui Christophorum depinxerunt, diligentissimè obseruarunt vt in periculosissimo humanæ vitæ freto,

Orantes Deũ, omni corporis actione, & mentis cura carere debere.

Otiari.

Vacare philosophia.

Socratis ecstasis.

Raptus Calamensis sacerdotis.

Alaudæ capita quid significent in suprema scipionũ parte.

Baculus fidei tessera.

S. Christophoro baculus cuiusmodi adpingatur, & quid significet.

hinc

hinc Charybdi, hinc Scylla, hinc aliis monstris præsens exitium intentantibus firmo baculo niteretur. At quo, quæso, baculo? Quo alio, quàm baculo fidei? cui si toti incumbamus, nihil est tam horridum, tam efferum, tam multis mortis periculis obnoxium, quod non secuti peruadere possimus. Firma enim & inconcussa fides omnia firmat, & stabilia reddit; tametsi vel totus Oceanus quicquid habet vndarum, quicquid habet monstrorum, immittat ad ruinam. Ceterùm quia fides sine operibus mortua est, & nihil, nisi viuat per caritatem, roboris suppeditat; non otiosè id in Christophori baculo considerandum, eum semper à pictoribus frondentem nobis proponi; quo demonstretur, in sola viua fide & charitatis operibus animata, totum scipionis Christiani consistere firmamentum. Iam quia primum & antiquissimum viuæ fidei opus est, Deum perpetuis precibus orare & laudibus efferre, in summo virentis scipionis apice alaudam pictam videmus; in iis præsertim tabulis quæ genuinam olent antiquitatem. Memini dum puer essem frequenter parentes, quibus cum templũ frequentabam, interrogasse, quî fieret, vt auicula ea quæ frondibus baculi insideret, non auolasset, dum S. Christophorus arborem, qua baculi vice vtitur, euelleret. Mirum enim id mihi videri, propterea quòd dum ego studiosè passerculos sectarer, nullus vmquam tam quietus consedisset; verùm me ad arborem super qua sederent, propiùs accedente, confestim, quantum alis possint, aufugissent. Ad quam illi puerilem quæstionem sic respondere solent, auiculam eam non metuere, eo quòd creatorem suum humeris S. Christophori insidentem videret, cuius præsidio freta laudes Deo suo cantillaret. Iucundum mihi est hanc simplicitatem recordari, eo maximè quòd ab eisdem meis parentibus non semel audiuerim, alaudam septies quotidie sursum euolare ad laudes Deo canendas. Conferenti enim mihi hæc nostratia cum vetustis, admirabilis quædam sese offert consensio sæculorum: quæ quanti sit æstimanda, vt sinceris animis & veræ sapientiæ de priscis auctoribus quærẽdæ studiosis liquere nihil ambigo; ita vt aliis persuadeam minimè laborabo. Hoc saltem venit in lucem, S. Christophori baculum, & fidei baculũ esse, & in eo cum scipionibus Ægyptiacis conuenire, quòd supernè etiá alauda sit insignitus. Chananæorum certè regio, cuiatem S. Christophorum fuisse scribunt, proxima est Ægypto; ita vt nihil miri videri debeat, si Christophori pictura hac parte cum hieroglyphico scipione consentiat. D. Antonio cur Tau appingi videamus, suo loco, si recordabor, docebo: hîc illud non citra causſam suspicor, primam Christophori imaginem vel ab Ægyptio quopiam, vel ab eo qui hieroglyphicorum non fuerit imperitus, depictam fuisse; & idcirco attributam Chananæo, quòd primus Christophorus, atque adeò ipse Christus, natus sit in regione ea quæ olim fuit Chananæorum. Quid Abraham ex Chaldæis, fidei Christianæ princeps electus, an non ad Chananæos commigrauit, vt illic Christum ferret quem exspectabat? Verùm hæc peculiarem sibi librum postularent, si perinde atque merentur à nobis essent explicanda. Sufficiat pro tempore hoc de fidei baculo annotasse, quo Christum ferentis firmitas continetur. Quemadmodum verò religionis antiquitatem in galeritæ nominibus, quibus apud alias nationes vocatur, nequicquam quæreres, & multo minùs vitæ opus in iis inuenires; ita frustra vel apud Latinos, vel apud Græcos, vel apud alios firmitatem inuestigares in baculi nomenclaturis. Soli nostrates sunt qui scipionem sic nominant, vt ex ipso vocabulo mox cernas, eum nec ad feriendũ, nec ad mensurandũ, nec ad boues agẽdos esse comparatum, sed dumtaxat & præcipuè ad firmitatem. Mirari satis non possum nominum nostratium & symbolorũ conuenientiam: quam tantam esse video, vt dubitare nequeam, ad quam nationem & quem sermonẽ hieroglyphica in Ægypto conseruata oporteat referre. Aliis baculis alia nomina damus; at eũ quem manibus tenemus ad nitendi vsum Staf vocamus: cuius nominis, licet monosyllabi, ratio è duabus vocibus, quibus coaluit, petenda. Sta idem nobis est quod Sto: quod conuersum accipit adspirationem, vt contrariæ sit notationis. Haſt enim vocali longa idem est quod accelero. Quæ vocum retrò legendarum ratio cùm linguæ nostræ sit præcipua atque peculiaris, efficitur vt & Latini & Græci verba, quibus idem quod nos in Sta intelligimus, significant, nostræ linguæ debeant, tantum abest vt nostrates in eorum sint ære. Altera compositionis pars est Hef, quod idem nobis notat quod leuo. Sta-hef ergo, & more nostro quæsita dictionis breuitate, Staf, id notat, quod stantem leuat: qui vt proprius vsus est scipionis; ita vlterius quiddam videtur

S. Christophori baculus cur alauda insignitus.

Baculi nomenclaturis apud Cimbros artificium.

Staf. Sta. Haſt. Hef.

indicare, quod sit diuinius. Neque enim vt stes tantùm Staf pollicetur, sed pollicetur præterea te ope sua eleuatum iri. Sed quid hoc rei, vt fortasse saltes? Ita, si placet. Nam ad saltandum quoque iuuabit, sed præstantius est quod promittere videtur. Solet nomenclator noster sic plerumque facere vocabula, vt rationem eorum non tantùm ad primum & omnibus expositum rerum vsum comparet, sed ad symbolum etiam spectet, si insignis aliqua vtilitas inde consecutura videatur. Cùm igitur cerneret animis nostris id esse fidem, quod corporibus scipio præstat; illud scipioni nomen dedit, vt corporis quidem fulcro non malè conueniret; at rectiùs tamen exprimeret eius vim, cuius scipio tesseram habiturus esset. Fides enim non stare tantùm hominem facit erectum, sed altiùs etiam leuat quàm vmquam steterit antea quàm cecidisset. Neque enim Adamus ante lapsum suum eo in statu fuit, licet fuerit in iucundissimo & felicissimo, vt non per fidei baculum eleuetur ad longè sublimiorem. Agnus enim non solùm nos à draconis veneno curauit, & pristinæ restituit valetudini; sed tanto fecit diuiniores, vt & filij Dei simus, & sibi cohæredes, non in terreni paradisi, sed in regni cælestis possessione sempiterna. Bene itaque fidei baculus Staf dicitur, eo quòd statum nostrum insigniter eleuarit. Porrò quia architectum sermonis nostri in hac voce ad diuinum quiddam respexisse cernimus, vlteriùs consideremus, an quod in aliis plurimis sacrosanctis nominibus fecit, in hoc etiam obseruarit, vt conuersio non contrarium, vt in aliis, notaret; sed id quod proprium & præcipuum esset eius quod prorsa voce significaretur. Docui in Hermathena, & alibi, ni fallor, monui, St pro vna littera frequentissimè haberi, atque idcirco in vocibus conuertendis integram manere, ordine compositionis non mutato. Ex Staf itaque fiet Fast; quo firmum atque immotum notari nemo nostratium ignorat. Neć hîc repetam, V & F litterarum cognationem, quarum illa in hanc transit dum vocabulum claudit. Neque enim ex Vast fit Stau/ sed Staf; & ex hoc in numero plurali Stauen. Sic ex Vol facimus Lof; & hinc rursus Louen. Hinc dicimus € fast vel vast geloof pro firma fide. An non hîc rursus licet videre, symboli ratione hanc firmitatem scipioni magis conuenire, quàm si dumtaxat pro corporis stabilimento acciperetur? Neque enim vllus baculus tantum virium habet, vt corpus perpetuò firmare possit: at hoc fidei proprium esse scimus, vt ea hominis status sic confirmetur, vt ea manente numquam queat vacillare. Neque enim D. Petrus super aquis ambulans mergi cœpisset, nisi hunc fidei abiecisset scipionem: qua de caussa audiuit: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Mirificus ille linguæ nostræ faber, cuius diuinam mentis sollertiam, aut potiùs vaticinandi vim à summo Prometheo concessam quanto magis contemplor, tanto magis obstupesco; tale fidei nobis dedit vocabulum, vt si ad prima elementa iuxta Hermathenæ nostræ præcepta deducatur, significet sublimitatis æternæ eleuationem; siue, quod idem est, eleuationem ad æternam sublimitatem. Sic enim Loof interpretabitur, qui litterarum rationem à nobis suo loco expositam sequetur. Quò tamen maiorem perfectionem fidei inesse doceremus, in loquendo ferè particulam præponimus, qua perfectio hominibus nostris indicatur, pro Loof Geloof dicentes. Atque hæc quidem Palladius noster Mercurius in prorsa voce deprehendit. Pergam itaq. demonstrare, quantum in hoc vocabulo Loof siue Geloof lateat arcanæ contemplationis: quæ quidem tanta est, tamque latè patet, vt verear ne vix minimam eius partem angustus ingenij mei captus assequi possit. Dixi quid Loof denotaret de primo elementorum, è quibus componitur, significatu: nunc addamus & alteram caussam, quam faber eius videtur secutus. Quibus in vocibus vocales longæ sunt, eæ posteriores videntur iis in quibus eædem corripiuntur, ceteris litteris manentibus eisdem; propterea quòd longum tempus duobus è breuibus videatur componi. Vt igitur pars toto prior, ita & breue tempus prius longo. Quamobrem Loof posterius erit quàm Lof/ quæ vox laudem significat & æstimationem: & si ad primogenias suas litteras examinetur, signabit altitudinis æternæ eleuationem. Voluit enim nominum architectus illud laudis facere vocabulum, quod nemo vsurpare posset, vt non mox ex eo intelligeret, quem laudibus euehere oporteret. Sublimitas igitur æterna, quæ Deus est, primùm laudibus efferenda; cetera non alia ratione, quàm qua ad Deum accedunt, & modo aliquo referuntur: Vel, vt clariùs dicam, quatenus in ipsis aliquid est diuini; cùm vocis origo postulet, vt sola diuina laudibus exollantur. Iam si vocabulum Lof à fine ad principium reuoces, intelli-

Fides altiùs hominem eleuat quàm vmquam steterit.

St pro vna littera habetur.

Fast.

V dum Cimbricam dictionem claudit, in F transit.

Vast.

Vol.

Lof.

Fidei Cimbricæ nomenclatura artificium.

Loof.

Ge particula vocibus Cimbricis præposita, perfectionem indicat.

Geloof.

Lof.

Laudis vocabuli apud Cimbros artificium.

Laudibus efferenda quæ sint.

intelliges id solum laude dignum esse quod plenum est atque perfectum, quòd Vol vot nostrates dicunt. Præterea hac ipsa voce denotatur, non id modò, laudem Dei præcipuam esse, & soli Deo non alij deberi; sed hoc etiam, quòd is qui laudat, Deum sibi lucrifaciat & consequatur. Ex eisdem enim litteris cognoscas, hominem qui Deum laudat, hoc ipso suo facto eleuari ad sublimitatem sempiternam, & omnibus bonis repleri. Neque enim Adamo ante lapsum alia via erat ad summum æternitatis culmen & bonorum omnium plenitudinem, quàm per laudem sui creatoris; in qua quàm diu mansit, tamdiu terrestris paradisi mansit possessor; atque id quidem tam beata conditione, vt in illo horto non homo tantùm, sed omnes animantes etiam ceteræ perpetua voluptate fruerentur. Verùm simulatque æternam Dei sublimitatem extollere cessauit, pluris serpentis faciens verba quàm Dei præcepta, ab omni excidit voluptate, & omni altitudine, & omni plenitudine, in qua Deum laudando permanebat. Tantum autem aberat, vt tum Deum eueheret cùm serpenti crederet, vt Deum infra serpentem deprimeret, atque hunc ipsa illa sua adsensione Deo faceret superiorem. Quòd si ergo rectè rem omnem supputemus; eò ratiocinatio nos deducet, vt intelligamus, ex ipso Lof ipsum Loof pendere. Quem enim sic extollimus vt ei æternam altitudinem tribuamus & omnium bonorum plenitudinem, quod indicatur voce Lof; ei non possumus non fidem habere. Nam si alij potius quàm illi credamus, iam alius nobis excelsior præstantiórque indicetur necesse est. Quamobrem Lof & Loof sic principiò connexa fuerunt, vt illud esse non posset, quin hoc necessariò consequeretur: & si hoc abesset, illud antè desiisse oporteret. Defecit ergo in Adamo laus diuina, Cimbricò nomine significata, priusquam draconi fidem haberet; atque inde consecuta est omnis malorum lerna. Neque quisquam verè Deum in nostra lingua laudare dici potest, nisi eum summum atque supremum caput statuat totius æternitatis, & vnà plenum bonorum fateatur: quod dum facit, necessariò dictis eius fidem habet, tamquam supremis atque sempiternis, quibus nec meliora nec veriora quisquam alius adferre possit. Huius indiuiduæ connexionis gnarus nostri sermonis artifex, duas voces fabricatus est, quibus hæc alterius rei ex altera consecutio clarè demonstraretur. Intellexit nimirum, nisi Deum super omnia euehendum nobis iudicemus, atque adeò omnibus ceteris rebus anteponamus; quod priore mandatorum, quibus Lex & prophetarum dicta continentur, facere iubemur; non posse nos Deum sincero corde laudare, nec fidem eius dictis habere. Iam quamuis Deus nullum præceptum homini dedisset, debuisset tamen Adamus beneficiorum impulsu & coactu Deum omnibus rebus anteferre, & summum habere, & omnium bonorum plenum confiteri; eo quòd ab eo omnia promanasse vidisset. Vnde efficitur, fidem, quæ Loof dicitur, natura esse ipso Lof, siue vera laude, posteriorem; cùm res per Lof denotata esse queat citra id quod per Loof designatur. Atque hæc quidem prima pars sit considerationis, cur Loof pro fide à Lof deriuetur. Porrò aliud adhuc latet arcanum in vocis Lof vsurpatione. Præter enim notationem modò explicatam aliud designat. Louen enim & gelouen dicimus pro eo quod Latinis sonat promittere. Cùm enim Adam serpentis fraude & à Lof & à Loof excidisset, nihil ei reliquum fuit, quàm vt condemnationem mortis, quam Deus sententia sua sanxerat, subiret, nec quicquam spei erat, vt rursus ad priora illa, veram scilicet laudem & veram fidem, rediret, quibus vita ipsius prior constabat. Deus ergo immensa bonitate sua commotus, promisit fore, vt ex muliere is nasceretur, qui contereret caput serpentis, & omne tolleret venenum. Et quia hæc promissio initium fuit alterius vitæ, sicut prior vita in laude diuina continebatur; diligenter obseruauit sermonis architectus, vt Louen non solùm pro laudare, sed pro polliceri etiam poneretur: & quemadmodum illic Lof prius erat quàm Loof; ita hic rursus promissio Dei præcessit Adami fidem: atque ita vocalis in Louen pro promittere breuis est, quæ in Looven pro credere producenda est. Nec verò citra causam promitto per Lof significatur, quando post Adæ lapsum Dei promissio primùm nos releuauit ad sublimitatem sempiternam; ad quam vt peruenimus, fides nostra sequatur promissionem necesse est. Videte obsecro quibus curæ est humanæ salutis mysteria scrutari, quàm admirabili catena voces hæ rebus ipsis deuinciantur. Vt tamen in his aliquod discrimen teneretur, dum promitto denotatur, dicimus Grlof; & dum laudo dicere volumus, Lof citra præfixam particulam

Adamus defecit in laude diuina priusquam serpenti fidem haberet.

Louen. Gelouen.

Adami fidem Dei promissio præcessit.

Ge efferimus; vt nimirum hac loquendi ratione signetur, laudem diuinam promissione esse priorem; eo quòd vox composita simplicem sequatur ordine naturæ. Præterea sicut promissioni fides respondet, qua promissioni firmiter adhæremus, voluit sermonis magister, vt sicut Gelouen compositè; ita etiam cõpositè Gelooven diceremus. Quòd si curiosè omne artificium linguæ discutiendum esset, adderemus & illud, Gelooven à Gelouen deriuari; eo quòd fides quæ per Geloof notatur, reuera deriuetur à solo promittente; ita vt optimo iure inde nomen ducat, vnde ducit exordium & perfectionem. Quamuis autem in aliud tempus multa sunt differenda, ne longiùs à proposita nobis alauda euagemur; hoc tamen citra indicium præterire nõ possum, arboris folium Loof. Loof etiam dici: cuius caussam hanc esse credo. Mulier audito draconis consilio, vidit lignum scientiæ boni & mali, esse pulcrum oculis & aspectu delectabile, atque ita inducta est vt serpenti crederet. Docuerunt Indoscythica mea quàm formosa arbor ea esset de qua pomum perditionis humanæ decerptum esse sacra scriptura testatur: quo loco tradidi primariam arboris pulcritudinem in foliorum magnitudine & densitate consistere, quibus vmbram præbet ad meridianum gratissimum. Quoniam ergo mulier arboris frondibus potius quàm Dei verbis credere visa est, voluit nominum inuentor huius facti memoriam in vocabulo exstare sempiternam; vt quoties in sermone nostro frondem nominari audiremus, toties in mentem veniret, matrem nostram foliis magis quàm Dei præcepto credidisse; atque inde in nobis hactenus eam hærere procliuitatem, vt folia & inania rerum humanarũ vmbracula pluris faciamus, quàm verum fructum verbi diuini. Dum igitur mundi pompam & omnem eius fucatam pulcritudinem intuemur, confestim cogitemus, cauendum nobis esse, ne parentis nostræ peccatum imitemur, & foliis potius ducamur & vmbris quàm veritate & luce diuina. I nunc & crede foliis, quæ sermo noster inde nuncupat, quòd prima nostra mater eorũ aspectu fuerit decepta, & iis fidem habuerit quæ lumen auferrent; tantum abest vt monstrarent iter ad veritatem. Mirum est quàm nomenclator noster in his vocibus luserit, si fas est lusum dicere ea quibus principium salutis nostræ continetur. Nam quibus hæc fuerint ignota, iis nescio quid omnis disciplinarum orbis vtilitatis adferre possit. Latini, vt non rarò in aliis, ita & in hac voce Loof euersione vocis vsi sunt, adiecta præterea sua terminatione. Et hæc quidem de Loof vocabulo prorsò: nunc eius considerabimus conuersionem. Lof & Fol quam haberent cognationem diximus: eam nimirum, vt cui prima laus debetur, ei insit etiam omnium plenitudo: & qui eum verè laudat qui solus laudandus est, is sibi omnium bonorum conciliat plenitudinem: quam in angelis & beatis clarissimè cernes; qui vt purè & verè laudant eum qui solus laudandus est; ita eo ipso quòd laudant, omniũ bonorũ plenitudine fruuntur. Facit hæc sanè conuersio, vt omnẽ nostram felicitatẽ in laude diuina videamus contineri, atq. adeò nihil laudandum esse reuera præter vnicum & supremum bonũ: quod dum supra omnia extollimus, eo ipso replemur. Loof verò aliam habet in versione notationẽ. Quadam enim tenus in oppositam, quadã tenus in suum finem transit. Neq. Loof enim habitus est perfectus omni ex Fool. parte, neq. perpetuò duraturus. Fool itaq. idem est quod sentio. Atqui sentire & credere idem non possumus. Quod enim credimus, extra sensum sit necesse est. Loof igitur & Loouen. Fool, siue Loouen & Vooleu in rebus præsentibus, siue ad idem eodem tempore collata, Vooleu. inter se pugnant. Verùm si rem aliter consideres, & ipsius fidei scopum & vltimum fi- *Fidei finis & vltimus scopus.* nem examines, inuenies nos eò credere, vt tandem sentiamus. Credimus enim nos Deum visuros in terra viuentium: quæ vana fides esset, nisi tandem ipso sensu cõprobaretur. Verùm eo ipso momento quo sentiemus & Deũ videbimus, non amplius credere dicemur, sed quod antea credebamus, præsens intueri. Vide, quæso, mirabilẽ ipsius Loof conuersionem, quæ sic nos ducit ad contrarium, vt quod cõtrarium est, perfectionẽm eius vltimam contineat cui opponitur. Simul itaque docemur, sensum & fidem *Sensus fidem perficit.* rei eiusdem non esse, & tamen illam eorum esse connexionẽ, vt sensus fidem perficiat tam quam vltimus finis. Verùm lõgiùs abripimur. Ad propositũ nostrũ sufficiebat recta ipsius Loof siue Geloof expositio, quæ ad altam æternitatem nos à fide leuatum iri pollicetur. Congruentissimum igitur symbolum fuerit scipio; & quia eius vsus sit leuare corpus; & quia nomen à leuando ducat, à quo loof quoque deriuatur. Cùm itaque alaudæ caput, quæ Leeuwerc / id est, opus vitæ vocatur, scipioni imponitur; denotatur

cum

eum demum firmum fidei baculum esse qui vitæ operibus coronatur. Nec rursus vitæ opus esse potest, quod fidei baculo non sustineatur; quoniam nimirum ea sola opera ad vitam conducant quæ fidei innituntur. Quamobrem non vulgaris aut leuis caussa est ob quam alaudæ caput scipionibus impositum videmus. Multus fuit & varius in sacris scipionum vsus; sed qualis qualis is fuerit, eò tamen semper spectabat, vt quicquam fulciret atque firmaret, pro eo ac Staf & Fast denotare dixi. In sacris autem Ægyptiorum non scipionis tantùm frequens erat vsus, sed ipsius etiam Cimbricæ nomenclaturæ, è qua hieroglyphicæ significationis facti sumus certiores. Sacerdotes enim Ianigenarum sermonē in arcanis suis omnibus vsurpabant, ne à plebeiis hominibus sollemnia sacrorum verba intelligerentur, nisi de ipsorum interpretatione. Sic dum sacerdos nouus in mortui locum publicè deligebatur, ad populum præco dicebat, Πύρωμος ἐκ πυρώμου, quod est, vt Herodotus interpretatur, καλὸς κ' ἀγαθὸς ἐκ καλοῦ κ' ἀγαθοῦ: quæ locutio pura puta nostras est, sola præpositione, quæ interponitur, differens. Eodem modo in illa illustri Iosepi inauguratione, qua totius Ægypti ab ipso Rege potestatem accepit, primùm præco clamauit אַבְרֵךְ, quod nobis Oberecht diceretur. Quòd si tam sis religiosus, vt ne Tau quidem addi permittas, habebis Oberech/ quod idem prorsus designat ac si supremum rectorem dicas. Deinde Rex faustum felixque esse iubens tantum imperium, sacris verbis addidit פַּעְנֵחַ צָפְנַת; vbi litteræ integræ sunt conseruatæ, sed puncta à Massoritis imperitè adiecta. Nobis constat sic legendum esse, vt dicatur Staphnot/ Phogenoch/ id est, scipio necessitatis, pasce sufficienter; siue, sufficiens suppedita alimentum. Vt verò clarè cerneretur, nihil in hoc Regis facto citra sacerdotum auctoritatem constitutū dictúmue fuisse, mox expressis verbis dicitur Iosepo sacerdotis filia nupsisse. Quàm verò nihil ad rem faciant quæ interpretes hîc somniarunt, nolo prolixè persequi. Quod enim priore loco dicunt אַבְרֵךְ significare, vt omnes coram eo genu flecterent, id neque Grammaticæ constructioni consentaneum est, neque in rem præsentem quadrat. Quorsum enim præco clamet genu flectendum esse, dum ipse Rex cum Iosepo circumuehitur, quasi id populus non vltrò facturus fuisset? ac deinde, quid ad Iosepum, si Rege præteruehente genu flecteretur, cùm is honos Regi sollemnis esset? Quid? licet hanc interpretationem admitteremus, nihil tamen dignum tanta pompa in genibus flexis haberemus, nec quicquam omnino explicatum, qua tandem Rex Iosepum potestate donaret, & in quam dignitatem assumeretur: quod caput erat totius negotij & publicæ festiuitatis & inaugurationis. אברך igitur supremum iudicem & summum magistratum significat: quam vocem Cæsar quoque in Commentariis suis exposuit, dum Vergobretum interpretatur, vt nos in Gallicis declarauimus. Adde quòd ipsemet Moses hanc vocem interpretatur, dum dicit eum hoc præconio præfectum fuisse toti terræ Ægyptiorum. In altero autem quid ad rem facit, dicere Iosepum saluatorem mundi; cuius rei nullam apud Hebræos, nullam apud alios significationem habemus, cùm nobis nihil magis perspicuum sit, quàm his litteris illud nobis denotari, quod modò sum interpretatus? Certè in primis decebat, aut potius necessarium erat, vt populus de præconis voce intelligeret, quorsum tota pompa spectaret, ac quo magistratu Rex Iosepum ornaret. Quoniam autem tota hæc in republica constituenda mutatio ac nouitas ex diuino Regis somnio procedebat, non dubium est, quin magnis cærimoniis & certis ritibus omnia fuerint diligenter à sacerdotum collegio procurata, & nomen faustum è sacro sermone sumptum, quo noua Iosepi dignitas nuncuparetur. De Ianigenarum itaque lingua, à quibus totam suam Theologiam acceperant, vt vox Bec declarat, Iosepum Oberecht indigitauerunt, quo supremus magistratus, siue summus iustitiæ præfectus denotatur. Porrò cùm iam ad hanc dignitatem esset euectus, Rex eum publicè hortatus est, idque verbis de sacro itidem sermone conceptis, vt bene officio suo fungeretur, ac semper cogitaret, se totius Ægyptiacæ necessitatis scipionem esse, & ab ipso exspectari sufficiens totius regionis ad multos annos alimentum. Vt autem decet sacra & regia verba breuia esse & sententiarum plena, non pluribus quàm quinque syllabis totam admonitionem conclusit: quæ tamen talis fuit, vt totius dignitatis caussam comprehēderet ac explicaret. Nam Stafnoot/ Phogenoch ad verbum significat, scipio necessitatis, ale sufficienter. Clarum itaque nunc est, apud Ægyptios sacerdotes non scipionis tantùm in sacris symbolis

Sacerdotis noui apud Ægyptios inauguratio.

Iosephi in Ægypto inauguratio.

Iosephus quo magistratu in Ægypto fuerit functus.

Oberecht.

bolis vſum fuiſſe, verùm & ipſum Cimbricum nomen apud eos ad Ioſepi vſq. ætatem manſiſſe: quod Moſes, vti vir omni Ægyptiorum diſciplina inſtructiſſimus, non contentus fuit per interpretationem tantùm referre, ſed ipſis litteris fideliſſimè expreſſit, quoad eius Hebraica ſcriptura permittebat. Nam loco F quo Hebræi & Græci carent, Phe poſuit: nec quicquam omnino melius facere potuiſſet. Iam cùm ſciamus quid alauda ſignificet, ſciamus item quid ſcipio, Cimbrico ſermone Staf nominatus, deſignet: liquet ſcipionem, cui alaudæ caput impoſitum eſt, tantundem ſignare ac ſi dicamus vitæ noſtræ fulcrum eſſe debere laudes diuinas: ac præterea eo ipſo vlteriùs indicari, fidem viuis operibus coronatam totius humanæ vitæ continere firmitatem. Quid? quòd & eo modo ſcipionem hunc exponere non incommodè nec inconcinnè poſſis, vt dicas totius firmitatis humanæ ſupremum apicem eſſe alaudæ caput, id eſt, laudes diuinas in vita ſempiterna? Nunc ergo tandem intelligimus, cur Alauda dicatur non auiculis modò ceteris, ſed ipſa etiam terra antiquior fuiſſe. Cui & illud ex Hieroglyphicis acceſſit, vt clarè cernamus, hoc ſymbolum nec apud Græcos primùm, nec apud Ægyptios natum eſſe; ſed originem ab ipſis Ianigenis habere. Hinc modò & illud perſpicuum, conum ſiue pyramidem vitæ quondam habuiſſe ſignificationem, vt ex vocabulo Leefwerc, quod eſt alterũ alaudæ nomen, clariſſimè conſtat. Non eſt igitur quòd amplius de figura Alef ſit hæſitandũ, quin ea debeat Alaudæ tympum imitari. Quamobrem dum Alef audimus, de Leefwerc cogitemus; & vtriuſque nominis monitu pyramidis ritu ad Vnum contendamus: qua in re vera vita continetur.

LIBER IX.

Bet.

POSTQVAM præceptor diſcipulum hortatus eſſet ad veram vitam, mox rectum iter ad eam ipſam ad quam incitauerat, oſtendit; iubens nimirum orare. Neque enim aliunde quàm ab oratione vita eſt exordienda. Vt igitur quid ſit orare intelligamus, verbum Bet, quo iubemur orare, examinemus. Conſonans B ſic Terentiano pronunciatur, vt labella comprimat, & eorum oras figat. Bet igitur preſſum & fixum contactum ſignificat, quo ipſi Vni, quod per E denotatur, nos iungimus: cui ſiue Tau accedat, ſiue non, eadem manet ſignificatio. Hinc mox cernitur, orare nihil aliud eſſe, quàm ſe Vni apprimere & affigere; & idcirco omnem orationem ad ipſum Vnum pertinere. Vnus ergo Deus orandus. Iamblichus & Proclus orationem, cõuerſionem ad ipſum Vnum eſſe definiunt, quæ ipſum quod cum eo quod oratur, vnit. Hac omnia noſtra ſuper Deo dicũt fundari, & ab ipſo Deo huius medio nobis largam omnium bonorum fieri communicationem. Plurima ſanè & hi & alij philoſophi de oratione inſigni elegantia diſſeruerunt, ſed ea omnia duabus litteris ſermo noſter & expreſſit & circumſcripſit; dum orare ſic deſcribit, vt non aliud ſit quàm ipſi Vni ſe affigere, quàm fieri poteſt preſſiſſimè. Nihil enim eſt tam longè à ſupremis remotum, quod non citra omne medium ab Vno eſſe ſuum accipiat. quod dum ſe ad ipſum Vnum, vnde pendet ac ſuum eſſe accepit, refert, & ei ſe ſuprema ſui parte affigit, vt inde boni quippiam affricetur & emanet, dicitur orare. Hinc liquet verum illud eſſe Theodori dictum, Omnibus orandum, Vno ſolo primo excepto; propterea quòd primum non habeat ſuperius à quo pendeat, aut ad quod ſe tamquam boni fontem referat. Precum itaque hanc dicunt eſſe naturam, vt nos vniant cum eo quod oramus. Quid autem illud ſit cui preces effundere debemus, verbum noſtras apertiſſimè declarat; ipſum videlicet Vnum. Verùm quia omnis vnio ab Vno procedit, & precum natura dicatur vnio eſſe, perſpicuum, ipſas quoque preces ab Vno, tamquam à prima ſua cauſſa manare. Proclus cauſſas orationis efficientes dixit eſſe virtutes ſiue poteſta-

B litteræ pronunciatio & ſignificatio.

Orare quid.

Orandus quis ſit.

Orationis cauſſa.

potestates diuinas, quibus Dij homines ad se reuocant atque conuertunt; quod nos melius & significantius ad ipsum Vnum accommodamus; quo cernatur, ipsum Vnum non ceterorum modò bonorum nobis causſam esse, sed ipsas etiam nobis suggerere preces, & ad orandum prouocare. Mirifica profectò vocula est ipsum בה, qua hæc omnia denotantur. Ipsum enim B consonans intra labra fixum maneret, vt Terentianus docet, nisi ab E foras protruderetur. Oramus igitur ipsum Vnum: & vt orare Vnum & possimus & velimus, ab ipso Vno accipimus. Obstupesco sanè, dum huius vocis artificium cum iis confero, quæ doctissimè à philosophis de oratione disputantur: quæ licet sint prorsus admiranda, longè tamen ab hac vocula superantur; quæ mox omnem deorum excludit multitudinem, & clarè demonstrat & Vnum orandum esse, & ab Vno vt oremus nos habere; ac præterea in ipsa hac pressa & fixa cum ipso Vno coniunctione, finem quoque orationis contineri. Neque enim vni affixi esse possumus, vt non simul participes simus eorum quæ ab Vno fluunt bonorum. Atqui ad hoc omnis oratio tendit, vt ab Vno boni aliquid accipiamus. Atque hæc quidem de בה: quæ vox vt verbum, & iterũ vt nomen pro precibus vsurpatur: quod nostratibus notius, quàm vt sit exemplis docendum. Nunc ichnæam huius versionem consideremus. Hanc mox geminam videmus; alteram vt ex בה fiat בהּ adspiratum, quo temporis longi loco adspiratio succedat, vt in לה & הל. Hoc modo intelligimus omnes preces ad eum scopum ferri, vt per eas aliquid habeamus: quo fit vt is qui orat, fateri cogatur sibi aliquid deesse quod cupit ab eo quod orat impetrare; cui rei vt per se claræ & euidenti, non est immorandum. Altera conuersio est, qua ex בה fit בא. quæ admirandam nobis offert significationem, ad quam intelligendam altius est hominis origo & conditio examinanda, quàm à philosophis aut vmquam factum sit, aut fieri etiam possit. Cùm Deus principiò hominem in paradiso constituisset, statim incidit in draconis inuidiam & odium. Hinc euestigiò oppugnatur à vagis vndis tentationis dæmoniacæ. Quia igitur huic inuidiæ & odio obiiciendus erat vir, Adam dictus est, ceu הַאדָם diuisis vocalibus nominaretur. Adspirationem in compositione tolli, & Tau è medio crebrò eximi, ac non rarò in media littera latêre, vnum est de iis quæ linguæ nostræ sunt vsitatissima. Adam igitur ad verbum significat aggerem inuidiæ & odio obiectum. Elegantissima autem est comparatio, qua cacodæmonis malitia mari & vndis confertur, eo quòd, quemadmodũ mari numquam est fidendum quantumuis tranquillo; ita nec diabolicæ inuidiæ, quam Aten vocamus. Semper enim aliquid monstri alit; & dum maximè blanditur, horrendas meditatur procellas, haud secus ac in summa pelagi malitia sæuissimæ tempestates timentur. Adde nunc monstrorum varietatem, adde belluarum vastitatem, adde occultos scopulos, adde Syrtes, adde voragines, adde cetera pericula quibus mare infestatur, & hæc omnia cum cacodæmonis malitia siue cum Ate Homerica confer; non ouum ouo similius, quàm hæc inter se videbis. Cùm igitur Adami nomen in mentem venit; cogitemus nos periculosissimo pelago obiectos esse, ac veluti aggeres perpetuis Ates vndis pulsari, ac nihil propiùs esse, quàm vt rimis fatiscentes, ab vndis superemur atque euertamur. Quamobrem si in hoc periculo semper simus, nec aliunde quicquam metuendum; quid naturæ magis consentaneum, quàm cupere liberari ab hoc tanto malo, à quo perpetuò oppugnamur? Si enim hinc summus metus & summum periculum; necessariò consequitur, vt ab eo vehementissimè quoque desideremus liberari. Rogamus ergo hoc primum & ante omnia, vt vndæ à nobis recedant: quod dum fit, securi sumus, nec vllus metus est, vt agger noster rumpatur. Recessus autem vndarum maris siue refluxus אב vocatur. Ex בה igitur אב fieri cupimus, & huc oratio omnis spectat, vt tentationum vndæ retrò à nobis discedant. Hoc Christus clarè indicauit dicens: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem:* quasi diceret eum primarium orationis scopum esse, vt liberemur à tentatione. Sic in oratione Dominica oramus, ne inducamur in tentationem; sed liberemur à malo; quod nostro more diceremus, oramus vt Ates, siue tentationum diabolicarum, vndæ refluant, & à nobis discedant. Monemur itaque in בה & אב nobis, vti Adamis, id est, odij & inuidiæ vndis ritu aggerum obiectis, orandum semper esse, vt hoc procellosum dæmoniacæ malitiæ pelagus refluat atque discedat; nec aggerem nostrum sola terra constantem, & idcirco infirmum, amplius pulset ac vexet. Quanta est, bone Deus, nomen-

Orationis finis. בה.

H adspiratio Cimbrica in locum temporis longi succedit. הבה.

אב.

Adami etymon.

Damonis malitia aptissimè mari & vndis comparatur.

אב.

Orationis scopus primarius.

clatoris noſtri & ſacrarum litterarum concordia! quàm perpetuus in ſummis religionis myſteriis concentus! Infinita de precibus diſſeri queant, ſed ſi omnia rectè diſcutiantur, ad harum duarum litterarum ſignificationem quicquid de oratione dici poteſt, referatur neceſſe eſt. Prorſa enim vox בה nos Vni alligat, atque ita ſumma donat felicitate. אב iterum ſecuritatem ab omni malo præſtat: quæ integra non continget; niſi ab hoc corpore liberati æterna perfruamur quiete, nullas ampliùs tentationum procellas timentes. Qui בה audit, non ſolùm intelligit orandum ſibi eſſe; ſed vnà intelligit quem orare debeat, ac præterea quid orare debeat: nimirum vt ipſi Vni preſſiſſimè hæreat, nec ab eo ſeiungatur. Quid hoc aliud eſt, quàm primùm quærere regnum cælorũ; cùm nihil aliud ſit regnum cælorum, quàm ipſi Vni firmiter adhærere, nec vmquam ab eo ſeparari? Iam vlteriùs dum ex בה ad אב ſe mens noſtra conuertit, an non mox cernit, non aliud ſibi orandum eſſe, quàm vt æterna ſecuritas detur à malorum impetu & tentatione? qua re æterna quies continetur. Quicquid igitur ad orationem ſpectat, id totum breuiſſimo compendio בה & אב comprehendit, & clarius exponit quàm longa oratione poſſet explicari. Quid? quòd ipſum etiam ſupremum orationis, & orationis exemplar nobis oſtendat, ſi rectè omnia expendas. Dum enim preſſa coniunctio cum Vno in בה denotatur, monemur vt ad illud cogitatio noſtra adſcendat, quod preſſiſſimè ipſi Vni eſt coniunctum. Quamobrem quia Vnum Pater eſt, nec Patri quicquam aut preſſius vnitur, aut fixiùs hæret quàm filius; ſtatim intelligimus, ſupremum precatorem filium eſſe: & quia hic proximus Patri adhæret, nos non poſſe Patrem niſi per hunc contingere, nec ei preſſè adhærere, niſi medio filij. Vt igitur ipſe litterarum ordo ipſum בה filio videtur conſecrare; ita & ipſa litterarum, è quibus בה componitur, natura & conſtructio filium deſignat arctiſſimè Patri adhærere, atque idcirco ſemper orare; quo fit, vt ſi nos Patrem accedere velimus, ad eum venire nequeamus niſi per filium; & conſequenti ratione nequeamus etiam Patrem orare niſi per filium, qui patri ſic proximus adſtat, vt primus imaginarius circulus ipſi centro. Quemadmodum itaque ad centrum venire nequeas, niſi per hunc proximum orbiculum centro vndique incumbentem; ita neque ad Patrem acceſſus patet, niſi per filium; qui circulus eſt è centro eductus. Quid? quòd nemo Patrem nouit niſi Filius; tantum abeſt vt quiſquam Patrem orare poſſit, niſi per Filium & notitiam habeat Patris & acceſſum. Quò verò cum Filio vniremur, atque ita in Filio Patrem orare poſſemus, Filius naturam noſtram aſſumpſit, & corpus ſuum nobis dedit comedendum; quò ſic ſibi vnitos ad Patrem deduceret. Chriſtus ergo verus noſter eſt mediator, cuius medio Patrem accedimus & oramus. Quemadmodum autem per hunc ſolum orare debemus; ita per hunc ſolum id verè conſequimur quod per אב dixi denotari. Niſi enim huic vniamur, numquam malorum vndæ à nobis recedent; ſed contrà nos euertent, & vnà ſecum in abyſſum trahent, & totos deuorabunt. Quid igitur בה & אב ſibi velint, ex his reor ſatis liquere. Eadem verò ſignificatio eſt ipſius בת; niſi quòd בת in ב & ת ſoluatur, vt intelligatur arcta cum capite coniunctio. Idem autem eſt caput quod Vnum, atque ita eodem pertinet ſignificatio. Nec aliud ipſa denotat conuerſio. בת enim תב facit, quo ſignificatur & ad habendum aliquid orationem ſpectare, & finem eius vltimum eſſe, vt תה אב/ id eſt ad vndarum receſſum, veniamus. Porrò in בת paullò etiam plus artificij continetur, quàm in בה; propterea quòd בת etiam melius ſignificet, atque ita indicetur, oratione nobis aliquid quæri quod melius ſit eo quod habemus. Poteſt tamen & בת ſic exponi, vt arcta ſit cum Vno coniunctio; quo modo Tau ad בה adiici intelligitur, vt vinciendi vim addat; & ita nihil aliud ſit בת, quàm arcta atque compreſſa cuiuſpiam cum Vno copulatio. Vide, quæſo, quàm copioſa ſit & abundans rationibus ſtructura in hac tam exigua vocula, & quàm artificioſè rem eam depingat pro qua vſurpatur: quod vt clariùs intelligas, ſuadeo vt Procli in Timæum eam commentariorum partem diligenter euoluas, quam orationis naturæ explicandæ dedicauit. Nunc reliquum eſt vt videamus, qua maximè aſpectabili figura ipſum orare, quod בת imperat, ob oculos poni queat. In primis genua eſſe flectenda iis qui corpus ad orandum componunt, de plurimis ſacræ ſcripturæ locis eſt apertum; & tam apertum, vt ſuperuacaneum videatur, in eo docendo vel vnum facere verbum. Notiſſimum eſt illud: *In nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* Nec minùs notum illud: *Viuo ego, dicit Dominus,*

Orãdus Deus Pater non niſi per Filium.

בת quid ſignificet.

בת litteræ figura.

Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu. Apud Michæam legimus: *Curuabo genu meum Deo excelso.* Ex his aliisque infinitis perspicuum fit, eum cui omnia genu flectere debent, non alium esse, quàm eum quem orare per ket iubemur. Operæ pretium hîc fuerit considerare quid genua flexa designent. Possemus forsan ex aliis id nouisse; verùm quem potiùs interrogemus, quàm ipsum sermonis nostri architectum? qui cùm in ceteris vocibus fabricandis excellentissimum se nobis præstiterit doctorem, non dubito quin in genu quoque nominando parem adhibuerit diligentiam, vt in hac corporis parte insigne aliquod relinqueret documentum. Genu knie nobis dicitur: è qua voce Græci γόνυ, Latini Genu fecerunt. Est autem knie contractum ex kan-nie; quo significatur, nihil possum, & nihil scio. Voluit igitur nomenclator, vt genua symbolum essent infirmitatis humanæ, quæ nihil per se vel potest vel scit facere, quo suam tueatur salutem. Vt verò cui confiteri debeamus nos nihil vel scire vel posse intelligeremus, ex knie fecit kniel verbum, quo significatur genu flecto vel geniculor. Quòd si kniel exponas & in partes suas soluas, idem fuerit ac si dixeris kan-nie-el/id est, nihil possum, nihil scio, ô altissime. Hæc illa vera est confessio quam Deus à nobis exigit; qua claris verbis testamur, nos nihil virium, nihil facultatis habere ad nos ipsos adiuuandos: quod dum facimus, fatemur nos infimos esse & Deum esse altissimum: illum omnia posse, vt in summa cælorum arce sedentem; nos nihil prorsus vel scire vel posse; atque idcirco nos hac humilitate depressos, ad ipsum suspirare, vt nos iuuare dignetur. Et hæc quidem recta via est, per quam ad sublimitatem peruenitur optatam. Dixit enim is qui mentiri non potest: *Qui se humiliauerit, exaltabitur.* Sic & virgo Dei genitrix in ode sua cecinit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Iesus filius Sirach, *Oratio*, inquit, *humiliantis se nubes penetrabit.* Iessæus item Lyricen: *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælis & in terra?* Idem alibi: *Cor contritum & humiliatum non despicies.* Infinita mihi sint citanda testimonia, si omnia proferam quibus humilis spiritus commendatur. Quamobrẽ si Deum ex alto ad preces nostras benignũ respicere velimus, id faciamus quod sermonis nostri architectus in kniel nos commonefecit, & vnà cum ipso dicamus: Nihil scimus, nihil possumus, ô altissime. Tu ergo da cognitionẽ necessariã, da facultatẽ necessariã, vt & ea cognoscamus quæ nouisse oportet, & ea facere possimus quæ facere debemus. Videmus hîc summã totius orationis, videmus viam per quam oratio nubes penetrabit, & ea nobis apud altissimũ impetrabit, quorum & cognitio & facultas nobis est necessaria. Quid autẽ est, quòd dicimus nos nihil nouisse? Profectò vt plurima nobis scire videamur, nihil tamen scimus; eo quòd res ipsas non nouerimus per ipsam primam caussam, à qua omnium rerum essentia & proprietas dependet. Prima enim caussa humano ingenio sciri non potest; sed à solo Filio, qui Patrem nouit, reuelatur. Iam non quouis modo caussam primam nouisse satis est; sed necesse est, vt eam nouerimus per Iesum Christum Deum & hominem, de quo dictum est: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per eum factus est, & mundus eum non cognouit.* Hoc igitur illud est quod nos ignorare confitemur; & idcirco coram Deo nos humiliamus, vt certam notitiam & fidem Christi vnici seruatoris nostri ab ipso accipiamus. Et verò ad amussim conuenit oratio Alphabetica cum hac interpretatione verbi kniel; eo quòd prior eius pars petat altum librum, quo hac scientia continetur, ad nos demitti; quo nimirum ex eo ipsum caput rerum omnium cognoscamus. Potestas autem quam nos nullam habere dicimus, ea est de qua idem euangelium sic habet: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Vides hîc primùm nobis lucem dari per quam Christum videamus atque cognoscamus; & ex hac notitia nobis fieri potestatem, vt filij Dei euadamus, & per consequens Christi cohæredes. Cùm igitur genua flectimus, confestim in mentem ipsius verbi kniel & eius interpretationis veniat, quò in summa humilitate confiteamur, nos nihil eius scire, nihil eius posse, quod ad veram vitam est necessarium, & proinde orare Deum, vt vtrumque nobis ex alto suo throno largiatur, quò & sciamus Christum Dei filium, & per hoc ipsum possimus effici filij Dei & Christi cohæredes. O Christe vera lux mundi! O Spiritus sancte omnium arcanorum

Genua flexa quid significent.

knie.

Genua humanæ infirmitatis symbolum.

kniel.

Humili spiritu ad sublimitatem peruenitur.

reuelator, quàm benigna aura & clara luce primo nomenclatori affulsisti, dum hoc verbum Ianiel sic conderet, vt hæc in eo mysteria & continerentur, & ab iis omnibus qui litterarum norunt naturam, clarè cernerentur! Ex his modò liquet, orationem fieri debere genibus flexis; & sic flexis, vt maximè flecti possunt: quod fit, dum femur & tibia sic comprimuntur, vt nates calcaneis insideant: qua forma ineptissimi sumus ad omnem progressum; & idcirco bene ad hoc dispositi, vt dicere verè queamus, nos nihil posse. Porrò quis brachiorum inter orandum situs esse debet? Id ex Mose discès: quo manus ad Deum leuante, Amalec cædebatur: & rursus manus demittente, Israël vincebatur. Quamobrem Aaron & Hur manus Mosis fatigatas sustentauerunt vtrimque vsque ad Solis occasum; atque ita Deus Israëlitis victoriam annuebat. Rogemus hîc rursus nostrum nomenclatorem, ecquid de hoc orandi ritu annotarit? Ecquid annotarit verò? Nusquam videtur vel diligentiùs vel apertiùs in symbolica ratione sequenda fuisse versatus. Cùm enim El ipsius Vnius sublimitatem significet, de clarissima litterarum natura & pronuntiatione; voluit vt eadem voce totus hominis cubitus significaretur; quò nimirum moneret, primum huius membri vsum esse, vt ad ipsum El siue altissimum eleuetur. Sicut igitur in Ianiel altissimi nomen intexuit; ita cubitum simpliciter El vocauit; quoniã primarius eius vsus esset in eleuatione ad Deum inter orandum. Porrò vt videas quid cubitus tibi præstet dum ad Deum eleuatur, ipsum El examina, & mox intelliges tuam quoque naturam cum cubito in altum tolli. Deinde quantum preces homini adferant perfectionis, ex eodem cubiti nomine discès, cùm audies pro mensura vsurpari. Nam si hominem cubito metiaris, mox eum reddideris quadratum, id est, si Aristotelem in Ethicis præeuntem sequamur, omnibus numeris perfectum & absolutum. Quattuor enim cubiti totam humanæ staturæ longitudinem dimetiuntur; atque adeò hinc fit, vt El nobilissima sit mensura. Latini ex El Vlnam fecerunt, tenui primæ vocis vestigio retento. Videmus ergo orationem vlnis ad Deum eleuatis fieri debere, ac ea nos consequi, vt non modò eleuemur, sed perfecti etiam efficiamur & tetragoni citra omnem reprehensionem, vt Simonides Aristoteli præcinuit. Aliquando tamen El pro toto brachio à scapulis ad extremam vsque manum figurata locutione, qua pars primaria & præstantior pro toto ponitur, vsurpatur: quo modo Ellenbog pro brachij curuatura dicimus. Est igitur El pro brachio ad eandem regulam factum, qua Oz pro aure, & Oog pro oculo; sumta nimirum ratione à principe ipsius membri vsu. Quamuis autem hæc architecti diligentia maximam mirabilitatem facere possit, multo tamen maius artificium in Yant/ qua voce manus denotatur, delitescit. In Tau littera docebo, in Ægyptiaca Bembi tabula plurimarum imaginum manibus huius litteræ figuram teneri. Quia igitur nomenclator videbat, nullum esse manus officium vel excellentius, vel salutarius, vel diuinius, quàm hanc litteram apprehendere; sic nomen fecit, vt eo significetur idem ac si dicas Latinè, Altè ad T, vel exalta ad T. Nec verò eo contentus, eadẽ voce & illud dedit intelligẽdum, Exalta ad ipsum Vnum: quod integrè diceretur Ye ant e; vt videlicet in T vocalis e intelligatur, cuius accessione in Alphabeto vocali exprimitur. Yante igitur, siue apocoptôs Yant/ duo significat, alterum

Oratio quo corporis positu fieri debeat.

El.

Vlna etymõ.

Ellenbog.

Yant.

Manus cuius rei tessera sit.

T littera vis & significatio.

exalta

exalta ad T, alterum exalta ad ipsum Vnum. T autem consonans, Platoni vinculi habens potestatem, dum ipsi E præponitur, apertè demonstrat, se vinculum esse quo quippiam cum Vno copulatur: quod quale sit si nouisse velis, figuram ipsius litteræ intuere, & mox crucem esse deprehendes, qua Vni mortales deuinciuntur. Iubet ergo nomenclator, vt manum ad hoc vinculum apprehendendum attollamus; quo ex eo tamquam sacra ancora omnis salutis nostræ spes dependeat, & eius medio ipsi Vni deuinciamur. Licet verò & Haut sic soluere, vt ex Hau an T dicatur componi, quo notatur apprehende ac retine ipsum T. Miranda sunt hæc, ne dicam stupēda; sed tamen talia vt ad vnguem conueniant cum Hieroglyphicis Ægyptiorum signis: è quibus perspicuū fit, hæc non esse mei cerebri commenta, sed vetustissimis olim Ianigenarum symbolis esse consignata, & hactenus in ipsorum antiquitatibus conseruata cerni. Vide mihi tot sacrarum imaginum manus ipsum T apprehendere ac tenere, ac coniecturam inde fac, cuius rei tesseram manus nomine is voluerit indicare, qui eam Haut vocauit: quæ vox eam sui monstrat, quam dixi, solutionem. Siue igitur dicas Hau an het e / & contractè Haute/ ac deinde per apocopen Haut/ siue Hau an T/ idem ferè dixeris; propterea quòd T consonans cum è vocali pronuntiata, exponat crucem vinculum esse quo Vni copulamur. Quamobrem sicut vlnæ ad Dominum altissimum eleuandæ; ita & manus attollendæ ad ipsum T, & iis ipsum T sibi tenendum, quo eius medio ipsi Vni colligemur. Manus itaque coniungimus, & coniunctas suprema parte ori applicamus, quo hac coniunctione coniunctio & copulatio, quam oratione quærimus, exterius designetur; & præterea rectæ & extensæ manus ori applicatæ, crucem forment siue ipsius Tau figuram. Hac itaque ratione ipsum T exprimitur, à cuius apprehensione manus nomen accepit: Et quia oratio ex ore prodit, & manus vnà cum ore transuerso crucem delineat, fit vt intelligamus, orationem cum cruce intelligendam esse, si velimus eius sentire efficacitatem. Nisi enim Christus in cruce peccata nostra luisset, nec nos Christo iungeremur, nec eius medio ad Patrem veniremus, atque ita ne orare quidem cum vllo fructu possemus. Stupendus profectò consensus est primarum vocum & hieroglyphicarum apud Ægyptios notarum; atque adeò hæc ex illis, & illæ ex his certissimam accipiunt interpretationem; & sic mutua opera viam aperiunt ad ipsam priscæ & perennis philosophiæ veritatem. Ceterùm vt clariùs etiam cernas, quantam sermonis architectus in omnibus nominibus eorum quæ ad animi salutem pertinent, curam gesserit, considera Cimbricum digitorum nomen. Vinger enim idem significat quod inuenire desidero. Quid verò hoc ad digitorum naturam? Num fortassis in tenebris hunc digitorum vsum esse designauit, vt iis aliquid palpando inueniremus? Minimè gentium. Quid igitur? Nempe monere voluit, omnem inueniendi facultatem numeratione absolui: ad numerandi verò artem digitos maximè esse comparatos. Numeros enim omnes digitis indicamus; quo fit, vt meritò nomen habeant ab inueniendi desiderio. Eo namque omnis numerandi ratio spectat, vt quicquid in rebus abditum latet, supputando perueſtigemus; atque ita tota sapientia arithmeticis rationibus continetur; quæ tota in eo versatur, vt omnibus rectè supputatis & discretis ad ipsum Vnum ascendamus. Et videtur alioqui naturæ instinctu factum, vt quoties quicquam attenta cogitatione quærimus ac inuestigamus, digitos ori inseramus, quasi illi iuuent ad inuentionem. Sic cogitabundos homines vngues rodere videmus, ceu è digitis ea quæ mente quærunt, exsugere niterentur. Hinc vngues rodere in prouerbium abiit, pro attenta mente cogitare. Sic Persius,

T quo mānuum positū formetur.

Vinger.

Digiti ad numerandi artē maximè comparati, & inueniendi desiderij sunt symbolum.

Vngues rodere.

Nec pluteum cedit, nec demorsos sapit vngues,

de carmine non accuratè nec inuento nec digesto, nec bene omnino supputato. Eodem modo Horatius:

Sæpe caput scaberet, vinos & roderet vngues.

Vtamur ergo ad hanc rationem digitis, cùm aliis in rebus quærendis, tum maximè in vocibus primis examinandis, in quibus singulæ litteræ & earum potestates diligentissimè supputandæ, & accuratè quærendum in quas particulas voces distrahi possint, & quot modis & syllabæ & elementa omnia tum expressa, tum latentia queant numerari, tum prorsa, tum versa serie considerata. Quòd si hac digitorum opera in Cimbrico manus nomine vtaris, & illa quæ dixi, & alia fortassis adhuc mysteria latere deprehendes; & ex iis ad veram orationē, & eam quæ sola ad vitam vtilis peruenies, cognoscēsque

quis cùm manuum, tum ceterorum artuũ positus in orante esse debeat: quem vbi inueneris, antiquissimam litteræ Bet figuram videbis, quæ linea extrema orantem hominem terminante constat. Quid dico fortasse? cùm certò sciam te inuenturum, quod vbi sollicitis digitis supputaris, sis stupore quodam maximo admirationis capiendus; si de mei quidem animi inclinatione licet iudicare? Quamuis enim ea quæ de Vntel/ de el/ de manu, de digitis exposui, admirandum artificium ostendant; longè tamẽ illustriora reddentur, si paullò accuratiùs ad digitos vocentur. Equidem confiteri cogor, me sæpius in sermonis nostri mysteriis præuaricari, & non pauca omittere, quæ non sine laude addere potuissem. Corrigam ergo hîc meipse, & totum orantis habitũ & membrorũ positum ab imis vsque pedũ digitis repetam, quando hi in summa humilitate, per corporis delineationẽ expressa, primi esse debẽt. Digitus igitur pedis Teen vocatur: quo mox monemur, ex imis vsque operum nostrorũ principiis nos ad Vnum debere spectare; quod cum vocabulo be eximiè congruit; propterea quòd, vt hîc ad Vnum ipsius digiti nomenclatura excitamur, ita illic edocti simus, orationem nostram ad Vnum fieri debere. Post digitos plantam pedis videmus, & deinde calcaneum, mox pedem, hinc talos: quibus omnibus per nomina sua explicatis, oratio continetur ad eũ qui omni ex parte vnicus est & simplex, tria diuersa petens; quorum primum ad Patrem, secundum ad Filium, tertium ad Spiritum sanctum refertur. Dicitur enim Plant Heel voet enckel. Plant autẽ idem est nostratibus quod planto, vel planta Latinis, qui hanc vocem à nobis retinuerunt. Plantare autem cùm passim à Prophetis Domino attribuatur, tum ipse Christus hæc apud Matthæum locutus est: *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Heel autem siue Heel idem est quod calcaneus, cùm corporis partibus tribuitur: At dum vt verbum vsurpatur, idem est ac si dicas, sana & in integrum restitue: quod qui nescit filio esse tribuendum, is nec Prophetarum principem legit, nec scit cui salus generis humani & tota sanatio debeatur. Voet nunc pes dicitur: qua de voce Græci suum ποὺς, Latini pes habent, mutato digamma in π. Eadem vox, vt verbum in locutionẽ veniens, idem significat quod nutri & ale; quod proprium est Spiritus sancti, qui igneo suo calore id quod Pater plantauit, & filius sanauit, fouet atque nutrit: quod notius est quàm sit sacris litteris comprobandum. Virgilio idem, nescio vnde, suboleuit; nam dixit:

Principiò cælum ac terras, campósque liquentes
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit.

Est igitur orationis huius breuissimæ ternarius alimento spirituali absolutus. Adiicitur in fine ipsius nomen qui inuocatur, quem simplicem & vnicum vocat nomenclator, quod Enckel adamussim exprimit, dum in significationis suæ latitudine vsurpatur. Atque hic quidem quinque partium diuersi generis hieroglyphicus est explicatus. Succedit mox altera oratiuncula, totidem verbis quot prior constans, Scenckel bzaien: quibus vocibus dum pro partibus corporis ponuntur, tibia & sura à talis vsque ad genu denotantur. Eædem voces ad orationẽ integram redactæ, iisdem litteris & syllabis manentibus, idem sonant quod Latini dicerẽt, Largire vt altum consilium capiamus: vel ad verbum; Da sublime consilium. Rogat igitur partium corporis nomenclator, vt omnia consilia nostra omnésq. cogitationes procul à terrenis ad cælestia ferantur. Mox inde ratio adiicitur harum precũ vnà cum summæ humilitatis confessione. Cùm enim post suram & tibiam genu sequatur, ipsius genu nomen sic est compositum vt in partes suas solutum idem dicat quod Latinus verteret, Nihil possum, nihil scio: qua de re modò satis multa. Pars genu adiecta aut potiùs opposita Aesen vocatur; totum deinde femur Dien dicitur: cui coxendix succedens, Hupen dicitur: huic latus impositum ad brachium vsque, Sy nominatur. Ex horum nominum contextu & genu nomine, vt geminam habet significationẽ, bis pronuntiato, & dien bis item in diuersa notatione posito, hæc consurgit sententia: Non possum nec alimentum capere, nec spiritũ ducere, non possum vllam internam habere vitam aut motionem, nisi spes ista sit. Quòd si quisquá tam sit morosus, aut potiùs stupidus, vt nesciat in hieroglyphicis idem symbolum bis posse, vel ter etiam, si res ita ferat, repeti, quò breui notarum complexu multa comprehendantur; simpliciter sic legemus: Nec possum, nec scio vel capere nutrimentum, vel ducere spiritum, nisi hæc spes sit. Vtroque certè modo, & hoc simpliciore, & illo symbolicis rationibus aptiore & orationis series cõtinetur, & infirmitatis extremę

fit con-

Bet litteræ figura.

Corporis partium in orantis positu hieroglyphicus explicatus.

Teen.

Pedis partes.

Plant.

Planto vocis etymon.

Hiel.

Voet.

Pes & ποὺς vocũ etymon.

Enckel.

Scenckel. Bzaien.

Aesen. Dien. Hupen. Sy.

fit confessio, magna humilitate exposita & exaggerata, docens in sola spe & fiducia totam orantis vitam collocari. Hæc igitur à digitis pedum ad brachia vsque partium corporis exterioris & in orante conspicui ritu hieroglyphico leguntur. Eodem modo brachium vsque ad digitos explicandum: brachium enim nobis Arm dicitur: qua voce extra corporis partes pauper & miserabilis denotatur. Sic diuinus ille citharœdus: *Inclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego.* Quid reliquæ partes significent, satis copiosè ostendi: quas si iungas & à brachio incipias, habes hanc saluberrimam admonitionem: Pauper & miserabilis leua cubitum; affige ipsi Tau inueniendi desiderium: quo iubetur, vt totum salutis suæ inueniendæ desiderium aptum habeat atque suspensum ex ipso Tau; qua voce huius litteræ propterea hîc libentiùs vtor, quòd congruum esse rationi putem, vt in hieroglyphicis legendis, hieroglyphicis nominibus vtamur. Capitis partes quia hanc non habent seriem & consecutionem, sigillatim suas habent interpretationes. Oo/ quidem, vt omnis auditio ad audiendam originem eiúque obediendum adhibeatur: Oog/ vt alta perpetuò contempletur: Naes/ vt perpetuò nouum suppeditet alimentum, spiritum videlicet assiduò attractum: Mont/ quo os significatur, ad monendum nobis semper seruiat; atque ita nihil dicat, quod non habeat salutarem aliquam admonitionem: Tant/ dentis nomen geminum, progressus vinculum designat; quasi dicas, Dentes ad hoc esse comparatos, ne verba prorumpant: vnde apud Homerum ἕρκος ὀδόντων habemus. Et in Euangelio: *Non quod intrat in os coinquinat animam, sed quod inde egreditur.* Est enim An/ quo progressus linguæ denotatur, gemino Tau tamquam gemino funiculo alligatum atque septum: atque ita de ceteris partibus cogitandum, quæ omnes vno capite, cuius plura sunt nomina, de quibus pòst, comprehenduntur. Vide modò non in saxis tantùm, obeliscis, & pyramidibus, & id genus monumentis hieroglyphicam sermonis nostri peritis scriptionem esse, sed eam etiam in positu membrorum hominis Deum orantis clarissimè cerni & aptissimis vocibus exponi. Habemus igitur totam hominis orantis delineationem & membrorum angustam quandam inter se compressionem, clarissimam humilitatis & demissi animi significationem: in qua cernes, hominem prorsus in angustum contractum, haud secus atque erinacei se conglobare solent, dum se vndique volunt tueri. Nec vlla sanè est melior custodia, quàm sua cuique oratio, summa cum humilitate ad Deum fusa. Quamobrem si securi esse velimus, semper nobis est orandum, id est, semper pressissimè ipsi Vni hærendum, à quo solo possumus ab omni malorum defendi periculo. Pueri formidine correpti, arctissimè parentes, vel eum in quem primùm incidunt, apprehendunt; & quanto ei strictiùs hærent, tanto se putant esse tutiores. Eandem nos in oratione hærendi consuetudinem naturæ instinctu pueris demonstratam sequamur; & quo pressiùs Vni nos coniunxerimus, eo nos putemus securiores. Legimus in varia Æliani historia, passerculum ab accipitre vehementiùs impetitum in Xenocratis sinum deuolasse, & in eo tuendi sui causa hæsisse. Videmus & canes idem facere, vt dum suis viribus diffidunt, se intra hominis pedes coniiciant, & ei se quàm possunt arctissimè iungant, quò præsens periculum euadant. Quoniam igitur hæc ipsius naturæ est instructio & institutio, in ipsis etiam brutis vim suam clarissimè demonstrans, vt imbecilliora dum in periculo versantur ad fortiora confugiant, turpissimus & pudendus hominis error esset, ac fœda degeneris animi nota, si in discrimine magno, vnde se ipse liberare nequeat, constitutus, non eueftigio ad eum properet à quo solo potest seruari. Atqui quàm diu Adami erimus, id est, odij & inuidiæ diabolicæ vndis obiecti, tamdiu in perpetuo periculo versabimur, ne à procelloso tentationum abysso euertamur & deuoremur. Quamobrem in assiduo vitæ discrimine assidua opus est oratione, id est, perpetua adhæsione nos cum Vno arctissimè copulante. Hæc igitur illa oratio est, quam perpetuam nobis sacra scriptura esse vult; eaque precum vocalium verissima est anima, citra quam illæ mortuæ sunt & ad nihil efficaces. Nihil hîc opus est scholasticis distinctionibus; propterea quòd nomenclator in fixa adhæsione, qua pressissimè nos ipsi Vni coniungimus ad tentationum procellas euitandas, totam voluerit esse orationis naturam, nihil sollicitus verbáne sequerentur an non hanc mentis copulationem. Eo modo Anna quondam orauit, labris & lingua quiescentibus; eo modo semper orare debemus, ne intremus in tentationem, cuius periculum perpetuò capitibus

Arm.

Oo. Oog. Naes. Mont.

Tant.

An.

Oratio sua cuique optima tutio.

Passerculus ab accipitre impetitus, in Xenocratis sinu deuolauit.

Oratio an verba requirat.

nostris impẽdit. Nemo excludit verba, sed ea vt pauca sint Christus præcepit, cuius monitis nec verius quicquã esse potest, nec certius ad salutẽ: quod vnum mihi satis esto ad omnes morosorum hominũ impetus amoliendos. Si D. Paullo contẽtiosæ disputationes non placuerũt, multo minùs mihi placere debent, qui non generatim de tota in vniuersum tracto religione, sed de primis dũtaxat rudimẽtis, pueris analphabetis in primo eruditionis limine à sermonis nostri opifice propositis ad ediscendũ: Quàm igitur absurdum esset, cum rudi hac infantia graues inire contentiones; tam ineptũ quoq. fuerit, me multis hîc vexare controuersiis, quæ in Theologorũ cathedris & subselliis validis frequenter lateribus agitãtur. Per me cuiq. liberũ esto, vt suo more & arbitrio oret; ac de tota precũ efficacitate, pro eo ac visum fuerit, sentiat: interim hoc mihi concessum velim, vt quid verbũ nostras, quo orare designamus, de natura litterarũ & structuræ artificio significet, veris & rotundis verbis simpliciter explanẽ. Sed dicet aliquis: Cùm tu in adhæsione orationis vim colloces, quod erit discrimen inter diuinã laudẽ & orationẽ? Qui enim Deum laudant, arctissimè se Deo iungunt, atque adeò illud faciunt quo nullũ opus est præstantius. Dixi, orationem in adhæsione quidẽ versari, sed non quauis; sed illa cuius finis esset Eb/id est, fluctuũ quibus pulsamur recessus. Addidimus itẽ omnẽ orationẽ ad hoc tendere, vt aliquid ab eo quem oramus consequamur, quod necdũ certum atq. securũ habemus, quod in Heb denotatur. Nam si à tentationũ procellis in æterna tranquillitate securi versaremur, Deũ non oraremus, vt vndæ tentationũ diabolicarũ à nobis recedant; sed eo metu iam toti liberati, Deũ de beneficiis acceptis laudaremus. Oratio igitur indigentis est & in periculo adhuc constituti, tota fundata in firma fide & spe, qua credimus & speramus, ei quẽ oramus & potestatem esse & voluntatẽ nos liberandi à periculis & malis quibus obsidemur. Alaudæ igitur caput fidei baculo additũ, quem Canopũ manibus tenere in Ægyptiaca tabula videmus, æquè ad orationem pertinet atq. ad laudẽ diuinã, atq. idcirco rectissimè fidei scipioni veluti fulcro & fundamento suo impositũ cernitur. Quid? quòd in hac vita malis adhuc obnoxia orare non possumus, nisi laus præcedat; eo quòd credere debeas, eum altissimũ esse & vnicũ, à quo tota tua salus depẽdet, quem vis orare, & te fateri nihil prorsus virium habere? Hoc autem quid aliud est, quàm laudare? Cimbrica certè vox Lof docet excelsam æternitatis eleuationẽ laudem esse. Atqui dum in orando fidẽ, id est, Loof habes, Lof præcesserit necesse est, vti antè demonstratũ. Quisquis ergo orat, Deũ laudat & extollit; quod in Kniel clarissimè videtur: quod verbũ extremam nostram humilitatẽ cum suprema Dei sublimitate confert, qua in re summa laus continetur. Iam non aliũ laudare nomenclator noster iubet, quàm qui & ipse plenus est, & nos plenos reddere potest. Hac igitur spe Deũ oramus, quòd fidamus, eũ nos plena donaturũ esse felicitate. Sed hęc in Lof & Fol dicta sunt. Qui ergo iubet vt semper oremus, iubet etiam vt semper laudemus: & quãdiu in hac vita malis obnoxia versamur, tota laus nostra ad orationẽ refertur; si non apertè, at saltẽ per tacitam consecutionẽ. Summatim igitur Cimbrica oratio in fide & spe fundata tum cessabit, dum fundamenta ipsius cessabunt: Laus verò semper permanebit, vti in ipsa caritate fundata, & plena omniũ bonorum in eo quem secura iam malorum supra omnia extollit. Quemadmodum enim Lof quàm Loof vetustius est; ita etiam Lof manebit dum Loof cessabit: & quia oratio fidei fulcro sustinetur, ea quidem quam nomenclator noster sua voce designauit, necessariò fide cessante cessabit; & tum in puram laudem omnis adhæsio transibit, quia nullus amplius metus erit aut fructuum aut procellarum. Neque tum alaudæ caput fidei baculo amplius sustinebitur, sed ipso suo cono cum ipso Vno perpetuò hærebit, nec vlla vi inde poterit auelli. Atqui illud est quod semper post alias odas terue quaterue voce in longum protracta repetat Di ew di ew di ew/id est, Æternitas æternitas æternitas; hac sua Epinome demonstrans, ad hoc omnes suas orationes & laudes referri, vt tandem cum ipsa æternitate coniungatur. Quòd si verbum nostras, quo Cano denotatur, in partes suas solueris; mox inueneris, omnem cantum referri oportere ad eum à quo omnia dependent. Quid enim aliud est Singe quàm vehemens motus ad ipsum Hinge; id est, ad Deum è cuius potestate totam rerum vniuersitatem suspensam esse non Christiani tantùm, sed Homerus etiam confitetur.

Oratio qua in adhæsione versetur.

Orare non possumus nisi laus præcedat.

Alaudæ cantus epinome.

Singhe.

LIBER

LIBER X.

Gimel.

VM IAM pædagogus Canopum ſuum ſiue bonæ ſpei diſcipulum ad vitam æternam incitaſſet, atque eius exordium orationem eſſe docuiſſet; conſentaneum erat rationi, vt puero necdum docto quæ preces eſſent concipiendæ, & quid Deus eſſet orandus, ipſemet orationis formulam præſcriberet, ac Spiritum ſanctum ſuper diſcipulo ſuo inuocaret. Primùm igitur Spiritum ſanctum alloquitur in numero plurium, vt tertiam in Deo vno perſonam ſiue hypoſtaſin oſtenderet, ac in Spiritu ſancto ſimul Filium & Patrem ſeſe compellare demonſtraret. Numerum autem hunc aptiſſimè per pronomen expreſſit, cuius eſt proprium perſonarum oſtendere diſcrimen. Sic in ſacris litteris legimus: *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram*; & alia ad eandem perſonarum diſtinctionem referenda: quæ omnia referre nihil opus eſt, cùm ſint omnibus notiſſima. Porrò vt eſſentiæ oſtenderet vnitatem, adiecit epitheton numeri ſingularis. Mel enim idem eſt quod reuelo ſiue reuela. Mirifica igitur eſt conſtructio qua dici videtur, Vos reuela. Verùm Mel in compoſitione nominis loco ponitur, pro eo quod reuelat, vt cælum Hemel dicimus, eo quòd altus ſit reuelator: nec altus tantùm reuelator, ſed multo magis ipſius alti reuelator. Nec vocis artificium in hac ſola gemina notatione cernitur, ſed eadem etiam intelligimus, cælum ipſius nobis capitis facere reuelationem, ceu Het-mel diceretur. Quemadmodum ergo cælum altum alti capitis reuelatorem optimè interpreteris; ita Gimel rectiſſimè vertas, Vos reuelator. In diuinis tamen actus ipſe propria quadam ratione ſuum ſibi locum vindicat, vt apud Moſem: *Eſt miſit me.* Eodem modo non citra myſterium hoc loco dicere queas, Vos reuela, id eſt, Vos, cui præcipuè dicere debeo, Reuela. In diuinis enim ſententiæ potior eſt ratio quàm Grammaticæ conſtructionis. Dum enim Reuela dico, votum meum actu exprimo, & quid in præſentia fieri cupiam, in ipſa ſalutatione declaro. Reuelator eſſe poteſt quiſquam qui non reuelat in præſentia: quo fit, vt maior ſit ſententiæ efficacitas ſi Spiritum ſanctum ſic alloquar: Vos reuela; quàm ſi dicam, Vos reuelator. Mel reuelare deſignat de natura litterarum, eo quòd prima huius vocis littera talis ſit, vt de ea Terentianus cantet, *Mugit intus ore.* El autem idem eſt, dum vt verbum vſurpatur, quod in altum tollo. Quamobrem is qui quod occultum eſt in ſublime tollit, facit vt quod antè deliteſcebat, omnium oculis exponatur. Hæc vox conuerſa contrarium denotat, vt ſuo pòſt loco declarabo.

Gimel vocis compoſitio & interpretatio.

Mel.

Hemel.

El.

Proprium autem Spiritus ſancti attributum eſſe ipſum reuelare, vnum eſt eorum quibus nihil eſt clarius. Hic locutus eſt per prophetas, hic in virginem Mariam deſcendit, & ſalutem mundi Ieſum Chriſtum ex vtero virginis reuelauit, hic Ioanni in vtero Chriſti præſentiam reuelauit, hic Simeoni præſentem Chriſtum oſtendit, hic in forma columbæ in Chriſtum deſcendẽs adſpectabili ſigno, addita etiam clara Patris voce D. Ioanni Chriſtum demonſtrauit: hic eſt ille quem Chriſtus pollicitus eſt venturum poſt adſcenſum ſuum, & docturum omnia diſcipulos, & cum eis manſurum in æternum. Summatim, hic eſt omnium diuinorum reuelator, quem idcirco præceptor ſic ſalutat, vt vnà votum ſuum aperiat dicens: Vos reuela. In nomine trilittero, quo ſermonis noſtri architectus Deum nuncupauit, apertiſſima eſt cùm trium perſonarum diſtinctio, tum hæc Spiritus ſancti dignitas. Pater enim Got eſt: qua voce ſimpliciter Deum vocamus. Ab hoc ichnæa conuerſione Filius procedit. Tog enim eodem tempore pronunciatum ductorem & ductum ſignificat: Filius enim omnia è Patris abyſſis ducebat, & patris dono omnem habet & in cælis & in terris ducendi poteſtatem. vnde Menerua ſiue Minerua nominatur. Et Tog quidem à Got ſimplici fit conuerſione, vt Filium à Patre ſolo gigni intelligas. Verùm Toog à Got dum procedit, vocalis duplex tempus adſumſit, cùm in Got & Tog vnum tempus eſſet: quo nimirum cerneretur de temporis analogia, Spiritum ſanctum à duabus perſonis procedere, à Patre videlicet & Filio; atque inde longa vocalis vtriuſque perſonæ æternitatem coniunxit, litteris

Spiritus ſancti proprium reuelare.

Trinitatis myſterium in Cimbrica Dei nomenclatura.

Got.

Tog.

Toog.

teris prorsus eisdem secundum essentiam ; vt nimirum vna eademque trium personarum essentia significaretur. Hoc vocabuli artificium is rectè capiet qui motuũ & temporum analogias de peripatetici magistri regulis didicerit. Ex Coo igitur geminato tempore, & per consecutionẽ necessariam geminato interuallo in eadẽ potentia, Toog fieri videmus; litteris quidẽ manentibus eisdem, sed solo tempore mutato. Est autem Toog ostensio siue demonstrator, ceu Te-oog, id est, ad oculum diceretur. Vt igitur in hoc trilittero nomine intelligimus Patrem omnia effundere, Filium omnia ducere; ita & illud clarè cernimus, Spiritũ sanctũ à Patre & Filio procedentẽ omnia demonstrare & mentis oculis subiicere. Sed de hoc nomine aliàs. Hic sufficiat de sermonis nostri artificio docuisse, Spiritui sancto ostensionẽ & reuelationẽ tribui debere, & idcirco rectissimè per Mel salutari. Nusquã lingua nostra à sacra scriptura declinat; sed ita ei semper inhæret, vt facilè cernas, vtramq. ab eodẽ fonte, & ab eodem doctore manasse; & eum hunc ipsum fuisse, cuius est ea omnia reuelare, quę & ad Dei faciunt cognitionẽ, & ad veram hominis salutem: quem hoc loco magister Alphabetarius Canopo suo propitiũ cupit assulgere. Porrò vt clariùs peruidere possimus, qua maximè figura hæc vocis Mel significatio ob oculos poni possit, considerandum qua via & ratione Spiritus sanctus reuelet. Equidem infinitos reuelationum modos esse non ignoro, at eos ad capita duo non incommodè referri posse cerno. Aut enim Spiritus sanctus ex iis quæ Deus creauit, homines in Dei cognitionem deducit, vt apud D. Paullum docemur; aut singulari gratia naturæ creatæ ordinem & limites egressus, diuina hominibus diuina virgula ostẽdit. Illo modo sapientes docuit vnum Deum esse; & si cari ipsi velle essent, debere ducum eius quem in astris viderent, perpetuò sequi, nec vmquam à rectæ rationis amussi aberrare. Omnis enim diuinus ordo cælorum motu descriptus est; in quo homines, vti in maximo speculo, quid quaque in re sequi debeant, queant intueri. Hinc in illis quæ Orpheo tribuuntur,

Reuelationes omnes ad duos mõdos posse referri.

Cælorũ motu omnis diuinus ordo descriptus est.

Σὴ μὲν ἐν ἄστροις
Τάξις ἀναλλάκτοισιν ἐφημοσύναισι ξέχυσα.
id est, *Certus tuus ordo*
Immutabilibus mandatis currit in astris.

Plato tradidit ex ordine cælorum stabili conuinci, Deum esse huius mundi gubernatorem; sed hunc sensum tamquam procellis obrui, cùm rerum humanarum intuetur cõfusionem. E cælorum motibus Pythagoras, Timæus, Plato, Aristoteles, & ceteri melioris notæ philosophi ad vnius Dei cognitionem pertigerunt. Sic nos præeunte vate canimus, *Cæli enarrant gloriam Dei.* Ad hæc in oratione Dominica patrem nostrum in cælis esse dicimus: quo præter cetera intelligimus, paternam eius maiestatem in cælis maximè apparere; & mox oramus, vt eius voluntas sic fiat in terra, vt fit in cælis: quo rursus inter cetera, quæ plurima sunt, intelligi datur, illud nobis optandum esse, vt quemadmodum cælorum astra ordinem suum semper videmus obseruare citra omnem perturbationem; sic in terris quoque homines vitam suam instituerent, vt numquam à Dei voluntate declinarent. Sed quid multis? Quin hîc quoque sermonem nostrum consulimus? An non modò dixi, Hemel cælum vocari, eo quòd altus sit alti capitis reuelator? quæ nominis ratio cum illo conuenit quod Iesaias præcepit capite, ni fallor, quadragesimo: *Leuate*, inquit, *in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hoc.* Atqui reuelare non potest, nisi eius beneficio & gratia à quo omnis reuelationis scaturigo, ceu è primo fonte, manat. Quamobrem si verum fatebimur, dicemus non tam cælum reuelare, quàm Spiritum sanctum per cælum tamquam per librum quendam nobis patris ostendere potestatem & pulcerrimum ordinem in rebus gubernandis. Spiritus igitur simpliciter Toog & Mel; cælum verò Hemel vocatur, per participationem reuelationis. Verumenimuerò quia homo ab hac Dei voluntate omnia ordinante ac dirigente sese diuelli dæmonis fraude permisit, manca fuit hæc Dei facta reuelatio, nec hominem lapsum ad integram Dei potuit deducere cognitionem, tametsi nonnihil iuuaret. Quamobrem alia pòst fuit opus voluntatis diuinæ reuelatione, posteaquam priorem sibi homo reddidit claudam ac pænè cæcam, & talem, vt ea se ad Deum reducere nequiret. Ea fuit quam Spiritus sanctus prophetis inspirauit, qua generis humani in integrum restituendi mysteria detegebantur; sed sic detegebantur, vt solis illis paterent, quos idem Spiritus ad ea intuenda admisisset, qui totius huius spectaculi vnicus

Hemel.

semper

semper fuit & erit dispensator. Quando itaq. duo habemus reuelationum genera, congruum fuerit orationi, vt duo quoque diuersa signa reperiantur, quibus earum discrimina denotentur. Prioris reuelationis non aliud symbolũ quærendum, quàm ipsum cælum; quando nomenclator cælum ab hac reuelatione Hemel nũcupauit. Nefas enim sit & stolidæ superbiæ, quicquam aptius velle inuenire, quàm ab illo nobis est commonstratum, quem Spiritus sancti ductu omnia vocalia symbola condidisse velimus nolimus confiteamur necesse est; quãdo clarè cernimus, ea omnem humani ingenij captum per infinita spatia superare. Verùm quia reuelationis quæritur signum, necesse est cælum apertum sit, non vndique concluſum. Attamen quò veritas per omnia sibi consentiat, nec aliud sit in signo quàm in reipsa; ratio postulat vt cæli figura sic aperta sit, vt qua parte aperta est, à nobis sit auersa; quo intelligatur prius hoc reuelationis genus nihil facere ad ea homini demonstranda, per quæ iter ad cælum rursus pateret. Est enim homo naturam suam primã & omnem eius ordinem & ductum auersatus, & idcirco non iniuria cælum ea parte clausum est, qua ad hominem respicit. Quoniam itaq. ea quæ dextrorsum feruntur à nobis ad exteriora spectant, cæli figura sic erit pingenda, vt sinistrorsum claudatur, dextrorsum aperta cernatur. At quando frustra nobis hæc reuelatio proponitur, vtpote ex qua ad cælum non datur venire, alterum reuelationis genus accedat necesse est, vt ea ad integram Dei cognitionem & veram felicitatem nobis iter ostendatur. Huius signum inuenire non æquè fortasse fuerit facile. Si tamen corruptam nostram naturam consideremus, ac tandem deprehendamus nos verè pecudes esse, & oues in medio luporũ procul à pastore vagabundas; mox cernemus cuius generis reuelatio nobis sit necessaria. Confestim enim intelligemus, pecori maximè cõuenire vt pastorem habeat, & ab eo ad tuta pascua deducatur, & à faucibus luporum liberetur. Quod verò huius pastoralis officij congruentius fuerit symbolum, quàm pedum siue baculus, quo pastores oues suas gubernant, & ad pabula læta cõpellunt? Nihil profectò ouibus perditis & sine pastore vagantibus salutarius sit, quàm si ipsis tuti pabuli contingat præmonstratio. Quamobrem cùm omnis Spiritus sancti reuelatio ad hoc spectet, vt omnes perditę oues vnum cognoscant pastorem, & eius ductum sequantur; placuit hieroglyphicarum auctori notarum, vt pedum huius reuelationum generis symbolum haberetur. Cùm enim omnia vaticinia ad Christum pertineant, & is se dicat verum pastorem esse, atque Petro & ceteris Apostolis hoc tantum munus dederit, vt oues suas pascerent; nec hoc pascendi officium aliud sibi vellet, quàm vt populum docerent, & ei mysteria salutis reuelarent; non potuit aptius & conuenientius huic reuelationi signum inueniri, quàm pedum pastorale. Totam autem hanc reuelationem, qua populo Euangelium exponitur & doctrina traditur Christiana, ad Spiritũ sanctum referri nemo eorum nescit, qui ea modò cognorit quæ de Spiritu sancto ipse Christus Apostolis suis promisit, quæq. pòst largissimè cum totius mundi admiratione præstitit. Docuerunt Apostoli, docuerunt etiam successores, docent hactenus veri pastores, docebunt item qui deinde per Christum ouile intrabunt; & hi omnes vnam vnius Spiritus docent reuelationem, quam nos Mel dicimus, & pedo designamus. Hinc pedum

Cælum reuelationis prioris tessera.

Reuelationis alterius symbolum baculus pastoralis.

Pedum pastorale.

Episco-

Episcoporum pedū doctrina. Spiritus sancti signum hieroglyphicum.

Episcoporum : quod licet Episcopis tantùm detur, omnibus tamen debetur pastoribus; verùm insigne penes eos mansit, qui multis pastoribus & multis gregibus præsunt. Pedum igitur hieroglyphicum signum est doctrinæ Spiritus sancti, qua is Christi greges perpetuò pascit. Pabulum autem quo pascit, est verbum Dei', quod nutrit & roborat, non in præsens modò, sed in æternum. Videamus nunc quid pedum designet. Virgilius

Pedum quid sit.

in Bucolicis hoc vocabulo vsus est:

At tu sume pedum, quod me cùm sæpe rogaret
Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari.

Hîc Seruius baculum incuruum pedum definit, quo pecudum pedes detinentur, haud dubiè à pedibus vocem deriuari arbitratus. Nos vetustam Cimmeriorum vocem agnoscimus, quam nostro more Pe-tum diuisis syllabis diceremus, quo pecudis frenum designatur, siue id quo pecudes veluti freno reguntur. Neque enim ad pecudes tantùm retinendos huius baculi vsus erat, sed ad omnia ea præstanda quæ ad gregem regendum

Pedi etymon.

Pedi pastoralis vsus.

pertinerēt, vt ipsa etymologia clarissimè demonstrat. Nam pedo vti baculo oues coërcebant & agebant; & si qua longius aberraret, eo loco fundæ vtebantur, gleba nimirum vel lapide super parte incurua collocato, & longissimè euibrato. Adhæc pastori scipionis loco erat, cui lassus inniteretur, & si res ita ferret, eo veluti hastili aut claua aduersus lupos pugnabat. Eodem modo Euangelici pastores Spiritus sancti doctrina vtuntur, qua & oues suas regunt & pascunt, & à lupis defendunt, & ipsi sese fulciunt; & si opus sit, oues etiam suas ligant, & dum placet rursus soluunt: quæ omnia & his plura pedum vpilioni præstabat, & idcirco recte frenum pecudis vocabatur. Num quicquam doctrinæ Christianæ conuenientius dici queat, quàm ipsam frenum esse pecudum; cùm hominum animi reuera pecudes sint, solo verbo Dei gubernandæ ac regendæ? Mirum est, quàm aptè vocabuli ratio symbolo congruat, & quàm eleganter significationem eius ob oculos ponat. Quò tamen clariùs ostendatur, quanta sit huius symboli antiquitas, & quàm Ogenius eius apud Ianigenas vsus; operæ pretium fuerit, si & alterum eiusdem incurui baculi nomen explicetur. Lituus frequens est in Latinorum ore vocabulum, verùm quæ nominis eius sit origo, quæque prima eius notatio, nemini hactenus cognitum esse existimo. Virgilius, diligentissimus antiquitatum indagator, libro Æneidos septimo doctam eius fecit mentionem:

Lituum.

Ipse Quirinali lituo, parmaq; fedebat
Succinctus trabea, læuaq; ancile gerebat
Picus.

Vt autem veterum in hac voce cernas ignorantiam, Ciceronem audias: Quid, inquit, lituus iste vester, quod clarissimum est insigne augurum, vnde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum cùm vrbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, id est, incuruum & leuiter à summo inflexum bacillum (quod ab eius litui quo canitur similitudine nomen inuenit) cùm situs esset in curia Saliorum, quæ est in Palatio, eaque deflagrasset, inuentus est integer. Hæc ille quibus ostendit, se opinari, nomen prius incuruæ tubæ siue cornui æneo quàm lituo augurum datum fuisse; quod falsissimum esse demonstrabo. Iam antiquitatem eius à Romulo dumtaxat repetit, nec addit cur Romulus eo potius quàm alia virga regiones vrbis designasset. Possemus & alios super hac re sententiam rogare, sed frustra; eoque satis fuerit, omissis plurimorum erroribus, veram vocis originem aperire, & ex ea certum iudicium ferre. Lituus igitur dictus à Let-Iu, quo denotatur custodia & tutela ab omni re noxia. Let enim nobis omnem noxam & omne obstaculum designat: quod cùm in quotidiano sermone perpetuò versetur, non opus est exemplis docere. Quòd si mauis eandem seruare vocalem, rem mihi gratam feceris, & coëgeris rationem assignare clariorem. Lit vocali longa tormentum & dolorem notat, à quo Lit Iu deriuatum id significabit quod à dolore & tormento tuetur. Vtrum igitur accipias, mea non admodum refert: in priore E in I mutaretur, vt ex Menerua fit Minerua, & à Men Mino: at temporis eadem ratio constaret: in posteriore vt vocalis eadem maneret, ita longum tempus in breue transiret. Bacillum itaque incuruum quod ab omni obstaculo, tormento, dolore, atque animi ægritudine, quæ maximè Lit vocatur, nos custodit, lituus vocatur. Nunc igitur inuestigemus vnde ad Romanos venerit, & tandem augurum proprium esse cœperit.

Litui etymō. Let. Lit.

Litui antiquitas.

Virgi-

Virgilius longè doctius quàm Cicero hac de re locutus videtur. Cùm enim Pico Latinorum Regi lituum tribuat, & is mox à Saturno regnarit, longè altiorem lituí ritum, quàm Romulus esset, agnouit. Cùm autem Quirinalem vocat, satis declarat, se de alio Quirino quàm de Romulo sermonem habere; cùm hic multis pòst sæculis scribatur fuisse. Quirinum à nostra voce nomen inuenisse alibi tradidi. Cùm enim Latini duplex W non admitterent, pro Werino Quirinum dixerunt. Est autem Werinus qui defendit: vnde Martis defensoris cognomen non malè habetur. Huic verò quid aptius sit, quàm baculus is qui ab omnibus malis tuetur? Nunc igitur clarum est, hoc bacillum Reges maximè decuisse, quorum est populum ab omni malorum genere custodire. Verùm quales tandem sunt illi Reges qui ab omni tormento tam corporis quàm animi homines possunt tueri? Tales haud dubiè, qualis scribitur Melchisedec fuisse, idem nimirum Rex & sacerdos. Talis & Anius celebratur, Rex Anius, Rex idem hominum Phœbique sacerdos. Ceteri enim Reges qui populum non pascunt verbo, non possunt homines ab omni tormentorum genere tueri, & idcirco nec lituum habere dicentur. Homerus vetustissimum Regum nomen suis Regibus nonnumquam tribuens, ostendit quales primi fuerint Reges. Cùm enim populi pastores eos vocat, quid aliud significat, quàm populum oues esse, & Regem ipsorum pastorem? Verùm quoniam verus hominum pastus est doctrina diuinitus inspirata & ex ore Dei procedens, Rex pastor rectè dici non poterit, nisi populum hac doctrina gubernet ac pascat. Nunc itaque eò venimus, vt rursum intelligamus, pedum eiusmodi Regum insigne fuisse, ac populum eo regi debere. Verùm quia pedum symbolicôs intelligendum erat, Reges magno vpilionum pedo nihil opus habebant, sed satis ipsis erat, si simulacrum quoddam eius manu tenerent, quo ipsorum officij cum vpilionum cura similitudo cerneretur. Lituus ergo pedi fuit simulacrum, Reges & sacerdotes monens, vt populum diuinis regerent institutis, & eo ipso cuius pedum apud antiquissimos symbolum habebat, pascerent & gubernarent. Nec caret mysterio luculentissimo, quòd pro indicio pedi superiorem potiùs partem, quàm inferiorem acceperint: quisquis enim huius ritus fuerit inuentor, is clarè monuit, pascendi potestatem & gregis humani alimentum non è terrenis nec ab infimis esse sumendum, sed supernis, vti superior pedi pars ad simulacrum & insigne sumpta declarat: quam rationem miror à nostris Pontificibus fuisse desertam, quos fortassis magis delectauit, vt inferiorem & superiorem pedi partem ad cælestia & terrena simul accommodarent. Ceterùm postquàm rebus in peius labentibus, Regis & Sacerdotis partes sunt distractæ, lituus penes sacerdotes mansit: è quo luculento conuincitur argumento, cuius rei notam præ se ferret. Sacerdotum enim est hominibus Dei reuelare voluntatem, & idcirco lituum dicebant ad cælestem doctrinam pertinere. Verumenimuerò vt hæc natio apud exteros semper fuit quæstus auidissima, callidè doctrinam cælestem ad stolidam vaticinatricem artem transtulerunt, & miseris & dementibus hominibus persuaserunt, sese lituo suo posse res futuras è cælo & auium volatu diuinare. Hac itaque fraude lituus & doctrina cælestis ad augurium transiit, & vero animorum pabulo inana successit mendaciorum disciplina. Sic sacra omnia paullatim cacodæmonum insidiæ & sacrificorum auaritia ad idolomaniam detorserunt, astutis quibusdam sophismatis homines per se alioqui vanos inescantes. A maioribus acceptum erat, lituo doctrinam significari cælestem; eam sacerdotes ad augurandi artem, quæ & ipsa cælestis videretur, transtulerunt, ne quid aliud quàm quod à priscis accepissent, tradere viderentur, tametsi reapse longissimè recederent, & sub eisdem verbis omnino contraria priscorum traditioni docerent. Videmus itaque quis verus fuerit Litui vsus, quis deinde fœdissimus abusus, & qua via à vera tutela transierit ad eam superstitionem, qua dementes homines credebant ex auium per cælum volatu se præcauere posse, ne in aduersa prolaberentur. Hinc liquet cornu incuruum, quo in bellis vtebantur, ab huius similitudine nomen duxisse; non contrà, vt Cicero putauit. In noctibus Atticis legimus, hunc baculum ea parte qua robustior est, incuruum esse: quod cum omnibus vetustis numismatis & saxis pugnat; atq. adeò cum ipso Cicerone, qui parte superiore incuruum esse dicit. Deceperat Aulum videlicet lituus tuba incurua, quæ qua parte crassior est, incuruatur. In lituo propriè vocato res contrà habet, vt cuiuis licet in Romanis antiquitatibus videre. Laudandus hoc nomine Guilielmus Choulius, quòd in eorum

Quirini etymon.

Werin.

Lituus Reges maximè decet.

Reges cur lituo, non pedo vsi fuerint.

Lituus apud solos Pontifices remansit.

Lituus qua ratione venerit ad augures.

Lituus parte sui tenuiore reflectitur.

gratiam qui hoc antiquitatis ſtudio delectantur, cùm alia ad vetuſtam religionem ſpectantia, tum multos quoque lituos congeſſit; quorum nullus eſt qui non parte ſui tenuiore reflectatur: quod niſi ita eſſet, pedum malè referret. Eadem igitur lituí ſignificatio eſt quæ pedi, cùm ille huius teſſeram gerat. Noſtris Epiſcopis grauius pedum placuit, quod multo argento & auro ponderoſum & variis gemmis ornatum in tantam molem excreuit, vt non ab Epiſcopo, ſed ab alio gerulo præferatur; ſatis oſtendens, nos gratulari religioni noſtræ debere, vt quæ cura & diligentia paſtorum è lignea, facta ſit aurea & gemmea. Quo verò cernas, quantum ſudoris effundendum ſit, ſudarium è pedo aureo ſuſpenditur, certo indicio magnis laboribus verbum Dei doceri, & gregem Domini paſci. Sed ſatis de pedo & lituo; quorum illud pecudis frenum, hoc cuſtodiam ab omni malo deſignat; adeò vt vtrumque iuxtà quadret in Spiritus ſancti doctrinam & reuelationem. Reſtat nunc vt hæc ad figuram litteræ Gimel applicentur. Dixi cælum nobis de primo peccato occluſum fuiſſe, nec ampliùs in arbitrio noſtro eſſe, vt cælorum ordinem in actionibus totaque vita noſtra ſequamur: quippe in qua licet mens præſideat, carnem tamen habet ſemper aduerſariam. Hinc igitur prior reuelationis via inutilis quadam tenus nobis facta, aut ſaltem talis, vt eam ſequi noſtris viribus nequeamus. Quamobrem cæli figura nobis auerſa pingitur, vt cernamus nobis ad ipſum aditum non patere. At verò lituus ſiue pedum nobis obuium fertur, & cælum ex altera parte apertum oſtendit, docens nimirum contraria via, quàm humana natura fert, ad ipſum veniendum eſſe; atque id non alio duce & præmonſtratore, quàm ipſo lituo; qui non ſolùm iter oſtendit, ſed veluti clauis certiſſima cælum nobis recludit. Numquid aliud eſt quod cælum clauſum hominibus reſerat, quàm reuelatio myſteriorum ſalutis per Spiritum ſanctum facta? Atqui hæc pedo & lituo denotatur; & in lituo forma quædam clauis videtur, vt hinc fortaſſe Romanus Pontifex D. Petri pedum non repetierit, quòd idem myſterium in clauibus contineri intellexerit. Quis vmquam mortalium tantum reconditæ eruditionis, tantum arcanorum Spiritus ſancti conſiliorum in hac vnius litteræ figura latêre credidiſſet? quis ad rectam eius intelligentiam tot vetuſtis monumentis opus eſſe exiſtimaſſet? Ne tamen Romani putent, ſe ſolos lituum à Iano accepiſſe in hac quam dixi ſignificatione, rurſus erit nobis Canopus in tabula Bembi ſecunda infimi ordinis figura conſideranda. Huic in manibus eſt ſcipio, & lituus ſcipionem demonſtrans. Videamus itaque primùm, quid lituus ſibi velit. Quid aliud, quàm quòd Canopo reuelet ac oſtendat ſcipionem? At quem ſcipionem? Nempe non vulgarem, ſed duabus notis inſignem. Tau enim præfert; & ex Tau index ſurſum tendit in alaudæ caput deſinens. Docet ergo lituus, hunc ſcipionem arripiendum eſſe, in quo Tau contineatur. Nam ex Tau caput alaudæ ſurgere, id eſt opus vitæ. Vita enim mortalium in Tau erat perficienda, nimirum in ipſa cruce, quam hîc expreſſam vides. Lituus igitur & Tau demonſtrat, & ex eo docet, vitæ opus aſſurgere. Præterea reuelat lituus, ſi hunc ſcipionem Canopus arripiat ac firmis manibus teneat, viram ipſi huius medio promicti, & eam quidem ipſi proximam eſſe. Pendet enim è ſcipione verſus Canopum figura vitæ habens ſignificationem, cui nota ipſius A, quam in Aleph oſtendi, non eſt adiecta; eo quòd vitam dumtaxat figura hoc loco demonſtret, quam lituus oſtendit è cruce, ſuper qua vitæ opus perficiendum erat, dependere, & ſolo eius medio contingere mortalibus poſſe. O mirificum lituum! O ſtupendam reuelationem! O ſcipionem diuinum! quando lituí indicio nobis reuelatur, ſolo huius medio nos ad vitam peruenturos, cuius ſymbolum proximum Canopo præfertur, & obuium pendere monſtratur: Canopo noſtro cyaneo in dextra figura erat, qua ad vitam incitatur; & ob eam cauſſam virgam habet, qua ſonus ipſius A denotatur. Viden' modò quàm omnia concordent, quamque clara ſint quæ priùs obſcuriſſima videbantur? Hoc modo quæ in Cimmeriis tenebris latent, ſunt eruenda, ex ipſa nimirum vocum & rerum cognatione, quæ vera eſt priſcorum hominum Magia; quam degeneres poſteri non intelligentes, ad dementem cacodæmonum cultum & goëtiam detorſerunt. Nunc igitur figuram ipſius Gimel & eius duas partes explicatas habemus, quam Latini ferè integram conſeruarunt; tametſi quorundam ignorantia lituus negligentiùs pictus, vt in magna ſcribendi celeritate fieri conſueuit, dubium aliquando reliquit, C ne tertia Latinorum littera, an G ſeptima apud eoſdem notaretur. Hinc in aliquot vocibus C pro G in vſum venit, vt in Caius & Cnæus

Sudarium in pedo Epiſcoporum quid notet.

G littera figura.

Lituus in manu Canopi quid ſignificet.

Gimel littera figura integra apud Latinos.

Cnæus est annotatum. Fuerunt etiam qui lituum dumtaxat pro G pinxerunt, à quibus minusculum Latinorum G habemus. Græcorum maius gamma lituum quadam tenus imitatur, solo eo excepto, quòd curuitas in suprema parte non sit rotunda. Nec mirum, hanc figuram apud plurimas gentes fuisse corruptam, cùm non videam apud alios quàm Ægyptios Phrygum discipulos & Latinos litui in sacris vsum remansisse. Non possum hoc loco committere, vt illud otiosè transeam quod de Lituo Romanorum memoriæ proditum habemus. Omnium historiæ scriptorum consensus tradit, cùm Galli Palatium incendio vastassent, & omnia sic deflagrassent, vt ceterorum nihil præter cineres reliquum esset, solum lituum integrum illæsumque inuentum fuisse. Stupendum profectò miraculum; lituum, qui nihil nisi bacillum erat, apta nimirum ignibus materia, potiùs integrum ab incendio seruatum esse, quàm ancilia, quæ in eadem Saliorum curia custodiebantur. Singulari prorsus fato Romam à Saturno conditam fuisse è plurimis didici veterum monumentis, inter quæ & hoc de lituo modò commemoratum non est in postremis collocandum. Miror equidem Virgilij diligentiam cùm in ceteris quamplurimis, in quibus alij cæcutierunt, tum in hoc quod Lituum multo ante Romulum apud Latinos in veneratione fuisse scribat. Adscendit certè quàm potuit altissimè, & proximè ad Saturnum accessit, cùm Pici stemmati hoc daret insigne. Quamobrem ego nihil verebor asserere, Lituum ab ipso Saturno in Latio primùm consecratum fuisse ipsi Quirino, id est, defensori vnico: quæ vox cui propriè conueniat, nemini Christianorum dubium esse potest. Quis enim alius singularis & vnicus generis humani defensor dici potest, quàm is qui à dira diaboli & peccati seruitute nos liberauit? Saturnus ergo, id est, Nochus totius orbis Rex & sacerdos supremus lituum summo iure sibi vindicabat, eo quòd sacerdos esset, ac populum doctrina Spiritus sancti pasceret. Ab hoc igitur lituus Christo, sub Quirini nomine delitescenti, consecratus est: quo nihil aliud significabatur, quàm olim tempus fore, quo summum Christianæ religionis sacerdotium apud Romanos sedem haberet. Hinc cùm Saliorum curia totumque palatium deflagraret, Lituus integer mansit: quo miraculo portendebatur, gloriam armorum, quæ æneis ancilibus denotabatur, & cetera apud Romanos vrbis ornamenta peritura; verùm religionem & doctrinam Christianam nulla vmquam vi à Romanis auferendam esse. Docui alibi verum vaticinium à Virgilio octauo Æneidos libro expositum esse; quo docet Herculi ob Cacum deuictũ occisumque, diuinos honores Romæ institutos, & inter ceteros, aram peculiari nomine Maximam ei fuisse consecratam: quod poëta sic cecinit:

Ex illo seruatus honos; lætique minores
Seruauere diem, primúsque Potitius auctor
Et domus Herculei custos Pinaria sacri
Hanc aram luco statuit, quæ Maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima semper.

Mirabili emphasi vates hanc aram Maximam vocauit; & mirabiliore sententia pronuntiauit hanc aram Romæ semper futuram: quod quid aliud est quàm maximum sacerdotium eius religionis quæ Herculem Caci victorem colit, perpetuò fore penes Romanos? Multis modis Christiani obligati sunt Virgilio, aut potiùs ei qui Virgilio veritatis inscio ea suggessit vaticinia, quibus clarè religionis nostræ mysteria continerentur. Quid illis duabus Eclogis, quarum priore Christi genesim; posteriore mortem & resurrectionem & apotheosin celebrauit, magis stupendum? Acceperat illa quidem à Sibyllis, sed hoc diuini fuit instinctus quòd illa versibus suis celebrare vellet, quæ prorsus non intelligeret, nec sciret quò pertinerent, aut ad quem tandem deberent referri. Spiritus sanctus quibusuis, cùm ita ipsi visum est, vtitur instrumentis; & frequenter ignaris quid dicant diuina suggerit oracula: quod non semel Virgilio videmus contigisse. Lituum igitur Saturnus Romam portauit, & eius perpetuum ius ex voluntate diuina penes Romanos reliquit; quod nulla iniuria vel temporis vel incendij potuit abolere. Rogemus ergo Deum opt. max. vt Romani semper diligenter obseruent quæ lituo dixi denotari, id est, vt verbo Dei & doctrina non sua, sed Spiritus sancti, populum pascant: quod si fecerint, dignos se lituo præbebunt, nec dicentur in ouile per aliud ostium, quàm per Christum venisse.

Litui in sacris vsus apud Ægyptios & Latinos solos remansit.

Lituus solus ex incẽdio saluus.

Lituus à Saturno in Latio, Quirino consecratus.

Quirinus quis.

Religionem Christianam à Romanis nũquam auferendam.

Ara maxima.

Virgilius religionis nostræ mysteria continet.

Discendi duæ viæ. Admiranda sanè est huius tertiæ litteræ figura, vtpote qua duæ nobis discendi viæ proponuntur; altera qua ex ipsis creaturis venitur in cognitionem creatoris, altera quæ nobis ostendit quid Spiritus sanctus maioribus ad ipsum vsque primum hominem dictauerit. Has duas Dei & suiipsius cognoscendi rationes Raimondus de Sabunda duos

Libri duo Raimondi de Sabunda. libros nominauit, & priore quidem non minus quàm posteriore veram theologiam contineri demonstrauit; tametsi citra Spiritus sancti illustrationē ex eo nequeat depromi; propterea quòd primo peccato homines sint excæcati. Verùm bene ne hoc an malè statuerit, alij viderint; nobis certè clarum est, nullo modo fieri posse, vt solius naturæ inspectione quisquam queat ad summam felicitatem peruenire. E rerum creatarum

E creaturis humanæ salutis arcanū consiliū elici non potest. quidem cognatione & diuersitate ad vnum Deum mentem humanam subuolare posse D. Paullus testatur; verùm ex iis arcanum humanæ salutis consilium elici posse pernegamus. Hoc enim è solo altero libro, quo maiorum doctrina diuinitùs inspirata continetur, disci potest. Liber naturæ latissimè quidem patet, ac quàm plurimos ad summi opificis notitiam deduxit; verùm posterior infinito latiùs sese extendit, non oracula tantùm & mysteria veræ religionis complexus; sed illa etiam quæ in libro rerum creatarum leguntur. Lituus enim ad cælum conuersus, præter alia omnia arcana quæ

Siderū imagines & nomenclaturæ quid significent. demonstrat, in ipso etiā cælo imagines ostendit hieroglyphicas, omnibus litteris sculptis antiquiores; quibus primi parentes Christi aduersus draconem victoriam denotarunt; & alia quamplurima eodem spectantia. Videmus enim Herculem claua sua draconis caput impetentem: videmus Erigonen, & ad eius femora panem viuum sub nomine spicæ designatum: videmus Adamum & Euam in vrsos commutatos, & ad Aquilonem vastis maximi draconis spiris implicatos: videmus Castorem & Pollucem sese complexos, & alia quàm plurima sacris & nominibus & figuris in cælo exarata, quæ Spiritus sancti instinctu primus eorum nomenclator posteris suis proposuit perpetuò considerāda. Neque enim de cæli natura hæc signa, vel imagines vel nomina sua sortita sunt; sed de sola nomenclatoris voluntate supremi numinis ductum sequentis. Et quemad-

Prima linguæ artificiū & necessitas. modum has notas rerum sacrarum in cælo & sibi & posteris finxit, ita totam primam linguam sic condidit, vt eius arcano artificio tota religio Christiana contineretur. Quod cùm à maioribus suis prisci accepissent, diligenter semper quæsiuerunt, quisnam sermo primus fuisset. Præter itaque oracula vel per Sibyllas vel per alios vates de salute generis humani reddita, habemus & ipsam primam linguam, quæ illa dedit nomina, cùm aliis rebus, tum & ipsis stellis quibus vitæ mysteria significarentur. Magnam ergo partem libri, quem lituus designat, homines hactenus legere nequiuerunt; eo quòd primæ linguæ cognitione non essent instructi. Quid? quòd ne litterarum quidem nomina intelligere potuerunt, nec figurarum quibus pingerentur, dare rationes. Hac item de caussa omnes veterum poëtarum fabulæ nugis & mendaciis applicatæ, nec quicquam in iis sani à quoquam repertum. Quamobrem posthac magna cura adhibenda, vt quæ in hac insigni libri alterius parte scripta sunt, ea in lucem proferantur, ad illustrandam religionis nostræ antiquitatem, ad quam lituus viam nobis ostendit. Quemadmodum enim pastor oues suas pedo suo propellit ad pascua, & cùm visum est retinet; ita & nos lituo ad diuinum epulum agimur, nec vlteriùs nobis prodire fas est vel in cogitandis vel in nominandis diuinis rebus, quàm ei placuit qui primus lituum à Deo accepit, & posteris omnibus ordine tradidit. Quò igitur sciamus, quî de diuinis sit cogitandum, ipsius sermonem consulamus; in quo ea nomina inueniemus quibus & Deus rectè laudari cantariq́ue possit, & mens nostra ad verum suum pabulum dirigi, ac certis terminis in eo contineri.

Dalet.

Alphabeti ordinis ratio. TRES modò litteras enumerauimus, quarum nominibus non figuræ tantùm sunt indicatæ; sed & adhortatio ad vitam, & via & ratio ad vitam perueniendi exposita, vnà cum salutatione ad Spiritum sanctum: quæ prima est orationis institutæ pars. Videmus hîc eum à præceptore ordinem obseruari in doctrina sua rectè constituenda, quem in totius mundi fabrica & numerorum ordine animaduertimus teneri, vt nimirum exordium

dium à Patre & Filio & Spiritu ſancto capiatur. Aleph enim præter alia officia quibus fungitur, Patris nobis indicat attributum; quem ſæpius in ſacris litteris dicere audiuimus, *Viuo ego.* Beth orationis habens ſignificationem, Filij proprium eſt, qui vnicus eſt inter genus humanum & patrem precator. Gimel, quo reuelatio denotatur, ad Spiritũ ſanctum præcipuo quodam iure docuimus referri. Abſoluta igitur perſonarum in vno Deo enumeratione, deſcenſus fit ad res creatas: in quibus vt quaternarius ſupremum locum tenet; ita quarta quoque littera primam rerum creatarum formam deſignat: quam rem quò clariùs queamus explicare, à vocis Dalet interpretatione exordiemur. Eſt hoc nomen diſyllabum, è verbo & articulo conſtans. Nobis enim familiare eſt vt Dalet vocis interpretatio. Het articulũ ipſi verbo annectamus, vt cùm dicimus, Maarket hed/id eſt, Sterne lectum; & ſimilia infinita. Articulus igitur licet de loquendi conſuetudine & conſtructionis ratione verbo hæreat, eius tamen terminatio ad caſum à verbo rectum referatur neceſſe eſt, ita vt hîc ad He Vau eius tranſeat demonſtratio. Reſtat igitur vt quid Dael ſignifi- Dael. cet, oſtendatur. Huius vocis, vt plurimarum in noſtro ſermone aliarum, duplex vſus eſt; alter vt verbi, alter vt nominis. Vt verbum idem eſt Dael quod demitte vel deſcende: vt nomen, vallem ſignificat. Verbi ratio in eo conſiſtit quod gemina compoſitionis parte deſignatur. Dael enim fit ex Dei & al. Dei idem eſt quod motu interno ad omnem Dei. poſitionis differentiam, vt ſcholarum more loquar, quicquam ciere. Al fit ab al, quo ſignificatur omne; & idem denotat quod omnino vel omni modo & omnibus rebus, vt, Al. Tis een al goet man/id eſt, vir eſt omnino & omnibus rebus bonus. Dei-al igitur, & contractè per ſynalœphen Dael/idem valebit quod omni modo quicquam ad omnem poſitionis differentiam promouere; &, vt propriè voce Dei vtimur, omnibus rebus proſperare. Hæc compoſitionis ratio in verbo priùs eſſet examinanda, eo quòd actus potentiam præcedat dignitate; verùm clarius in Valle, vt re nobis notiore, cernetur. Vallis Vallium cõmoda & fertilitas. enim omnia ſtirpium genera inſigni promouet incremento, magna humoris vi è montibus ſuſcepta, & frequenter etiam calidis per ſubterranea caua è venis montium vaporibus ſubmiſſis. Adhæc eas habet commoditates, vt qua parte Soli exponitur, radiis inſigniter feriatur & calefiat; & idcirco plantis calore gaudentibus ſit accommodata: & è diuerſo, qua parte Solem nõ admittit montium obiectu, ea ſtirpibus frigido loco naſci volentibus felicem præbeat libertatem: mediis iterum locis iis conueniat quæ medio gaudent temperamento. Et hæc quidem in genere de valle dicuntur: cuius ſi naturæ varietatem, fertilitatem, amœnitatem, & ceteras dotes perſequi velimus, integri rerum naturalium codices ſint exarandi. Cùm enim omnis fertilitas ſolius vallis ſit propria; tum alia valles ſupremæ, valles mediæ, valles infimæ producunt; quarum ſucceſſus & computatio à ſummis montium verticibus per varium locorum ſitum ad ipſum vſque mare pertinet. Cui compendio huius rei experimenta varia cernere liberet, ei vel Alpes, vel Pyrenæus ſaltus, vel Taurus, montium rex, eſſet adeundus: nobis ſufficit mentem ad id excitaſſe, vt quàm apto nomine nomenclator noſter Vallem nuncuparit, examinetur. Nunc ſignificationis rationem ipſi Dal verbo applicemus, videamuſq. cui Dal. tandem deſcenſui conueniat, vt res omnibus modis promoueat atq. proſperet. Si totã diuinitatem montem Domini liceat appellare, & omnẽ rerum creatarũ vniuerſitatem Vallem dicamus, comparationẽ fecerimus mõtis infinitis ſchœnorũ myriadibus omnẽ ſublimitatẽ excedentis, eum ea valle quæ eſt omniũ maxima & latiſſimè patẽs; quamuis infinitis ſpatiis monte ſuo inferior ſit. Hîc ergo cõſideremus, quid valli omniũ maximæ ex mõte omniũ excelſiſſimo proueniat; & mox cernemus, quãto pluris ea ſint quæ hæc vallis de mõte ſuo ſuſcipit, quàm cetera omnia quæ ſingulæ valles ſuis montibus referũt accepta. In terra quãto montes ſunt excelſiores, tanto ſuprema parte magis algẽt, & niuibus & gelu perenni magis abundant. Indoſcythica mea docuerũt, Tauri nomine Mõtes perennium aquarũ ciſternæ. vſum & finem altiſſimorũ montium indicari, qui haud dubiè totus in eo eſt, vt altiſſimi illi terræ vertices idoneæ ſint perennium aquarũ ciſternæ; vtpotè in quibus non conſeruentur modò aquæ; ſed, quod maius eſt, generentur etiam; frigore nimirum omnem halitum vicinum conſtringente, vel in aquas, vel in niues, vel in gelu. Dum igitur in planitie omnia Solis ardore torrentur & aduruntur, niues ſupernæ & perenne gelu tardo quodam ſudore deliqueſcũt, atque ita fluminibus aquas ſubminiſtrant copioſas. Sic Nilus ſiccißimo tempore totam Ægyptum inundat. Omnis ergo beneficij ratio, quam

valles terrenæ è montibus terrenis exspectare possunt, in frigore & aquis inde prognatis consistere videtur. Quamobrem excellentissimus ille mons fuerit, qui plurima humida & frigida materia abundarit; atque illi tenuerint principatum, quorum vertices crystallinis multorum miliarium molibus perpetuò rigere cernuntur: inter quos vnum è quo Mintius præcipitatur, non sine horrore me quondam memini adscendisse. Atque hæc quidem est suprema meta aquei elementi, atque idcirco suprema Oceani, è quo omnia flumina profluunt, pars. Quòd si deinde sursum pergamus, quanto magis ascenderimus, tanto propiùs accesserimus ad caloris fontem, & tanto etiam fuerimus supremæ totius vniuersitatis valli, quam mons Domini efficit, propinquiores. Vnde coniecturam facere licet, supra altissimum Oceani & frigoris verticem caloris regnum capere exordium; & tanto propiùs ad regium ipsius solium veniri, quanto accesserimus vicinius ad ea quibus nihil, præter montem Domini, sublimius inuenitur. Quocirca si similitudinis propositæ rationem sequamur, videbimus supremam totius rerum vniuersitatis vallem non secus caloris fontes & flumina è monte suo suscipere, ac terrenæ valles è montibus suis flumina & scaturigines aquarum: & quanto in rebus creatis superiùs adscendimus, tanto propiùs ad ignem caloris fontem accedere videmur; non illum quidem quem in his inferioribus omnibus exitium adferre cernimus, sed illum cui vitę calor debetur. Aristoteles, licet in generabilibus & corruptibilibus non alium quàm elementarem ignem agnouerit, libro tamen secundo De generatione animalium longè veriùs & diuinius philosophatus est; vbi cùm alium calorem quàm hunc nostrum elementarem statuat, aliam quoq. eius originem statuat necesse est. Deduxit ille quidem ab ipsis vsque stellis huius principium, sed cùm vlteriùs corpus aspectabile non haberet, non est superiùs progressus: nobis satis esto morosum hunc hominẽ & veteribus perpetuò recalcitrantem, tam alte caloris initia quæsiuisse, vt ad ipsas vsq. supremas peruenerit stellas. Qualis autẽ hic calor sit, & quo discrimine ab eo qui ex igne hoc elementari proficiscitur, separetur, ex eodem Peripateticorũ magistro libenter audiemus. Omnis, inquit, animæ siue virtus siue potentia corpus aliud participare videtur, idq́ue magis diuinũ quàm ea quæ elementa appellantur. Verùm prout nobilitate ignobilitatéue animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt. Inest enim in semine omnium quod facit vt fecunda sint semina, videlicet quod calor vocatur; idq́ue non ignis, non talis facultas aliqua est; sed spiritus qui in semine spumosoq́ue corpore continetur, & natura quæ in eo spiritu est, proportione respondet elemento stellarum. Hæc ille. cuius ductu non ad stellas tantùm caloris extulimus fontẽ, sed vnà etiam intelleximus huius caloris viribus proprium esse, vt vitam non depopuletur; sed cõtrà, vt eam propaget atque conseruet. At eiusdem auctoris sententia statutum est, vitam omnem ab anima dependere; quo fit, vt vitæ principium in anima aliqua sit collocandum: & quemadmodum particularis vitæ in particulari anima; ita communis omnium vitæ initium in anima vniuersali quæratur necesse est. Hinc sequitur, vt anima totius vniuersi nihil aliud sit, quàm ignis, omnibus rebus & corporatis & non corporatis vitæ calorem subministrans. Hoc illud est quod Pythagoras dixerat, quaternarium fontem esse æternæ naturæ, siue vitæ sese per omnem rerum creatarum vniuersitatem diffundentis, & omnia vel per seipsa, vel per easdem formas perennantis. Proclus in Platonis Parmenidem lib. 3. commentariorum, Chaldaica logia siue oracula ex nescio quo Apolline deprompta citat; quæ docent omnium rerum genera per idearum varietatem distincta, vitæ suæ portionem ex ignis fonte haurire; vbi post alia hæc legimus è superioribus dependentia:

Oceani pars suprema.

Caloris regni exordium.

Calor alius quidã & diuinior quàm elementaris.

Anima totius vniuersi. ignis.

Quaternarius fons æternæ naturæ.

Ἔννοιαι νοεραὶ πηγῆς πατρικῆς ἀπὸ, πουλὺ
Δραττόμεναι πυρὸς ἄνθος. Idem libro secundo de amore omnia vinciente:

ὃς ἐκ νόου ἔκθορε πρῶτος
Εσσάμενος πυρὶ πῦρ συνδέσμων ὄφρα κεράσῃ
Πηγαίους κρατῆρας ἑοῦ πυρὸς ἄνθος ἐπίσχων.

Ceterùm quid hic opus est exterorum hominum testimoniis? Nónne sic legimus in Daniele, *Adspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit; vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: Thronus eius flamæ ignis, rotæ eius ignis accensus; fluuius igneus rapidusq́; egrediebatur à facie eius?* Hæc propheta, dictante

dictante Spiritu sancto : cuius verba multo magis merentur vt oracula Chaldaica, à regione vbi edita sunt, dicantur; quàm illa quæ Proclus à nescio quibus philosophis hinc inde è sacris nostris litteris suppilata videntur carmine condidisse, & Chaldaicorum titulo venditasse. Ceterùm quia Pythagoricus quaternarius ignem disertè non exprimit, operæ pretium fuerit causas adducere, quibus motus ego hunc numerum igni applicarim. In corporibus certè res est mathematica demonstratione clara : primum enim omnium corporum geometricorum quatuor superficiebus triangulis circumscribitur & absoluitur; & vt ea figura ad ignem pertinere intelligeretur, Pyramis est nuncupata. Atqui is est vetustissimus rerum inquirendarum mos, vt libenter ex rebus aspectabilibus ad res quæ videri nequeunt,& similitudines & nomina traducant magistri. Cùm igitur in corporibus omnibus vitæ principium igneum viderent, placuit vt vniuersum totius mundi vitale semen ignis quoque vocaretur; & id quidem summo iure; quando recta via & ratio ad supremam rerum essentiam cognoscendam ab exemplis aspectabilibus ad primas vsque rerum ideas deducit. Ignis igitur hic supremus, à quo omnia pro sua quæque portione vitam accipiunt, rectè poterit anima totius mundi vocari. Hanc diuinus Moses primam rerum creatarum videtur posuisse, dum in creationis serie primam lucem factam esse dicit. Siue enim lucem dicas, siue ignem, siue calorem, siue animam, eodem sermo rendit; quandoquidem diuersis his nominibus non aliud intelligimus, quàm id quod principio à Deo creatum, omnes res vita sua donat. Pyramis igitur meritò & ab igne nomen sortitur, & pro vitæ tessera collocatur; quæ non solùm flamarum formam imitatur, sed quatuor etiam triangulis planis continetur : quo demonstrat, se primum fœtum esse diuinitatis, quam triangula isogona figura designat. Nunc igitur cernimus, qua de causa tetractys fons esse vitæ perennis dicatur. Nomenclator noster quæ à philosophis obscuriùs sunt indicata, clarissimè in quaternarij nomine ob oculos posuit. Eadem enim voce & quaternarium & ignem voluit denotari, quò nimirum declararet, ignem hunc proximo loco succedere Trinitati, quæ tribus primorum numerorum nominibus per diuersas ternas personarum proprietates explicatur: quod cùm ita sit, & primùm vnitatis nomen Deo Patri conueniat, vti primo omnium rerum fundamentò; & binarij nomen Filium sub ea ratione significet, qua ipsius Vnius facit dilatationem; & ternarij nomen Spiritum sanctum doceat omnia permeare, ac deinde quaternarij vocabulum declaret, ignem primum esse rerum creatarum; facile fuerit indicare, à quo auctore hæc sententia ad Philosophos manarit: quæ tanto firmiùs est retinenda, quanto certiore magistro sermonis nostri architectus, quam ceteri, vsus sit. Deprehendimus modò, ex Trinitatis monte primum primi ignis fontem ad res omnes profluxisse, atque idcirco supremam totius vniuersitatis vallem hunc ipsum quaternarium esse statuendum; è qua valle ad reliquas res omnes creatas vita promanat. Nunc igitur videndum quid descendat è monte Trinitatis ad hanc vallem, quo & ipsa tota redditur vitalis, & cetera omnia vitæ habent communionem. Quid verò aliud à Trinitate descendat, quàm imago Trinitatis, cùm semper gignès genito suiipsius imprimat characterem? Quæ verò alia spectabilis Trinitatis species fingi potest, quàm planities tribus æqualibus & angulis & lineis conclusa? Hæc igitur est forma pyramidi ex omni parte impressa, faciens vt quatuor eiusmodi triangulis tota formetur. Cùm ergo ab idea Trinitatis æterna exemplum hoc primùm omnium descendat, & eodem typo vitam ad omnia creata deferat, meritò triangulus æquilaterus character primus & supremus diuinitatis dicetur. Non fuit igitur primus Zenocrates Platonis amicus, qui diuina æquilatero triangulo comparauit: quod à Plutarcho est in libello de oraculorum defectu memoriæ proditum, sed ab ipsis vsque primis linguæ nostriæ initiis hæc figura talis habita est, vt ea omnibus rebus creatis à Spiritu sancto omnia permeante imprimi diceretur, tamquam primus diuinitatis character; cuius quaterno complexu omnis siue motionis siue vitæ principium contineretur. Quaternarius igitur illud ipsum est principium quod quatuor Trinitatis simulacris obsignatum, principium vitæ totius habet vniuersitatis. Et quia sermonis nostri architectus non ignem modò & quaternarium conuenire, sed horum vi omnia etiam ferri nosset; voluit vt eadem etiam vox proferre vsurparetur. Habemus itaque supremam omnium vallem quaternarium esse; & eam ipsam figura trianguli æquilateri esse signatam, propterea quòd per hunc characte-

Quaternarius Pythagoricus qua ratione igni applicari possit.

Ignis anima totius mundi.

Pyramis vitæ tessera.

Trinitatis mysterium in numeris.

Triangulus æquilaterus, diuinitatis character.

Pyramidis figuram omnibus rebus, tamquam diuinitatis characterem, imprimi.

dicit.

rem à Trinitate deſcendat. Et rectè ſanè Dei creatio, Dei deſcenſus dicitur; eo quòd infinitis totius cæli magnitudinibus infra ſe deſcendat, dum primæ rei creatæ maieſtatis ſuæ imprimit ſigillum. Proclus in commentariis in Platonis Parmenidem odioſus pænè eſt, & frequenter ineptus in triplicis huius deſcenſus ratione explicanda; eo quòd eam non è veris fontibus hauſiſſet: illuc tamen peruenit, vt nihil à Deo deſcendere putaret, quod non ternarij in deſcendendo ſeruaret characterem. Ex his liquet, quanto artificio nomenclator דל pro deſcendo compoſuerit: cùm enim verborum origines in iis quibus primùm conueniunt ſint examinandæ, neceſſe eſt, vt in Deo ipſo huius verbi etymologia ſpectetur & expendatur; quoniam Deus ante omnia alia deſcendit, & ſe ad vallem demiſit. Quid autem verius & ſignificantius de Deo deſcendente dici queat, quàm די-אל; cùm hoc ipſo ſuo deſcenſu illi ad quod deſcendit, omnem largiatur internam motionis facultatem; & ſic proſperet, vt in ipſo vitæ promotionem imaginis ſuæ ſigillo obſignet. Qui ergo Deum rogat per verbum דל, non exiguas preces concipit, ſed felicem & proſperam ſibi vitam precatur, omnibus rebus omnibúſque numeris abſolutam, vti per אל denotatur. Quòd autem די idem ſit quod vitam do, ex eo clarum eſt, quòd interna motio ad omnem poſitionis differentiam procedens, non ab alio poſſit quàm ab anima proficiſci, vt commentator ſecundo lib. de Cælo Ariſtotelis, ſi rectè memini, tradit. Cernimus itaque quàm vox דל cum quaternario &, cum igne conueniat, quamq. bono iure littera Dalet quartum locũ in ſua ſibi natione vindicarit.

אל
די

Daleth litteræ figura.



Quamobrem de figura Daleth non erit ambigendum, quando omnis diuinus deſcenſus per trianguli æquilateri figuram procedit; ita vt clarum ſit, eos procul à vero receſſuros, qui nobis volent aliam pingere quàm ipſa diuinitas rebus creatis, dum ad eas deſcendit, impreſſit. Retinenda eſt igitur ea figura litteræ Dalet, quam Græcorum Delta maiuſculum repræſentat. Quamuis verò hæc rationibus ſatis ſint communita, non fuerit tamen nec inutile nec iniucundum, docere, figuram hanc Dalet apud priſcos etiam Ianigenas inter ſymbola hieroglyphica fuiſſe. In Canopo, qui ſecundam infimi ordinis in tabula Ægyptiaca conſtituit figuram, clariſſimum eius habemus monumentum: dependet enim à poſtica ceruicis parte triangulus euerſus, apertum ſignum euerſæ & corruptæ diuinæ in homine ſimilitudinis. Qua enim ratione peruerſam hominis propenſionem clariùs oſtendas, quàm ſi ſigillũ diuinæ maieſtatis ipſi impreſſum ſic pingas, vt quod ſupremum eſſe debebat, infimum teneat locum, & ediuerſo? Sic enim triangulus hic appendet, vt conus deorſum ſpectet: quo modo qui vitam inſtituit, non poteſt non perire. Verùm quo clariùs hæc nota hieroglyphica intelligatur, non fuerit paruum operæ pretium, ſi quæ de Aleph diximus, cum figura Dalet breuiter comparemus: egimus illic de Pyramide, vt eam vitæ notam habere doceremus; ad quod probandum ea quæ tum videbantur nobis idonea adduximus argumenta. Hic addendum eſt, quod ſit diſcrimen inter Aleph & Dalet figuram tenendum; quia Aleph generatim ad vitam hortatur, eam oportuit pingere figuram, quæ volentibus ad vitam proficiſci patêret: quapropter ea parte qua multitudini recipiendæ maximè apta videbatur, aperta eſt relicta. Præterea quia alius alio rectiùs ad Vnum tendit, & quæ multa

Aleph & Daleth in figura diſcrimen.

ipſi

ipſi ſunt arctiùs colligat, & ad acutiorem dirigit conum; nulla certa regulà ipſi figuræ Aleph data eſt, qua lineæ eius ſiue crura diſpeſcerentur: in Dalet longè alia ratio eſt: cùm enim deſcenſus ipſius diuinitatis hîc notetur, atque is ſemper ſit æquilaterus & æquangulus, non debuit eius imago vel hiulca eſſe, vel aliquam admittere inæqualitatem. Dal autem, id eſt, deſcenſus hic, de quo agimus, nihil aliud eſt, quàm vita omnibus totius vniuerſitatis rebus pro ſuo cuique modo communicata: quam ſi formarum datoris titulo inſignias, non video quid apud eos ſis peccaturus, qui dextra porrectum ſermonem non accipiunt ſiniſtra. D. Auguſtinus in expoſitione illius loci, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, agnoſcit vitalem quendam ſpiritum creatum, quo totus mundus aſpectabilis mouetur & continetur: quem ſi ſimpliciter toti mundo præfeciſſet, hoc ipſum quod nos quærimus, expreſſiſſet. Hæc noſtra autem, ſiue intelligentia ſiue anima mundi vocetur, omnibus vitam impertit trianguli forma; & quidem per omnia ſibi conformis: qui cùm perfectam & abſolutam rerum eſſentiam à diuinitate per ſimilitudinem quandam & modum exempli ad ideam primâ formati deducat, vndiq. concluſus eſt, & ſuis terminis definitus; qualis figura Dalet apud Græcos videtur? Ceterùm cùm homo hanc imaginem quam Deus ipſi impreſſerat, corruperit; & vitiis terrenis mortem adferentibus aditum dederit; figura Aleph inferiore ſui parte aperta eſt: per quam homo de ſede mentis ſuæ lapſus eſt in cacodæmonis & æternæ mortis ſeruitutem. Hortatur enim præceptor, vt ad veram vitam è qua cecidit, reuertatur, & qua via & ratione reuerti queat, exponit. At cùm Spiritum ſanctum rogamus vt in nos deſcendat, & vitæ librum nobis aperiat, perfectam vitæ imaginem nobis vt imprimat & ſartum tectum reddat, quod culpa noſtra vitiauit, oramus. Quamobrem Dal ſiue Spiritus ſancti in nos deſcenſus, cuius omne donum perfectum eſt, triangulo æquilatero, qui omnium perfectiſſimus eſt, denotetur oportet; quo vita item perfecta ſignificatur. Quoniam verò hæc principiò homini talis data fuit, vt eius medio citra omne externum adiumentum ad æternam poſſet peruenire felicitatem; ſic in ſacris pingebatur, vt ſupremo trianguli apici rotundus globus æternitatis index imponeretur. Verùm quia hominis natura per primi hominis lapſum illud vitium fecit, vt quamuis in vita quidem maneret, ea tamen multis partibus ab antiqua degenerarit; & illud in primis perdiderit, vt ſua ſponte ad æternam vitam non amplius poſſet adſpirare; ſacrarum notarum architecti, triangulum æquicrurum cum globo ſupremo angulo impoſito ſic pinxerunt, vt totus euerſus & in præcipitium ruens cerneretur, qualem in poſtica Canopi parte veluti decidentem videmus. Ceterùm quo clariùs quod de globo dico intelligatur, non fuerit abs re hanc meam interpretationem aliis etiam indiciis & argumentis ex antiquitate ſumptis roborare. Plerique veterum ſcriptorum Ægyptios obeliſcos Soli dedicatos putauerunt, propterea quòd non ipſi modò ſua figura Solis radios imitarentur, ſed Solis etiam effigiem ſupremo ſuo apici impoſitam haberẽt: quos equidem aliqua quidem tenus excuſauero, ſi Solis effigiem non pro Sole quem aſpicimus, ſed pro Sole in quo Deus tabernaculum ſuum poſuiſſe dicitur, accipere dicantur. Verùm metuo ne non tam altè de priſcorum hominum religione cogitarint, eo quòd videam pleroſque in elementis mundi & Sole & aſtris, quorum lumen oculis corporis vſurpamus, conſtitiſſe: Nos ſecuri quid vel hi vel alij poſt ſolidam Ianigenarum doctrinam vel commenti ſint vel ſomniarint, illud in medium adferemus quod perenni congruit veritati. In primis igitur obeliſci, & pyramidis, & cuiuſuis alterius metæ eandem dicimus fuiſſe ſignificationem; iis ducti rationibus quas in Aleph annotaui. Cùm igitur pyramis à Bur-ram nomen acceperit, atque ea dictione ignis extenſio ſignetur, denotabatur pyramidis cùm nomine tum figura vita, eo modo quo ad Vnum ſeſe extendit atque porrigit: quod quid aliud eſt, quàm ſignificare, ſic vitam noſtram demum fore beatam, ſi rectà ad ipſum Vnum, haud ſecus atque ignis, contendat. Verùm quoniam Bur ſiue Ber quaternariũ etiam ſignificat, Ber-ram non tantùm ignis, ſed quaternarij etiã ſignificabit extẽſionem; & optimè illud quidem, eo quòd prima pyramis quatuor triangulis planis comprehendatur, & prima ſit pyramis, & prima corporatæ magnitudinis rectis lineis comprehenſæ extenſio; in qua quaterna trinitatis imago repræſentatur, omnia ſecum ad ipſum Vnum ſubuehens. Nam Bur-ram non ignis modò & quaternarij extenſionem ſignificat, ſed regulam etiam deſignat rerum omnium ferendarum. Omnia enim

Triangulo æquilatero quid denotetur.

Obeliſci Ægyptij cur Soli putentur dedicati.

Obeliſci, pyramidis, & aliarum metarum eandẽ eſſe ſignificationem.

Pyramidis notatio.

nia enim sic ferri ad Vnum debent, vt vndique trinitatis sigillo munita sint, & in acumen porrecta. Hinc fit, vt hæc figura propriè & primò 𓂋𓏏𓂋 nobis vocetur; eo quòd res omnes filio patris æterni vero opifici alliget atque connectat. 𓂋𓏏 enim filius est & omnium rerum creatarum principium: Tau verò vinciendi habet significationem. Quoniam verò quaternarij vnitates sic in pyramide disponuntur, vt singulæ acuminis habeant rationem; fit vt 𓂋𓏏𓂋 pro quarta cuiusque rei parte dicatur. Pyramis enim prima singulas vnitates pro singulis sui cuspidibus habet. Vide quantum mysterij in plebeia loquendi consuetudine deliteſcat, quamque doctus fuerit & mathematices & Theologiæ, qui primus nomen 𓂋𓏏𓂋 pro cuspide & quarta parte dixit. Iam quia omnium rerum creatarum vita quaternarij pyramide continetur, vndique Trinitatis & Vnius imagine obsignata, & quamdiu ea continetur, locum suum in rerum vniuersitate obtinet, 𓂋𓏏𓂋 etiam pro suo cuique loco ponitur. Deinde quia omnes res per 𓂋𓏏𓂋𓏏𓏏𓈖 siue pyramides, disponuntur; per quas vitam habent; factum est, vt 𓂋𓏏𓂋𓏏𓏏𓈖 in singulari numero pro iusta rerum quarumuis collocatione dicatur. Nos 𓂋𓏏𓂋𓏏𓏏𓈖𓂋𓂧𓏏𓈖 dicimus, vnde Latinorum Ordo. Quaternarius ergo cuspis est vndique triangulum repræsentans, qua nihil est validius ad penetranda omnia: & hæc vera est Seraphica flama, in qua prima elucet imago Trinitatis. Igneus amoris ardor, quo Deus se accendens creauit omnia, quaternarium primum illustrat, & in eo sui ardoris imaginem relinquit. Quamuis autem Dei potestas sit infinita, creationem tamen suam non est dimensus sua infinitate, sed potestate illius quòd primum igneum ardorem è diuina bonitate & amore duxit. Quamobrem cùm ternarius Trinitatis typum gerat, & singulis suis partibus singulas personas explicet, voluit Deus vim suam quaternario accommodare, ad eum modum, vt ternarius ductus in quaternarium duodecim expleat, qui numerus totam totius mundi complectitur ideam. Hic enim vltra Trinitatem principium rerum omnium tum efficiens formam & materiam, tum ad se, tamquam finem omnium, referens tres hierarchias triadicas comprehendit; quarum supremus apex est, & quaternarius & ignis eodem vterq. nobis nomine signatus. Quaternarius ergo causſa ordinis est prima, reliqua omnia Deo haud aliter deuinciens, quàm primus annulus in catena ceteros omnes tenet, & ei è quo hæret, annectit. Sed hæc alterius loci. Ceterùm quamuis pyramidis nomen commune sit omnibus pyramidibus è quacumque tandem materia constent, cuiuscumque figuræ basim; illud tamen earum genus quod ex vno lapide conficitur, & in acutiorem mucronem terminatur, obeliſci nomen apud veteres accepit; ceu paruum veru diceretur. Mirum profectò, ingentes id genus moles verutula fuisse nuncupata; quasi non satis earum magnitudo deprimeretur, si verua voce non diminuente vocarentur. Quid alij in hominum operibus maximè mirentur ignoro; mihi certè inter omnia quæ vmquam oculis conspexi, nihil admirabilius visum est, quàm obeliſci; quorum vel sola vectura animo dumtaxat æstimata incutit stuporem; vt interim omittam erigendi laborem & tantæ molis in aëre suspensionem. Obeliſcis pyropos imponi solere in Alef tradidi, & addidi iis æternâ lucem denotari, quam nostri Theologi cæli empyrei nomine designant. Quanto verò magis augusta est cæli empyrei & æternæ vitæ maiestas, tanto pyrrhopæcilos, cui eius symbolum imponitur, indignior videtur nomenclatura diminuente. Marmoreæ potiùs turres vocari debuissent, quàm ad verutulorum trahi contemptum, quo 𓂋𓏏𓂋𓏏𓏏𓈖 obeliſcorum vocabulo affici videntur. Qui nomina his lapidibus tot millium hominum labore confectis tribuerunt, eos nefas sit cogitare aliunde quàm è sacro sermone nomen iis dare voluisse. Atqui sacer sermo Phrygius erat, idem nimirum cum sermone Aſcaniorum siue Teutonicorum, quem prius quàm primum esse docuissem, Cimbricum soleo vocare. Quamobrem si scire velimus quæ apud sacerdotes Ægyptios obeliſcorum fuerit nomenclatura, videamus quî obeliſcus in Phrygia lingua nuncupetur. Hîc mox 𓂋𓏏𓂋𓏏𓏏𓈖𓂋𓂧𓏏𓈖 inuenimus pro exiguo veru siue obeliſco dici; quæ vox ingentibus his lapidibus aut rupibus potiùs excelsis data est à fine, quem Aristoteles in nominibus faciendis potissimùm obseruari debere, commonefecit. Dicitur enim 𓂋𓏏𓂋𓏏𓏏𓈖𓂋𓂧𓏏𓈖 à 𓂋𓏏𓂋𓏏𓏏𓈖, quod idem est quod figo. 𓂋𓏏𓂋𓏏𓏏𓈖 componitur è 𓂋𓏏𓂋, quod est exploro, & 𓂋𓏏𓂋𓏏𓏏𓈖, quod caput significat. Admiranda compositio, ita me Mercurius amet. Adeóne quoties quisquam aliquid figit vel acu vel acicula vel veru, de explorando capite cogitare debemus? Debemus profectò, si primi

Ωιτ.
Ωι.
Ordo, inis.
Quaternarij mysteria.
Duodenarius totius mundi ideam complectitur.
Obeliſci qui sint.
Sermo sacer Ægyptiorum quis.
Ωπεεθεν.
Ωπεετ.
Ωπι. Ωεετ.

primi nomenclatoris monitionem sequi velimus. Is enim sciens, nullam figuram ad figendum aptam esse, nisi pyramidis modo in cuspidem terminetur, & hac admoneri, omnes vitæ actiones ita instituendas, vt ad vnum cacumen tendant, verbum figendi illud fecit, vt eo perpetuò moneremur, mentis nostræ acumen semper debere ipsum caput vniuersorum explorare; & id quidem ea ratione qua caput Peet vocatur ab imperando. Idem enim est Spi-Jeet quod explora caput, & considera diligenter quid imperet. Sed quorsum hoc verbum accommodauit nomenclator ei qui figit quippiam. Modò dixi figenti illud habendum instrumentum, quo mox admonetur, omnia ad Vnum rectis lineis referri oportere, iuxta illud capitis axioma, *Vnum est necessarium*. Ceterùm quorsum Speetken diminuenti vocula turris id genus marmorea vocatur? Nempe vt duo simul intelligantur; alterum quamuis maximæ & stupendæ sublimitatis acus sit qua pyropus figitur, eam tamen rei minutissimæ rationem habere, si cum acie mentis conferatur; quam vt in Deum caput omniũ, siue in vitam æternam figamus, commonemur: alterum, vt vocula in duas partes solui possit, & hac via nobis denotari, Nosce quid Speet sibi velit; quod dum facimus, intelligimus semper nobis explorandum esse tum ipsum caput, tum quid caput nos facere iusserit. Iam in soluenda voce Speetken illud etiam docemur, finem inuestigandi capitis & mandatorum Dei, esse ipsam notitiam perquam Deo figimur & adhæremus. Ken enim idem est quod nosce, quo aterna vita continetur. Quamobrem ipsum Ken pyropo respondebit vi significationis, propterea quòd vita æterna globo igneo siue cælo empyreo denotata nihil aliud sit, quam Dei notitia, quam per excellentiæ figuram in Ken intelligas oportet: quod si conuertas, Nek habebis, quod idem est quod appropinquo. Nulla enim re Deo reddimur propinquiores, quàm Dei notitia; quam tum demum sumus integram habituri, cùm Deum videbimus facie ad faciem, vt Apostoli verbis vtamur. Nõ videretur ergo reprehendẽdus qui diceret, Pyropi nomen à Bur-Jop dici, quo ignis spes denotatur. At ignis vitæ in cælo empyreo agẽdæ symbolũ est, quæ nõ aliud est quàm Deum intueri. Obeliscus ergo pyropũ figens significabit, actiones omnes sic ad Vnum referri debere, vt certã spem vitę æternæ habeamus. Quãuis itaq. prima fronte Speetken diminuens vox dũtaxat esse videatur; sublimiorẽ tamen lõgè habet admonitionẽ, quę nos docet iis omnibus qui actiones suas sic composuerint, vt acutũ veru imitentur, & perpetuò caput explorẽt, certissimam & fixam spem esse debere vitæ sempiternæ consequẽdæ; quæ vt per Ken verbũ, ità per pyropi symbolũ denotatur. Cernimus nunc quàm nomina nostra signis, quæ oculis vsurpamus, ad amussim respondeant, & quantũ mysteriorũ in eorum examine recludatur. Bene itaq. obeliscos, non obelos, marmoreas id genus turres prisci vocauerũt: vt videlicet sacrum earum nomen è sermone Phrygio petitum exprimerent, tametsi Græcis non eadem arcana significarentur. Panis enim pueris primùm dandus, qui Bet vocatur, de Phrygio sermone cognoscendus est; verum & primarium animorum alimentum explicaturo iis qui norunt intimam vocabulorum medullam enucleare. Cùm modò clarum reddiderim, quid globus ille flameus obeliscis imponi consuetus significet, non erit difficile explicatu, quid idem designet in triangulo æquicruro qui deorsum à postica Canopi parte pendere cernitur. Nam si obeliscis impositus vitæ spem designet; certè si euertatur & deorsum ruat, quid aliud denotabit quàm omnẽ vitæ spem deiectam esse, quæ primo diuinitatis charactere homini à Deo impresso sustinebatur, quem triangulus æquilaterus designat. Actum enim est de prima illa spe simul ac Adam semel permisit aggerem suum ab Ates inuidia superari; & idcirco Canopus ante se videt alterius vitæ spem, quam lituus ipsi obiectus ostendit in sola cruce esse constitutam; è qua vitæ symbolum infernè apertum ita dependet, vt hinc introitum admittat, hinc etiam non impediat, quò minus excidere possis. Quamobrem semper scipione, cui alaudæ caput & crux imposita, gressus noster firmandus est; ne dum stare nobis videmur, rursus cadamus; & sicut prior vita triangulo significata amissa est, ita & hæc secunda amittatur, atque ita nulla spes salutis superstit. Ceterùm tempus est, vt ab hoc discursu reuertamur; in quo si pergeremus, latiùs per Ægyptias notas vagandum esset, quàm præsens locus ferret. Reuertamur itaque ad Dalet, in quo Dal reiecto articulo primo Trinitatis descensui propriè cõuenire satis est ostensum. quæ extra se egredi, vt non simul descendat, nullo modo potest. Præterea clarũ est, in huius vocis ratione ipsius diuini descensus

Obeliscus cur diminuenti voce appellatur.

Ken.

Nek.

Bet.

Obeliscus euersus cuius rei sit tessera.

effectum

effectum peruideri,& eum non aliùm agnosci,quàm ignem, omnibus rebus creatis vitæ calorem subministrantem; atque ideirco stupendo prorsus artificio factum esse,vt & Dalet quarta littera esset,& quaternarij nomen ignem denotaret; quicum Dal sic conuenit,vt ignis effectio per Dal denotetur, nec vlla voce denotari possit significantiùs & plenius. Mirabili igitur modo in Dal Seraphicam vallem, tetractyn, Pythagoricam animam mundi,primam ignis vitalis scaturiginem,& primum Trinitatis exemplum rebus creatis omnibus impressum inuenimus contineri; & inde deprehendimus, orationis Alphabeticæ architectum totius vniuersi architecturam hoc loco secutũ fuisse. Insigne profectò & illustre petitionis suæ fecit exordium, dum ipsum Gimel siue Spiritum Dei orauit,vt descenderet; quando descensus hic Dal dici non potest, nisi omnia vitali calore moueat, fecundet, augeat, prosperet; & id quidem omnibus quibus fieri potest rebus. Et quamuis maxima sit hæc petitio, æquissima tamen & gratissima Deo videri debet,propterea quòd archetypum ipsius imitetur,quod auctori suo nullo modo potest displicere; sed contrà semper iucundissimum esse spectaculum, iuxta illud: *Viditq; Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona.* Quamobrem non potest non gratissima esse Deo petitio illa, quæ statim ab initio pulcerrimum totius creationis archetypum commemorat, & commemoratum sic ob oculos ponat, vt nulla figura aptiùs exprimi queat. Quemadmodum enim Trinitas prima causa est omnium rerum, ita triangulus prima figura est omnium figurarum rectis lineis comprehensarum, in quam omnes aliæ figuræ soluuntur & terminantur; cùm ipsa in nullas alias vlteriùs soluatur, sed in suam formam dumtaxat infinitis vicibus diuidi queat. Triangulus ergo æquilaterus tribus personis in vno Deo essentia vnitis conuenientissimus fuerit, & optimè delinearit ipsum descensum opificis ad res creatas,quibus omnibus triangulum suæ diuinitatis impressit: per quem omnia descendunt,fiunt & conseruantur,quæ voce Dal declarantur. Nescio cuius monitu Hebræi resciuerint, litteram Dalet maximè venerandam esse; propterea quòd ea imperium Dei in quatuor mundi plagas denotetur. Nam si ad numerum referãt,idem ferè dicere videantur quod Pythagorici Tetractyn suam celebrantes. Nobis in ipso litteræ nomine, ipsaque figura longè clarior est ratio venerationis, vti ex his quæ dixi cuiuis liquebit: Iudæi tamen summa reuerentia proferentes,ad malorum omnium amolitionem sonum ipsius Dalet longa mora trahũt, magnam eius litteræ vim esse credentes. Verùm vt antiquitas huius figuræ magis cernatur,addamus & aliud luculentissimum testimonium, non ex Ægyptiacis notis, sed ex ipso cælo petitum. Docui antè Thot siue Mercurio primam deberi litterarum inuentionem,cuius beneficio & instinctu Adamus nomina rebus fecit. Hunc eundem Mercurium scribit Hyginus Deltoton in cælo collocasse super ariete, quo is illustrior redderetur. Paullo antè dixi, cælo non solùm naturalem Dei cognitionem inscriptã esse, sed eam etiam quæ naturæ limites egressa soli Spiritui sancto debetur vti vero magistro. Is ergo arietem Zodiaci circuli initiũ tenere voluit, quo intelligeremus totius vitæ mortaliũ initium esse in victima arietis immaculati, qui sanguine suo peccata mundi tollit. Siue enim arietẽ, siue ouem, siue agnum dicas; eodem symbolum spectat, & ad eandem hostiam immaculatam referetur.

Triangulus prima omniũ figurarum.

Dalet littera maximè veneranda.

Deltoton cur in cælo locarit Mercurius.

Aries cur Zodiaci initium occupet.

refertur. Quid? quòd omnia sacrificia ad vnum Christi sacrificium pertinere intelligere debemus, nec plus virium habuisse, quàm ex hac collatione accepissent. Isychius Hierosolymitanus presbyter, in quintum Leuitici caput scribens, clarè docet, Arietem immaculatum Christi esse symbolum; nec quisquam est omnino qui non sit eiusdem sententiæ, si modò Christianæ religionis mysteria vel à limine salutarit. Bene ergo Aries Zodiacum circulum exorditur; quem vt clariùs agnoscas, Mercurius Deltotum superiùs imposuit; quo nihil aliud significatum voluit, quàm Christum, qui tamquam aries immaculatus esset immolandus, verum Deum esse, qui triangulo eiusmodi denotatur. Diuinitas enim claris operibus in Christo ostensa, toti mũdo aperuit, hunc esse arietem illum immaculatum, cuius sanguine totus mundus lustraretur. Hinc optimè priscis fabulis iactatum est, Deltoton arieti ideo impositum à Mercurio fuisse, vt ipsum illustraret ac redderet clariorem: quod quid sibi velit, ipsa Euangelia disertis verbis ostendunt. Quis non cernit quantus hic mysteriorum oceanus aperiatur, & quãta lux iis quæ priùs à me dicta sunt adferatur? Alibi fortasse latiùs de Ariete & Deltoto, quod Trinitatis imaginem gerit, agemus; hoc loco sufficiat demonstrasse, adeò veterem esse ipsius Dalet figuram in ea, quam dixi, significatione, vt in ipso etiam cælo fulgere cernatur: & id quidem eo loco, vt inde colligas principij rationem & arieti & ipsi triangulo æquè conuenire, vti rectè consideranti non potest non liquere. Et quemadmodum Dalet Seraphico ordini conuenit, primò videlicet omnium rerum creatarum; ita Aries per Deltoton, ceu insigne quoddam certissimum, denotatur principium illius circuli tenere cuius ductu vita terrenis omnibus communicatur. Errant itaque insigniter qui aliud mundi principium sibi finxerunt, quod hîc corollarij loco sit adiectum. Adde & illud quo Magiam latius cernas patere, Arietem signum igneum apud astrologos haberi, atque idcirco cum Dalet insignem habere cognationem; quam nos cùm Vier pro quaternario & igne dicimus, denotamus. Aries certè in capite suo diuinitatem gerens, & igneo generis humani amore succensus, primas tenet omnium rerum creatarum, verissimum vitæ perennis, quæ Zodiaco designatur, exordium; quæ vt nobis cõtingat, ille nobis præstet qui hoc symbolo denotatur.

Aries immaculatus Christi symbolũ.

He.

PRÆFATVS petitionis suæ exordium magister, nunc illud addit quod à Deo hoc tempore ad discipulum suum demitti cupit; ita vt tota petitionis primæ summa hæc sit: Demitte altum volumen. Hîc igitur de figura He agendum. He altum esse, alibi docui: cuius ratio est Spiritus in altum ferens ipsi Vni præpositus, ceu diceretur, Alta euectio ad Vnum. Vox Anglis est hactenus quàm nostratibus vsitatior. Nostrates enim hoc tempore extra compositionem maximè Ho & Hooch pro eodem dicere maluerunt: & sicut illo spiritus ad vnum tendens, ita his spiritus ad æternum tendens denotatur, quorum vtrumque eodem pertinet. Verùm non eadem semper in eodem honore vocabula apud omnes manent; in quorum defectu ad deriuata & composita, & ipsam obsoletæ vocis etymologiam est recurrendum, & aliquando aliæ gentes eiusdem linguæ de vocis notatione interrogandæ. Cùm autem altitudinis varij sint modi, & variæ ad diuersas altitudines viæ, placuit vt ea ad hanc nostram altitudinem designandam figura acciperetur, quæ notissima esset & omnibus domestica. Ea autem est pars scalæ. Frustra enim tota scala pingitur, vbi ex parte tota cognoscitur. Habemus itaque pro He partem scalæ, perinde atque pro pedo partem pedi superiorem. Ne tamen plebeia esset & nimis vulgaris scalæ pro He delineatio, sic est à sermonis nostri opifice scala nominata, vt statim prima fronte vox ipsa symbolicam significationem ostendat. Leer enim, si ad originem examinetur, vel ex Le eer fiet, quod est id quod humile est honoro; vel ex litteræ L potestate & eer: quo compositionis modo Leer excelsus honor dicetur. Cùm igitur vtraque interpretatio honoris habeat mentionem, & is in scalis domestico & trito omnibus instrumento nullus esse cernatur; cogitemus necesse est, nomenclatorem ad altiora in scalæ nomine respexisse: id verum esse ex eo mox perspicietur, quòd eadem voce Leer ad longè diuersam significationem vsus sit; nam Leer in alia notatio-

He litteræ notatio.

He litteræ figura.

Leer.

ne tria significat; diuersa illa quidem, sed quadam tamen naturæ lege coniuncta. Leer enim aliquando idem est quod disco, aliquando idem quod docco, aliàs idem quod doctrina siue disciplina. Cùm igitur in his vocis ratio clarior sit quàm in protrito & sæpius conculcato instrumento; inepti simus, nisi cogitemus symbolica aliqua ratione nomen ad scalam venisse. Voluit enim prudentissimus sermonis omniumque symbolorum architectus perpetuò nos moneri, dum scalam adscenderemus in altum nos tendere, non tam hoc instrumento quàm disciplina; quæ eodem nomine quo scala vocata, facillimè in memoriam de scalæ commemoratione vsuque quotidiano poterat venire. Elegantissima sane hæc est doctrinæ scalæque comparatio, eo quòd per scalam facilis est ad ardua conscensus; ita per doctrinam quoque promptus sit adscensus ad altos honores, qui in scalæ nomine designantur: & quemadmodum in scala paullatim per gradus in altum euadimus; ita quoque in doctrina per gradus adscensus fieri debet; & quantum graduum in doctrina adscenderimus, tantundem promouerimus ad honores & dignitatem. Nunc vt moneret, aut potiùs vt præscriberet quæ docenda discendaque essent, sic vocem ad vtrumque significandum fecit, vt honoris ratio in primis habenda esse demonstretur, quasi diceret, ea sola docenda & discenda quæ ad veros conducunt & solidos honores: quæ qualia sint, ex vocabulo Ceer clarissimè cernes; quod sic factum est, vt ea sola ad honorem spectare definiat, quæ ab Vno & legitimo manant, & hominem ad id quod ratio postulat paratum reddunt atque promptum; quorum posterius ichnæa vocis Ceer conuersio demonstrat. Vide, quæso, quàm breui compendio omnes omnium scholarum leges comprehenderit; quibus nec video quid addi, nec video quid demi bona ratione possit. Laudantur de sententiarum breuitate Spartani, & non immeritò laudantur, sed nomenclator noster tanto se illis præstitit in hoc certaminis genere superiorem, quanto æquius est eum ceteris præstare mortalibus, qui nihil nisi diuino loquitur instinctu. Dum enim Leer considero, & eius natales ab Ceer repeto, discoque ex ichnæa conuersione animũ hominis honoribus præparari & promptũ ad officium suum reddi; nescio qui ad tam illustris spectaculi, tam latè per omnia officiorum genera patentis inspectionem contemplationemque pæne stupidus obmutescam, nec verba satis bona suppetant, quibus quàm mirabiliter afficiar exponam. Neque enim video quid primùm admirer ipse, vel quid primùm aliis admirandum proponam: hinc cerno humiles per doctrinam honorari; & vnà cerno in doctrina sola excelsos esse honores: hinc animaduerto, eos solos honores dici posse qui à legitimo profluunt, & ab ipso Vno deriuantur, nulla habita multitudinis ratione; atque idcirco nobis præcipi, hæc sola discenda docendaque esse, quæ ex Vnius & legitimi fonte promanant, reiectis omnibus falsis, vanis, superuacaneis & noxiis cùm omni ætati, tum maximè puerili. Iam cùm reuertor ex Ceer per vestigia retrò ad ipsum Reer, admirabili breuissimæ monitionis vtilitate percellor, atque mecum expendo quàm vehementer contra Deum & remp. illi peccent, qui adolescentum & iuuenum animos ad disciplinas & omnem rectam officij rationem honoribus non excitant, si id quidem in ipsorum sit potestate; in vniuersum verò à nemine committi præter magnum scelus posse, vt cuiusquam doctrinam debitis honoribus fraudet, quando ex spiritus nomenclatoris nostri magistri sententia sic statui video, vt excelsi honores doctrinæ præcipuo quodam iure debeantur. Quid dicam nunc si Leer in Reel conuertamus, & hoc vocabulum ex notatione vocularum Ree & potestate litteræ L interpretemur? An non hîc statim cernemus, ipsam doctrinam præparationem esse sublimem & excellentem, aut potiùs apparatus omnis excellentiam? At cuius, & ad quid apparatum? Cuius alterius quàm eius qui docetur? & ad quid aliud hic præparabitur, quàm vt ad vltimum hominis finem consequendum sit promptissimus? Obruit sanè me huius vocis Leer admirabilitas; & quanto eam profundiùs intueor & examino, tanto sese maior mysteriorum copia suggerit. Inter alia mecum repeto, doctrinam veram scalam esse, per quam genus humanum ad cæleste regnum adscendit: qua qui careat, nulla spe consequendæ nitatur felicitatis. Venit interea in mentem illius scalæ per quam Iacob angelos vidit adscendentes & descendentes, cuius superior pars ad cælum pertinebat. Quid multis? Hoc apertè cernimus, non aliam homini scalam propositam esse, qua ad vllum sublimitatis gradum adscendat, atque hanc ipsam quam nobis nomenclator ostendit, dum non alio nomine scalam quàm doctrinæ; nec alio nomine

Scala & doctrina consensus.

Honoris ratio in iis quæ docenda discendaq; sunt præcipuè habenda.

Ceer. Leer.

Leer. Reel.

Doctrina scala est qua in cælum ascenditur.

mine doctrinam quàm ſcalæ vocabulo voluit nuncupari. Quamobrem dum He littera per ſcalæ ſimulacrum pingitur, monetur Alphabetarius Canopus omnium eorum quæ modò diximus, ex Ler intelligi & poſſe & debere; & mutua ipſius He vocis & picturæ ſymbolicæ concordia ſacroſanctam eſſe apud homines legem, ad altum neminem nec poſſe nec debere peruenire, niſi per doctrinæ ſcalam ad ſublimitatem enitatur. Scalæ autem huius primus gradus eſt, diſcrimen rerum, in quibus primum agnoſcimus lucem ac tenebras. Hinc Scalæ nomen apud Latinos vſurpatum à Scal noſtro deriuatur, quod præteritum imperfectum eſt ipſius Scel/quod ſignificat differo. Omnis enim cognitio à differentia ſumit exordium. Hinc apud Hebræos סלה qua in voce Samech pro Scin ponitur. Non igitur Ler tantùm, ſed Scala etiam ad doctrinam refertur de vera vocis notatione; quæ rerum differentias, gradus ad cognitionem eſſe demonſtrat: per quos nimirum ad ipſum Vnum peruenitur. Et quoniam hoc noſtro adſcenſu Vni conglutinari cupimus & firmiſſimè adhærere; voluit vocabulorum architectus, vt Clim pro Scando poneretur, ceu quis diceret, He-lim quod eſt eius qui glutinum deſiderat. Lim enim glutinum deſignat à Lei-me/quia quod tangit, vnà ſecum trahit. Dum itaque Clim pro ſcando dicimus, cupimus vt ad altum trahamur, & ipſi alto conglutinemur. Quod enim ſpiritus in He notat, id He in Clim exprimit; eo quòd nihil verè altum ſiue He dici queat, quod non ad Vnum ſpiret; nec quiſquam verè ſcandat, niſi qui cupit conglutinari atque vniri cum illo cui ſemper dicere debemus, He lei-me/id eſt, deſidero vt me tecum ducas: quod quid aliud eſt quàm illud, Trahe me poſt te? Rogemus ergo patrem vt nos per filium ſuum trahat, dum ſcalam doctrinæ adſcendimus. Miranda ſane huius verbi Clim origo, qua ſimul & duci cupimus & conglutinari. Diſcant modò Græci vnde Climax dicatur pro ſcala, quod certè hactenus nemo aſſecutus eſt. Hinc & Clematis & Clymenon & periclymenon nomina ſua duxerunt, quòd nimirum adſcendant. Nec aliunde κλῆμα deriuatur, vt vt in eo ineptiat Etymologici ſcriptor, quo nomine ſumma arboris flagella deſignantur, eo quòd iis arbor in altum aſcendat, Climax certè Clim-mat exprimit, quo adſcẽdendi commoditas deſignatur. Mirum quàm omnia ſint conglutinata viſco illo, quo is qui adſcendere ſe noſtrati lingua dicit; ſummo bono coniungi deſiderat. Omnia enim qualia qualia ſint, ſuo quæq. modo & ſuis quæque gradibus ad ſummum bonum contendunt, vt ipſi adhæreſcant & vniantur. Cùm igitur quatuor ſint rerum creatarum genera, alia intellectu, alia ſenſu, alia vita, alia eſſentia tantùm prædita, vt Areopagita tradidit; tota vniuerſitas quatuor his gradibus ad Deum adſcendit, vt quàm poteſt arctiſſimè conglutinetur. Super hoc fundamento Raimundus ille, quem de Sabunda vocant, ſcalam ſuam ſtabiliuit; per quam ad ſummum religionis apicem aſcẽdit. Nos hanc ſcalam vtilem illam quidem eſſe ſcimus, & æque à D. Paullo atque à D. Dionyſio laudatam; verùm alteram quam Iacob vidit, pluris facimus; vtpote firmiorem, certiorem & altiorem, atque eam per quam angeli diuino iuſſu ad mortalis humanæ ſalutis oracula detulerunt, & rurſus vnà ſecum ad patrem cæleſtem animos reducunt. Hæc tandem ſcala illa eſt quæ meritò Ler dici poteſt; eo quòd per eam mortales ad ſummum honorum culmẽ adſcendant.

He cuius rei ſymbolum.

Doctrinæ primus gradus.

Scala etymò.

Scal.
Scel.

Clim.

Lim.

Climacis etymon.

Rerum creatarum genera quatuor.

Scala Iacob.

Hæc ad ipsum vsque patrem & antiquum dierum pertingit, cui per magnum angelum conciliati sumus, cui vt amoris glutino vniamur, & nunc & semper oremus. Quamobrem doctrina Christiana veteris & noui testamenti libris comprehensa, primùm meretur vt Leer dicatur; & is qui per eam sursum enititur ad patrem vniuersorum, ad caput scalæ à Iacobo visum, is proprie Climmen/ id est adscendere, vt conglutinatio fiat, censebitur.

Vau.

Vau littera nomen apud Æoles & vetustos Romanos etiã vsitatum.

SEQVITVR Vau litteræ nomen, non apud Hebræos tantùm à Ianigenis relictum, sed apud Æoles etiam & vetustos Romanos; tametsi hi in digamma solo & consonante hanc agnouerint appellationem. Vox hæc vel sola satis luculentam habet rationem, quæ necessaria collectione concludat, litterarum nomina nec Hebræa esse, nec Chaldæa, nec Syra; cùm nihil omnino apud has nationes habeat significationis. Scio tamen pluralem huius numerum bis in Exodi capite vicesimo sexto inueniri, sed tam vel nullam vel ambiguam apud Hebræos habere interpretationem, vt qui sanissimam videntur dedisse, clauos comminiscantur ad litteræ Vau figuram formatos. Meliùs diuus Hieronymus & ceteri, qui ex sacræ scripturæ contextu & verisimili rerum coniectura columnarum capita verterunt; licet cur ea sic Moses nuncuparit, nihil potuerint ex Hebræorum sermone rationis adferre. Nobis hæc res clara est, quam mox de significatione ipsius Vau omnibus ostendam. Vau nobis vox est in vsu frequentissimo, ipsis ferè infantibus semper in ore consueta versari: quibus natura indidisse videtur, vt quicquid possunt id complicent & rursus explicent, ceu in complicando & explicando primarium aliquod vitæ munus cerneretur. Est enim Vau quiuis cuiusuis generis sinus, siue is per angulum re quapiam in se redeunte fiat, siue per spirarum aut circulorum portiones, vel etiam per integrum circulum. Vox sanè indicat rei quendam in se recursum, sed eum tamen non semper coëuntem, sed frequenter hiulcum atque diductum. Videtur enim vocabulum in se recurrere, & eadem littera hinc principium sibi facere, hinc finem; quamuis primo loco consonans, postremo loco reddatur vocalis. Est autem sonus litteræ V eius naturæ, vt rotundum aperiat, & labra quæ in rotundo sono perficiendo erant ferè coitura, sinu quodam producto exteriùs recludat, atque idcirco V consonans & V vocalis vel per A vel per O conglutinatæ, sinum nobis significant; cuius in pronuntiando quandam ostendunt informationem. Huc Terentianus vocandus, vt intelligatur dum dicit, Et sola sonum redderet ex sua figura: quod à nemine hactenus vidi bene vel intellectum vel explicatum. Habet itaque Vau siue Vou (vtrumque enim dicimus) sinum quendam tum in pronuntiatione, tum in figura: atque hinc nomenclatoris nostri industria cernitur, qua pro sinu hac voce suos vti iussit. Quid rogo naturæ conuenientius fieri potuit, quàm si vox pro sinu fieret, in qua littera sinus de sua natura index bis contineretur, semel vt vocalis, semel vt consonans; & ea sic in se rediret, vt tamen circulum non absolueret, sed aliquid relinqueret hiulci, quod sinuum est proprium? Plus hic artis video, quàm paucis docere possim; & id ipsum sic implicatum suis sinubus, vt non cuiusuis sit explicare. Satis sit nos ex Vau in Vau venire, ea quam dixi reditus seruata diuersitate. Quia verò Vau circulum rotundum ipsius O recludit, & exteriùs porrigitur, & quod exteriùs ad eum modum procedit, longè lateque vagandi exitum præbet; placuit nomenclatori, vt hoc elemento in rebus latè diducendis vel distrahendis vteretur: ita perpetuò fuit diligentissimus naturæ imitator. A Vau vel Vou, Vaut vel Vout in vsu habemus pro quauis conca-

Vau quid significet. Plicandi procliuitas in infantibus.

V littera natura.

Vaut. Vout.

meratione, ceu diceretur sinus comprehensio, quæ per Tau denotatur. Hinc Itali Volta Gotisantes pro eadem re dicunt, V in L & contrà crebrò transeunte. Vnde liquet, non solùm pro angulari sinu & compresso Vau in vsu vetustis fuisse, quod indocti quidam nostrates fortasse suspicarentur, sed pro sinu etiam circulari & spirali; & id quidem de vocis origine magis proprie; eò quòd rotundi recluso in hoc magis appareat. Vauwen igitur non solùm erit, quod vulgò dicunt, plicare; sed illud etiam, & quidem magis, quod inuoluere dicunt Latini. Quid? an non Voluo à Vouwe acceptum est, V in L mutato,

Vauwen. *Voluo verbi etymon.*

V apud Cimbros sæpe transit in L.

mutato, & duplici W in ſimplex? Eſt'ne quicquam euidentius? Nemo enim eſt qui neſciat apud noſtrates ſine notationis diſcrimine Aut & Alt, Saut & Salt & ſimilia ſimiliter duobus modis proferri ſolere. Hinc iam lux loco ex Bibliis antè citato infertur, & clarè cernitur, columnas quas Moſes fieri iuſſerat, Ionici generis fuiſſe; quarum capita in volutas vtrimque retorquentur. Nec id mirum, cùm in Ægypto, vbi Moſes inter ceteras diſciplinas Architectonicen quoque didiciſſe videtur, plurimos Iones fabros quæſtum ſequentes veriſimile ſit artem ſuam exercuiſſe; & idcirco Moſen eiuſmodi capita de ſacerdotum nomine, quorum fuerat diſcipulus, Dauheden ſiue Dauhoden nominaſſe, id eſt, capita in volutas retorta, & eam vocem ad Hebraiſmum accommodaſſe, in וַיְהִם, quò meliùs linguæ inflexioni conueniret, immutatam. Sed iam videamus quid Vau in oratione Alphabetica deſignet. Id obſcurum non eſt, ſi ſcias libros plicando & voluendo confici ſolere; & hinc duo mox librorum genera exſtitiſſe. Dou itaque librum ſignificat per excellentiæ figuram, qua vox præſtantiſſimo plicatilium rerum generi vindicatur. qua in re Romani priſcos ſuos maiores Ianigenas imitati, volumen pro libro dixerunt in ſe voluto. Fuit & alia plicandorum librorum ratio, quæ tabulas imitabatur; quæ talis erat, vt libro aperto duæ ſtatim paginæ apparerent, nec tamen à tergo pagina ſcripta eſſet. Pauca enim erant opiſtographa: quod non alia ratio impediuiſſe mihi videtur, quàm chartæ ex papyro tenuitas; quæ non omnis tam vel craſſa vel firma erat, vt commodè à tergo ſcribi poſſet. Voluminum certè in charta papyracea & prior & commodior vſus videtur fuiſſe: quæ mihi, ſaluo aliorum iudicio, & ſalua mihi, ſi ſaniora quiſquam è vetuſtis depromat monumentis, palinodia, ſic ſcribi ſolere videntur, vt lineæ iuxta chartæ latitudinem ducerentur, & inde volumina per verſus, non per paginas numerarentur. Codices volumina erant tam ſpiſſa, vt trunci arboris inſtar haberent; qui in libros, & hi rurſus in minora volumina nonnumquam diuidebantur. Id autem ad legendi commoditatem fiebat, vt parte aliqua perlecti volumen deponeretur; & id toties fieret, quot vnius codicis aut libri volumina eſſent. Hoc modo Cæſaris Anticatones grandi viri faſcino Iuuenalis comparauit, dum canit:

Moſes architectus.

Vau in oratione Alphabetica quid deſignet.

Librorum duo genera apud antiquos.

Codices priſcorum.

Iuuenalis locus explicatur.

——*Sed omnes*
Nouerunt Mauri atque Indi quæ pſaltria pœnem
Maiorem quàm ſint duo Cæſaris Anticatones.

Potuerunt tamen ipſa quoque volumina in ſelidas & paginas diſtingui, perinde atque longa aliqua planities in multa plethra diuiditur: quod ſi factum vmquam fuit, vt mihi hactenus non liquet, paginæ ſecundum longitudinem quoque ſcribi legiſque potuerunt. Ex voluminibus librorum habemus vmbilicos; de quibus nihil hactenus ſcriptum vidi quod placeret: quod non vidi, non reprehendo. Relictis igitur aliorum opinionibus, nos vmbilicum in ſolis voluminibus agnoſcimus; & eum eſſe dicimus tenue & exile vel lignum vel oſſiculum, vel teretem virgulam eburnam, cui extrema pars voluminis colla vel alia ratione annectebatur, vt ab ea inuolutio caperet exordium: quo fiebat, vt in libris euoluendis poſtremum finem clauderet. Huic vtrimque rotundum aliquid vmbilici forma exſtitiſſe credo, cui iniectis vtrimque filis, volumen poſſet colligari. Dicebatur autem vmbilicus, quòd totius codicis, & omnium librorum & voluminum eſſet meditullium, & principium omnium inuolucrorum, vti infantis vmbilicus omnium membranarum quibus continetur. Nunc itaque Martialis illud intelligemus, quod ſecundo libro poſuit epigramma:

Vmbilicus in voluminibus quis ſit.

Martialis locus explicatus.

Quid prodeſt mihi tam macer libellus,
Nullo craſſior vt ſit vmbilico.

Hinc illud clarum apud eundem:

Ohe iam ſatis eſt, ohe libelle,
Iam peruenimus vſque ad vmbilicum;
Tu procedere adhuc & ire quæris?

Quò igitur ire quærebat, ſi vmbilicus erat poſtremo voluminis fini annexus? Ad tergum videlicet, vt Oreſtem Iuuenalis imitaretur, de quo cecinit:

Scriptus & in tergo necdum finitus Oreſtes.

Clarum enim eſt, in voluminibus non antè ad tergum progrediendum fuiſſe, quàm ad vmbilicum veniretur: poſt quem ſi quid erat ſcribendum, ad Opiſtographon erat eundum,

dum, quod tamen non omnis charta admittebat. Ceterûm quia incommoda erat voluminum legendorum ratio, tandem libros complicarunt, ita vt ad singulas apertiones duæ mox paginæ, nec plures, viderẽtur; in quarum altera mercatores accepta, in altera expensa scribebant; atque hac ratione totum suum codicem absoluebant: quod hactenus obseruari videmus. Hinc illud: Fortuna vtramque paginam facit, id est, quicquid accipimus, Fortunæ acceptum ferimus: quicquid perdimus, illi item ferimus expensum: quod nescio an hactenus ab omnibus bene fuerit intellectum. Vt autem in voluminibus facillimum est videre alteram dumtaxat partem litteris accipiendis plerumque solere destinari; ita non similiter quiuis videbit, qui per duas semper paginas progrediendo vna dumtaxat pars libri scribatur, altera vacua & inani relicta. Hic animaduertas quî flabella mulierc ularum complicentur, & quî pueri ex vno papyri folio laternas faciant complicando: quod fit eo modo, vt sinus alternatim recurrant, & tota interim charta in plurimas paginas distincta non secetur: sed is qui scribit, primo sinu recluso, priùs in sinistra, deinde in dextra pagina scribat; ac deinde papyro rursum in angulum plicata, ad tertiam progrediatur, atque ita deinceps semper eandem anticam chartæ partem sequens, ad vltimam vsque pergat paginam. Quòd si tunc cum Martialis libello vlteriùs pergere velit, vertendus liber, & aduersa parte aperiendus, vbi tot paginas albas inueniet, quot antè litteris occupauit. Vidi librum maximum è charta pergamena factum, qui ad hunc modum erat complicatus, & priùs parte anteriore totus percurrendus, ac deinde hac clausa altera parte aperiendus; qua paginæ opistographiæ occurrebant. Nec dubito equidem eos libros quos ad tabularum modum Romani concinnabant, sic plicatos fuisse; & in his singulas facies singulas paginas feciſſe: quod mihi Plinij locus, nescio an à quoquam hactenus intellectus, persuasit. Hic docet papyrum iunci genus in paluſtribus Ægypti locis aut stagnantibus Nili aquis, quarum altitudo duo non excedat cubita, nasci; & triangulo scapo ad decem cubitorum altitudinem excrescere. Habeo ego duos è papyro scipiones cum hac trianguli forma non malè congruentes. Ex hoc iunci genere in tenuissimas philuras sciſſo charta ad hunc modum fit: Capitur scheda siue philura siue tænia ea longitudine quam papyri scapus dedit: extenditur super tabula, madida turbidis Nili aquis, quæ glutini vim præstant, atque hæc prima philura stamen est chartæ. Huic deinde alterius papyraceæ tæniæ segmenta imponuntur transuersæ ad angulos rectos; & madidæ glutino suo, quod Nilus subministrat, comprimuntur, ac mox Sole siccantur. Latitudo chartæ optimæ tredecim digitorum ceteris paulatim minor. Scripturam autem parte ea excipiebat, qua segmenta, quæ subteminis locum habent, sunt agglutinata, & rarò altera parte scribebatur. Inuenta est postea tamen quæ Macrocolla vocabatur, eo quòd postrema glutinatio in longum, non in latum porrigebatur. Stamine enim & subtemine coniunctis, tertia tænia glutino inducebatur, quo crassitudo maior firmiórque esset. Harum latitudo ad pedem cubitumque processit. Verùm hæc non diu probata est. Ratio enim, inquit Plinius, deprehendit vitium, vnius schedæ reuulsione plures infestante paginas. Quid hîc dicat Plinius non facilè quisquam perspiciet, nisi eum, quem dixi, plicandi modum cognoscat. In eo enim si suprema chartæ tabula recta in longitudinem porrigatur, multas paginas eædem papyri fibræ percurrent: quo fiet, vt si aliqua leuis tæniola desquammetur, atque ea auellatur, multæ paginæ vitium hoc sint sensuræ; & tot quidem, quot in vna papyri longitudine continentur. Ex hoc clarum est, scribi solere in ceteris chartis ea parte qua transuersæ crates erant actæ; nec papyraceam chartam complicatam scindi solere, vti hodie fieri videmus. Deinde & illud perspicitur, vitium illud quod in Macrocollis Plinius accusat, opistographis quoque libris accidere potuisse, eo quòd postica librorum pars recta lamina in longum extensa non minùs constaret quàm Macrocolla parte vtraque exteriore. Monuit me quondam huius rei Morlionus, diligentissimus antiquitatum & historiæ naturalis, quoad vixit, explorator; verùm monuit tantùm, vt semper ferè excitare malebat, quàm docere, quod tamen hoc loco instar erat totius enarrationis. Videmus itaque non in solis voluminibus posticam libri partem, cùm ad vmbilicum ventum esset, scribi; sed id quoque in libris ad planitiem complicatis accidere quiuisse, si necessitas ita tulisset.

Est sanè quod nobis gratulemur, qui infinito meliorem chartam, quàm fuerit papyracea, è

Fortuna quomodo vtramque paginam dicatur facere.

Libros cõplicandi peculiaris modus.

Papyrus cuiusmodi fuerit, & ex ea quo modo charta fieri consueuerit.

Macrocolla.

Plinij locus explicatus.

Charta è tritis lineis & gossypio.

cea, è tritis lineis & gossypio paramus: quæ tam firma est, vt æquè à tergo atq. à fronte litteras possit sustinere, & singulis foliis binas paginas continere; alteram anticam, alteram posticam; adeò vt nihil ampliùs vetet, quo minùs statim post primam paginam in opistographo eius scribamus. Quòd si Romani nostrũ in plicando morem & scindendi folia in Macrocollis secuti fuissent, nihil habuissent ob quod ex vnius schedæ siue tæniolæ auulsione de multis paginis timere debuissent. Sed de his satis. Videmus modò libros ferè duorum generum fuisse; & hos quidem circa vnum gracilem vmbilicum inuolutos; illos verò ad eum quem dixi modum complicatos. Cùm igitur & voluo & plico vno Vau nostrati comprehendatur, non est mirum si Vau pro libro ponatur: quod quamuis ita sit, altiùs tamen architecti sollertia examinanda. Dixi crebrò, rotundum, cuius O notationem habet, æternitatem denotare, & modò ex Terentiano & cuiusuis bene pronunciantis docui experimento, Vau litteram sono suo rotundum ipsius O sonum recludere: quod cùm ita esse quisque apud se possit experiri, necessariò sequitur, Vau nobis & ante chartas, & ante volumina, & ante libros complicatos de pronunciatione sua habuisse symboli vim; quo significaretur ab ipso nobis aperiri æternitatem, & ea referari quæ in illius rotundo orbe ab oculis mentis nostræ occlusa reconditaque antea fuissent. Hoc illud est quò sermonis artifex maximè respexit, dum Vau pro libro voluit vsurpari; tametsi illa quæ priùs dixi leuiora à secundarum numero caussarum nõ excluserit. Non sunt inferiora leuioraque rerum momenta contemnenda, sed mens ad primam semper est ideam dirigenda, eoque caussa ipsius Vau ad supremum librorum exemplar accommodanda. Liber igitur quem à Spiritu sancto demitti cupit præceptor ad suum Canopum, non est chartaceus, non est aliquis quem corporis oculis possimus intueri. Quis enim in excelsis cælis terrenam materiam compegisset? quis vel Nili limo vel polline frumenti illic chartam conglutinasset? Quis vel membranas animalibus, vel libros arboribus, vel aliam materiam alij rei ad litteras accipiendas abstuliisset? Nec verò hîc de diphthera fabulosa Iouis pelle cogitandum. Alius profectò, alius liber est qui reuera Vau vocatur: & is quidem tanto sublimior quàm vulgares codices, quanto à diuiniore & petitur & proficiscitur auctore: & idcirco non citra maximam caussam epitheton accepit, quo altus per exochen nuncuparetur. Quis ergo hic liber est? Quis? Non alius nempe quàm is quem Spiritus sanctus mentibus nostris & inscribit & offert legendum, quo ex eo vitæ sempiternæ mysteria discamus. Agnoscisne hîc Spiritus sancti gratiam, qua nobis ea quæ ad æternam vitam ducunt, reuelat, Vau siue volumen vocari, & hoc ipsum esse volumen quod ante omnia à Spiritu sancto sit petendũ, citra quod omnia alia volumina frustra leguntur? *Primùm petite regnum cælorum*, magister noster in Euangelio dixit. Atqui non aliud est regnum cælorum, quàm vita sempiterna. Rogamus igitur iuxtà ac Christus præcepit, dum ante omnia nobis petimus illud altum volumen demitti, quo solo æternitatis mysteria recluduntur. Quòd si de vetustis rerum sacrarum notis discere velis, quibúsnam potissimùm de rebus sublimis hic liber tractet; scipionem Canopi inspice atque diligenter contemplare. In illo enim ea lituo designari videbis, quæ nullo modo intelligi possunt, nisi eorum certa notitia ex alto libro æternitatis arcana reserante fuerit accepta. Nullum me volumen, nullus codex tam firmis rationibus ad veram religionẽ impellet, vt vel minimam fidem Christo habeam, & vel minimum spei in promissis eius collocem, vel ex his amore accendar; nisi antè in me iacta fuerint fundamenta ex alto illo volumine, quod nomine suo promittit, aperturum se nobis ipsam æternitatem. Vide quàm aptus orationis contextus, quo à Spiritu omnium reuelatore petitur, vt demittat ipsum altum volumen, quo arcana æternitatis consilia ad hominum quidem salutem spectantia panduntur. Vt demittat Vau dicimus; cuius ratio monet, vt nos omnibus rebus prosperet; deinde ipsum altum volumen quo reseratur occultus ad vitam sempiternam introitus, rogatur; vt per hoc scilicet mentale Vau nos insinuemus æternitati. Omnia hîc magnifica sunt, omnia illustria, omnia heroica, omnia diuina: & quamuis diuersa videantur ipsis vocibus denotari, omnia tamen ad vnum scopum collimant; & eum quidem supremum & sempiternum. Sed quid multis? Summatim, omnia fidei mysteria hoc libro continentur, & ex eo sunt petenda; atque idcirco petit præceptor, vt in discipuli mentem demittatur hoc ipsum Vau, sinu suo recludens vitam perennem. Cernimus itaque quàm nomen

Rotundum æternitatis tessera.

Vau cuius rei symbolum.

Liber quẽ ad suum Canopum Alphabetarius præceptor à Spiritu sancto cupit demitti, qualis sit.

litteræ Vau cum Canopi ſcipione ad vnguem conſentiat, & quàm iuſta eiuſdem ſpiritus amuſſi omnis priſca hæc ſymbolorum ratio dirigatur: de quibus quantumuis multa dixerimus, numquam tamen æquauerimus vel ſexcenteſimam maieſtatis eorum partem. Equidem video hac voce Vau pro eius generis libro nihil vllius humani ingenij ſollertia excogitari potuiſſe artificioſius. Porrò quam huic libro potiorem reperias figuram, quàm eam quæ ſimul & librum duabus paginis recluſum, & vnà ſinum ad angulũ reductum demonſtrat: quæ apud Latinos in maiore V integra remanſit. Cedo nũc, an non egregiè Vau cum ſignificatione, tum figura ſeſe noſtratem litteram eſſe declarat; cùm nec apud Hebræos, nec apud alios quicquam omnino deſignet, tãtum abeſt vt nomen ad aliquam figuram queant applicare? Iam altera ipſius Vau poteſtas apud alias gentes periit omnes, quæ in noſtris vocabulis frequens occurrit. Ea eſt quam duobus Vau pingimus ad hunc modum, W. de qua quia pòſt iterum agendum, hîc plura nõ addemus: hoc vno nunc contenti futuri, ſi monuerimus. Vau in plurali numero tres diuerſas ipſius, Vau poteſtates & pronunciationes continere; duas ceteris quoque gentibus notas; tertiam ſolis noſtratibus peculiarem. Dauwen enim in principio V habet conſonantem: quam Æoles & Latini priſci Vau dumtaxat nominarunt: in medio V habet vocalem, quæ cum A, vel O, dum Douwen efferimus, coaleſcit: ſequitur deinde duplex Vau, quod nos aliquando duplex digamma nominamus, quo vetuſtis Grammaticis locutionem noſtram accommodemus. Et videtur alioqui priſca digamma figura è duplici noſtro w originem traxiſſe; maximè ſi in latus eleuetur, & ex V, quo etiam modo pingi ſolet, Ⱶ fiat, quod magis arrectum F dat Latinorum: quam figuram Æoles, eo quòd duplex gamma alterum alteri impoſitum videretur, digamma nominarunt; veram interim originem prorſus ignorantes. Pronunciatio certè nihil habet cum gamma commune. Vnde probabile redditur, vetuſtiſſimam quoq. Æolum figuram aliunde quàm ipſi ſcirent principium habuiſſe; quod in duplici noſtro Vau ad hunc modum picto Ⱶ, & deinde ſic erecto vt dextrorſum partes habeat patẽtes clarè videtur. E qua re & illud clarius redditur, antiquiſſimã ipſius Vau figuram eam fuiſſe quam duplex Vau alterum alteri impoſitum demonſtrat, in quo linea ſiniſtra obliquè deorſum ducta ſimul minoris & maioris Vau ſiniſtrum latus abſoluit. Atque ad hunc quidem modum prima petitio ſit finita: in qua tamen id minimè negligendum, quòd tota ternario ſit incluſa, vt imaginem ſupremæ referat Trinitatis, cui nullo interiecto proxima ſucceſſit. Dalet igitur ad ſanctum Spiritum refertur; per quem quia Patrem & Filium deſcendere ſcimus, ſollemnis nobis & frequentiſſima cantio eſt, *Veni ſancte Spiritus*. He ad Patrem pertinere qui altiſſimus eſt, nemo dubitabit, qui modò ſciet & hunc antiquum dierum vocari, & in throno tamquam altiſſimum hunc præcipuè dici ſedere, vt in eo Apocalypſeos capite, quod mox aduocabo, videbis. Vau Filij proprium eſſe, qui in omnibus ſactis libris vtramque facit paginam, quique arcani & æterni conſilij ſolus librum potuit aperire, vt clariſſimè quintum Apocalypſeos caput exponit; in quo leoni de tribu Iuda & eidem agno (mirabile dictu) hic canitur hymnus: *Dignus es Domine accipere librum & aperire*

Vau littera figura.



Dauwen.

Digamma priſca figura vnde originẽ traxerit.

aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Hîc modò clariſſimè videas, illud altum volumen vocari, quo myſteria ſalutis vel figuris & ſymbolis velata, vel claris & diſertis verbis expreſſa continentur: & illa quidem priorem faciunt paginam oracula arcana & veteris legis cærimonias complexam; hæc verò alteram paginam complent, quæ ipſius Chriſti iam inter homines agentis doctrinam exponit; quam deinde Apoſtoli & eorum ſucceſſores per totum orbem ſeminarunt. Quamobrem dum altum volumen demitti petimus, non aliud petimus, quàm veræ religionis ſacramenta nobis aperiri; quæ ſola Spiritus ſancti gratia reuelat. Et hac quidem conſideratione habita, volumẽ quod Chriſtus aperuit à libro naturæ, per Alti adiectionem diſtinguitur. Eſt autem in hac petitione ille perſonarum ordo ſeruatus qui in hac oratione qua dicimus, *Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio.* Conſidera, quæſo, quàm nullus apex ſit otioſus, quàm omnia fecunda ſint myſteriorum, & cùm obſcuriſſima humano ingenio tractentur, quàm omnia ſint tum perſpicua, tum ſacræ ſcripturæ conſentanea. Et hæc quidem poterant ſufficere ad huius litteræ explicatũ. Verùm quia Hebræi hac figura pro gemino elemento vtuntur, non videbor mihi officio meo ſatisfeciſſe, niſi oſtendero in hoc noſtro Alphabeto rotundam litteram non deſiderari. Dixi modò perinde noſtratibus eſſe, ſiue Vau ſiue Vou audiant; nec aliam hac, aliam illa voce offerri notionem. Latini itaque priſci Vau dicebãt, non Vou; eo quòd rotundã litterã à Vau diſtinctam haberent, atq. idcirco nihil opus eſſet, vt vno vocabulo vtramq. litteram denotarent. Verumenimuerò licet communis hic ſit pronunciandæ huius vocis vſus, quem Latini vetuſti agnouerunt; in hoc tamen Alphabeto hieroglyphico Vou potius quàm Vau dici debuiſſet, quò nimirum duarum vocalium affinium poteſtas vna vocula explicaretur. Et certè vetuſti in Italia Cimmerij Vou dixerunt, vti liquet è Voluo Latinorum verbo, quod à Vou deriuatur ea quam dixi ratione. Iam & Getæ quo tempore in Italiam penetrarunt, Vout pronunciabant, vti clarum fit è *Volta*, quorum vtrumque à Vou deſcendit, in cameræ ſiue fornicis ſignificatione. Quamobrem hoc loco communem conſuetudinem corrigamus, & pro Vau Vou pronuntiemus, vt vno nomine & rotunditatem clauſam, & rotunditatem apertam denotemus. Certè Antuerpiani æquè O atq. V comprehendemus, æquè volumen rotundum atque librum planum, cum Vou ſonabimus. Gemina ergo ſub hoc nomine figura pingenda eſſet, altera rotunda, altera aperta: & illa quidem volumini, hæc verò libro paginas duas oſtendenti reſponſura. Porrò quia Vou Filij attributum eſſe dixi, cuius eſt, arcanum Patris conſilium librumque quo illud continetur, aperire; hîc vlterius notes vocũlæ huius trilitteræ tale eſſe artificium, vt ſi in elementa ſua ſoluatur, Trinitatis myſterium ſit quodam modo repræſentatura. Vt enim infinita Patris poteſtas comprehendi non poteſt, niſi per æternum Filium oſtendatur; ſic V conſonans citra vocalem ſequentem audiri nequit. Hæc itaq. conſonans Patri reſpondebit in hac vocula, O Filium referet, V vocalis ſeſe ipſi vocali connectens, ſic vt in diphthongum coaleſcat, Spiritui ſancto reſpondebit; qui vt æternus amor eſt, eſſentiale Trinitatis glutinum; ita Filij æternam poteſtatem per O expreſſam aperit ac recludit, pro eo ac litteræ V natura poſtulat. Non malè igitur paullo antè dixi, plus in Vou myſteriorũ latère, quàm facile poſſit vel peruideri vel explicari. O verè altũ volumẽ, quo totius Trinitatis arcana comprehenduntur! O inſignem vocũlã, quæ tanta arte à primo nomenclatore facta eſt, vt hæc nobis arcana depingat, & ſic depingat, vt in orbem redeat à Patre ad Filium & ad Spiritum ſanctum deducens; & rurſus idem deſignans, ſi retrorſum legatur! Quemadmodum igitur alti libri idea nobis per Spiritum ſanctum communicatur, Prophetas & Sibyllas ſalutis myſteria docentem; ita & aſpectabilis liber eſt quem Filius ex occulto ſinu Patris produxit. Is eſt cùm totius rerum naturæ opificium, tum pulcerrimum cælorum ſpectaculum, è quo diſcimus ipſum creatorem. Eleganter itaque pro alto volumine cæli rotunditas pingetur, dum nobis placebit rotundum vocis elementum dare ſpectandum. At ſi Vou apertum velimus oculis ſubiicere, librum cum duabus paginis recluſum oſtendemus. Admirabilis profectò vocula hæc eſt, quæ vna ſyllaba trilittera V conſonantẽ & V vocalem exprimit; & vnà oſtendit harum litterarum inter ſe cognationem, quæ facit, vt altera in alteram tranſeat in nominum conuerſione;

O & V quomodo poſſint eadem voce comprehendi.

Voluo, is, ere.

O voluminis, plano verò libro V ſignificatur.

Trinitatis in Vou myſterium.

O cæli rotunditate, V libro aperto ſignificatur.

V vocalis & V conſonãtis naturæ ſocietas.

Van. Nau. sione; Van enim, quod remotum designat, si conuertas, ad contrariam notionem exprimendam Nau faciet, vbi quiuis cernit, ex V consonante fieri vocalem, quæ cum A diphthongum constituit. Et verò non alia causa est, cur V consonans & V vocalis pro vna littera capiantur, quàm quòd hæc inter eas sit naturæ societas, vt altera in alteram

V & W cognatio. mutetur. Duplex item Vau cum his hanc habet cognationem, vt in plurium numero & modo infinito ipsum V vocalem consequatur, ceu appendix, naturæ lege sese ingerens. Ex Vou enim, vt modò scripsi, fit Vouwen/quæ vox aliquando vt verbum, aliquando vt nomen vsurpatur. Nec inter has modò litteras hæc est societas & coniunctio, ve-

V & F natura coniunctio. rumetiam inter Vau & F. Nam ex F digáma in Vau transitur, & contrà e Vau in F: vnde factum, vt vtrumque digamma nominetur. Ex Lef enim fit Leuen in modo infinito: ex Lof/Louen; ex Hof/Houen; & ita in similibus; quod non solùm fit in modo infinito & numero plurium, sed etiam in deriuatione. Nam à Lef fit Leu, id est, à Viuo Leo; propter cordis præstantiam. Sic Franci à *Neu* fecere *Neuf*: ex Quo *Oef*. Sed hæc proprie ad Hermathenam spectant.

LIBER XI.

Xain.

EXITA modò prima Alphabeticæ orationis petitione, qua præceptor Spiritum sanctum orauit, vt ad Canopum suum altum volumen demittat; mox additur quid primùm in alto volumine sibi cupiat ostendi. Neque enim satis fuisset, sublime volumen, quod non potest non spississimum esse, demissum habere; nisi in eo illud caput notaretur quod maximè scire refert. Alioquin enim in tam spissa rerum silua, quanta arcanorum Dei codice continetur, velut in maximo labyrintho erraremus, & incertis mæandris modò huc modò illuc duceremur; nec vmquam nostro ipsorum ductu ad illam partem veniremus, quæ sola facit ad humanam salutem. Quamobrem rogat præceptor, vt quàm citissimè infundat ipsum caput supremum, id est, veram & solidam supremi capitis cognitionem: quæ rursus petitio tribus perficitur vocabulis, quo ternarij imagine decorata gratior sit ei quem rogat ter maximo, atque ita facilius exaudiatur. Profectò exigua hæc Alphabetica oratio, quam prima fronte ieiunam putares, me attonitum reddit, hinc oratorio artificio, hinc diuinitatis arcanis; adeò vt nihil mirum sit, si me vires in tam arduo negotio deficiant, si oculi in lucido & flameo spectaculo continuò hærentes caligent, & si lingua non secus ac in ebrio homine ac musti pleno balbutiat. Sed quò magis nos sentimus vacillare, tanto citiùs properemus, & tanto sermonem faciamus succinctiorem, quò priusquam collapsis viribus lassi & iacentes ilia dumtaxat ducamus, proposito nobis munere defungamur. Ocyùs igitur ad litteram cuius nomen sic iubet festinare, vt vix anhelantes animam trahamus. Xan enim siue Xaen, vt alij scribunt, idem est quod cum

Xain vocis significatio, etymon & artificium. summa festinatione; quasi dicas vel Hief-an vel Higs-an, & per aphæresin Xan; quorum illud tantam notat festinationem, vt singultum moueat: hoc sic accelerat, vt æger anhelitus pectus fatiget. Maxima ergo festinatio indicatur dum Xan dicimus, quo non tam Spiritui sancto, per se omnem vincenti celeritatis cogitationem, nedum celeritatem, aliqua festinatio præscribitur; sed vehemens nostrum studium ostenditur, quo ad caput & summum bonorum vel anhelamus vel anhelare debemus. Monstramus itaque hac voce, iam nos totos ad hoc anhelos ferri, vt quamprimùm ad Dei cognitionem adspiremus: & quia nomenclator intellexit vehementer properanti cùm ad alia, tum maximè ad diuina, omnia impedimenta esse abiicienda, voculam hanc sic construxit, vt versa idem sit quod cum nuditate. Sic dicimus, Hi loopt nar/id est, curritnullis vestibus indutus. Nact enim nudum, Nar nudè vel in nuditate aduerbij formula

Nar. Nact.

mula dicitur, eodem modo quo Hics & Higs aduerbiorum formam sequuntur. Nemo certè ad festinandum aptior, quàm qui nudus est; & idcirco qui cursus bravium consequi volet, abiiciat omnia, & nudus nudum Christum sequatur. Quid hoc est bone Deus! Quò nos Fan tam citò abripuit? Vix carceres egressi, ad metam pertigimus. Hæc enim illa est nuditas, quam sermonis nostri concinnator festinanti ad summum caput necessarium esse ichnæa ipsius Fan conuersione demonstrat. De hac Christus in Euangelio vitam æternam quærenti sic dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.* Certissimum igitur fuit compendium à primo sermonis nostri auctore demonstratum, dum celeritatem cum nuditate indissolubili vinculo copulauit, & in eo sic cum Christo consensit, vt facilè cernas vtrumque eiusdem spiritus afflatu hanc sententiam tulisse. Quid ego hîc de vocis artificio, quid de orationis & elegantia & acumine, quid de summa proprietate dicam, vbi video vocem sic vsurpari, vt ad hunc ipsum sermonem tota eius ratio non quadret modò, sed ad eum solum facta videatur? Quæras si placet per totam ætatem, nihil inuenies nec apud Græcos, nec apud Latinos, nec apud Hebræos, quod aut breuiùs aut significantiùs, aut maiore energia, aut aptius proposito dici queat, aut quod tantam tanta breuitate vitæ doceat perfectionem. Videtur'ne hæc fortuita aut vulgaris, aut, quod quidam ausi sunt comminisci, commenticia è cerebro meo nata Alphabeticæ orationis structura? Sunt'ne hæc vel verba hominis temerè garrientis, vel figmenta eius qui id ex verbis elicere conatur, quod in iis non continetur? Num meum inuentum est, vt ab anhelando Fan dicatur? vt ea vox desiderio, quo ad summum bonorum studia nostra festinare debent, applicetur? Vt deinde optimum festinanti consilium præscribat? vt ad supremum caput & æternam vitam properanti nuditatem dicat esse necessariam? vt denique ad vnguem cum Christo, qui ipsa veritas est, conueniat, & eandem viam ad sempiternam monstret felicitatem? O fortunam & casum minimè cæcum, si hæc casui sunt & fortunæ adscribenda! Ceterùm ego vereor ne qui id genus nugis & calumniis se mihi & veritati præbent infestos, totos se fortunæ arbitrio commiserint, atque idcirco alienis etiam prouinciis regnum eius velint ornatum; quo tandem totus mundus casu & opinionibus, vt quidam iactant, regatur. Sed valeant hi eiusdemque notæ nugatores: nos ad nudam redeamus festinationem, qua ad ipsum omnium caput est anhelandum. Hîc mox existet quisquam qui dicat; Si nobis ad regnum cælorum festinantibus omnia sunt relinquenda, erit'ne mendicandum pòst, an fame pereundum? Minimè gentium. Nudus est & omnia relinquit, qui animum ab eorum curis liberat; & is omnia sua vendit & dat pauperibus, qui sua pauperibus facit communia, & suis perinde atque alienis vtitur, nec eorum cura & priuata custodia occupatur. Quî Christus intellexerit consilium suum, non disputo: id interim pro regula mihi sumo quod præceptum est, proximum nobis vt nosipsi amamus amandum esse; atque idcirco nihil esse necesse, vt omnia mea aliis largitus, ipsemet mendicem; sed satis esse, si mea, pro eo ac necessitas & ratio dictat, & mihi & ceteris faciam communia. Æquè enim magna inopia atque magnæ diuitiæ festinanti est impedimento: & rectissimè Salomon Deum rogauit, vt nec diuitias sibi daret, nec paupertatem. Sed hic locus latior est quàm vt hîc sit percurrendus. Nos eum nudum vocemus qui ab omnibus curis liber est, & nuda mente nudum Christum sequitur; contentus interim corpus victum habere & amictum. Sic Magdalena nuda fuit cùm tota Domini verbis esset intenta, licet interim rebus ad vitam necessariis copiosè fuerit instructa. Animi quæritur nuditas & libertas, quæ rerum corpori necessariarum inopia frequentissimè perditur; tantum abest vt ea nobis aut ambienda sit, aut vltrò accersenda. Iubet igitur Fan vocabulum, vt anheli ad summum bonorum feramur: & quo expeditiùs feramur, iubet nos nudos cursum tenere; nudos, inquam, animo, non corpore; ne quid properantes demoretur. Et hæc quidem sit ipsius Fan ad nos relati expositio. Verùm dum Spiritui sancto Fan dicimus, cupimus, vt ipse festinantibus nobis adsit, & benigna celeritatis suæ aura festinationem nostram promoueat. Qui autem festinanti opitulari & succurrere vult, is festinanter quoque properet oportet. Est Spiritus quidem sanctus semper celerrimus, sed non semper eius celeritas nobis secunda spirat; quo fit, vt eum oremus, vt nobis

Hics. Higs. *Festinanti nuditas propè necessaria.*

Nudus quis, & pauperibus quæ sua omnia dare dicendus.

nobis anhelis & ſuſpirantibus quàm citiſſimè ſuccurrat, & ſummi capitis infundat cognitionem, quò ſtudia noſtra omnia adſpirare contendunt. Eo modo Ieſſæus Lyricen dixit: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina:* quam eius cantionem quotidie in orationibus frequenter iteramus. Cernimus itaque quàm laudatiſſimis quibuſque ſacrarum precum formulis Alphabetica oratio concordet, quamque nullo pietatis argumento apud optimos quoſque vſitato carere cernatur. Videndum nunc quæ congrua huic litteræ ſit figura. Ea gemina eſſe poteſt; altera de vocis notatione; altera è litteris ſumta è quibus conflatur, propterea quòd Xan non ſit littera vna, ſed duplex; atque ita componi figura queat è duarum, è quibus coaluit, litterarum ſimulacris. Principiò igitur vis eius oſtendatur neceſſe eſt. Dico igitur poteſtate ipſam reſpondere Cap & Samech litteris coniunctis. Apud Hebræos mira eſt confuſio inter Xan, Samech, Scin, & Tſade; & in pronuntiando parua diſtinctio. Neque enim Xan ſemper pro C S vſurparunt, pro eo ac debuiſſent, ſi iuſtam voluiſſent habere litterarum diſtinctionem. Nos partim è vocum Hebraicæ linguæ & aliarum cognatione, partim ex etymologia radicum Hebraicarum deprehendimus, proprium & germanum Xan ſonum eſſe C & S complicatarum. עז Hebræis capram ſignificat; cuius loco Græci αἶξ dicunt: qua in voce clarè cernis Xain in ξ tranſiiſſe. נזק Chaldæis ſignificat nocere. Latini Noxam & Noxiam inde tenuerunt. נכן conſenuit eſt Hebræis, à quo Latini per metatheſim Senex fecerunt. נחש Hebræi picem vocant, quæ Pix Latinis dicitur. vbi præter metatheſim Tau in Hebræo ſuperfluum eſt. זמם & זם pro cogitare dicunt. Nos Axam in ſimili ſignificatione intelligimus. Etymologiæ radicum Hebræis ad nullas vlteriùs rationes reductarum plurimæ de noſtra lingua rectiſſimè petuntur; ſed eas perſequi moleſtum eſſet ac faſtidij plenum, apud aures præſertim his rebus necdum aſſuefactas. Præter enim alias metatheſes & confuſiones hoc etiam Hebræis perpetuum eſt, vt primam radicis vocalem conſonanti primæ radicum poſtponant, quam nos animaduertimus non rarò eſſe præponendam, ſummaque iniuria loco ſuo exturbatam fuiſſe. מזל dubiæ ſatis eſt ſignificationis; verùm pro ſidere & ſigno cæleſti poni certum eſt: cuius ratio in Luram apud nos clara eſt, vocabulo quo fauſtum & felix ſignificatur. Punctorum nullam habeo rationem, propterea quòd olim ab Hebræis non ſubſcriberentur; & docere poſſem, ex eorum additione voces frequenter turpiſſimè ab origine ſua horum culpa degenerare. Sic vbi litteræ Hebrææ citra puncta Ion expreſſis litteris habent, Maſſoritarum pueri Iauan legunt, vocabulum à nemine Ionum agnoſcendo. Iidem pro Medi nos cogunt legere Madai, quaſi ipſi quàm Medi meliùs primi parentis Medorum recordarentur. Adde quòd vocum origines hac via obſcurant. Scimus enim vocem Ion ab ei won fieri, quo inſulæ habitator vocatur; & Medi idem notare quod auxilio proſperare & augeri: ſed quid Iauan & Madai ſibi velit nec intelligimus, nec intelligere intereſt, quando illis nominibus nullæ gentes vocantur. Ex his de ceteris facias coniecturam. Brachium Hebræis זרוע vocatur: nobis Go-rect id denotat quod bonum eſt & promptum ad porrigendum & extendendum. Tempus זמן nuncupatur, quod è noſtro eſt Nem-at/ id eſt, in pretio habe & magni æſtima: quod quàm tempori conueniat, tum tandem intelligimus optimè, cùm tantum effluxit vt parum reſtet. זל vilipendo dicunt à noſtro Latt vel Lett/ id eſt, vilipendit vel vituperat; à quo Lex, vt è Mett apud Latinos fit Merx. זבח ſignificat immolare, ſacrificare, à noſtrati dictione Hoogs bchach/ id eſt, altiſſimo placens. זהב aurum vocatur, à noſtro item fonte deriuatum Hoogs—haw/ id eſt, altiſſimum locum tenens. Verùm quid multis vtar exemplis, cùm pauca bonis & æquis; malignis & obſtinatis ſufficiant nulla? Xan itaque C & S, & G & S, & Ch & S complectitur; verùm primaria compoſitionis ratio eſt in C & S. Qua de cauſſa veteſtiſſimi Græci in ſua littera quæ huic poteſtate reſpondet, Cappa & Sigma coniunxerunt, ad hunc modum ξ, vbi C ſuperiùs, vtpote quod priùs effertur; S inferiùs videtur. An hoc non clarum & luculentum eſt indicium eorum quæ de poteſtate & pronuntiatione huius litteræ dixi? Vnde apud Latinos decuſſis pro hac in vſum venerit, mihi non liquet, niſi quòd veterum vocum quibus litteræ vocantur, ignorantia varias videam inductas eſſe confuſiones, quarum nullæ prorſus inueniuntur cauſſæ. Græcorum maiuſcula figura magnum Sigma complectitur, cui Cappa olim

Xain littera figura duplex.

Xain littera poteſtas.

Hebræorum in littera Xain abuſus.

Iuram.

Punctorũ ſubſcriptione voces plurimas apud Hebraos corruptas.

Hebraicæ voces è Cimbricis factæ.

Xain littera apud Græcos figura.

olim imponebatur, quod pòst ignorantibus ſcribis quid eſſet, in rectam lineam degenerauit. Sic enim pingenda eſſet Σ; pro qua nunc hanc habemus, qua paſſim Græci vtuntur. Altera picturæ ratio ex vocis Xan notatione ſumi poteſt, quæ cùm anheli pectoris flatum deſignet, nec flatus aliter quàm fumus ex ore & naribus erũpens pingi poſſit, Xan rectiſſimè fumi è tenui principio & rectiore ad progreſſum latiorem & curuum tendentis, ac deinde in latum ſpatſi effigiem habebit: ad quam Hebræorum figura non malè quadrat. Noſtra igitur nõ refert, eámne pingas quæ à poteſtate ſumta apud Græcos in vſu mãſit, an hanc poſteriorem, vehementioris anhelitus indicem. vtraq. enim æquè conuenit. Neque erat hæc littera duplex neceſſaria, nec peculiari nomine dignanda, niſi iuſta orationis ſtructura & precandi myſteria fuiſſent explicanda. Nec alia de cauſſa duæ ſequentes propriis & figuris & nominibus fuiſſent inſigniendæ, niſi ſic artificioſus precationis contextus poſtulaſſet. Nam & duplices & adſpiratæ plures fingi potuiſſent, cùm Pe ſuum Phe æquè ac Cap ſuum Chiet videatur flagitare. Sed de his ſatis.

Xain, altera figura.

Chiet.

EXPLICATO litteræ nomine quo Spiritus ſanctus oratur vt feſtinet, conſequens eſt & neceſſarium adiicere ac definire, quid illud ſit quò eum tantopere precator cupit properare, quidque tanta animi propenſione Canopo ſuo deſideret. Chiet idem nobis eſt quod funde: quo in verbo imperandi modus per hoc adſpiratum Cap enuntiatur, ad iubendi celeritatem & vehementiam elato ſpiritu meliùs exprimendam, cùm alioqui præſens & præteritum indicantis modi per G ſcribantur & pronuncientur. Verùm hac in re tam exiguum eſt diſcrimen, vt videam Græcos χέω hinc retinuiſſe: quod verbum cum noſtro Chiet congruit. Verùm priuſquam vlteriùs progrediar ad fuſionis naturam explicandam, neceſſarium fuerit hoc loco docere genuinum ipſius litteræ Chiet ſonum; quem iam olim ab ipſa vſque D. Hieronymi ætate corruptum fuiſſe cernimus. Is enim in annotationibus ad Geneſim editis חן ſic effert, vt Ham audiatur; tametſi adſpirationis vim vehementiorem quàm in He deſideret. Nobis nihil dubij eſt quin hæc littera ipſi Chi Græcorum reſpondeat, & non aliter quàm illa ſit pronuntianda. Græci enim litteras ſuas à Phœnicibus acceperunt, atque idcirco qualis apud Græcos pronunciatio remanſit, talem olim apud Syros & Hebræos fuiſſe credamus. Laudo itaque hac parte vulgarem Bibliorum interpretationem, quæ Cham nobis, non Ham tranſtulit. Et certè niſi hoc modo hanc litteram proferamus, fruſtra in elementorum numero recenſebitur; cùm He eiuſdem ſit ſoni. Vanum enim eſt quod dicunt, duplicem hanc eſſe aſpirationem, cùm duplex aſpiratio in principio nullo proferri queat modo, licet totis lateribus & præcordiis ſpires. Eâdem ergo ratione Cham dicemus qua Lamech; tametſi Hebræi quidam iam olim ante D. Hieronymi ætatem germanum ſonum corruperint. Quid dico ante D. Hieronymi ætatem, cùm

Chiet quid ſignificet.

Chiet littera genuinus ſonus & pronunciatio.

Chiet germanus ſonus iã olim corruptus.

videam mox ab ipsis linguæ Hebraicæ exordiis genuinam huius pronunciationem in plurimis vocibus corruptam fuisse? Frequenter enim Chiet pro He positum videmus, vti primæ nominum radices declarant. Quis negare queat מָלַח & ἅλμη ab eadem originè deriuari, vbi Chiet pro He poni Hal vetus nostrum vocabulum ostendit. חַח item à nostro Hac descendit, quo vncus siue fibula denotatur, qua mulieres in vestitu suo deuinciendo vtuntur. Eodem modo חֵר pro Her dicunt, vbi Res in Lambda transiit balbutientium labdacismo, qui in חֹר etiam admissus est, vocabulo à nostrati Loch corrupto, pro cauerna & foramine. Quid multis? Antiqua prorsus est Hebraicæ linguæ corruptela, in ipsa statim linguarum confusione nata. Quemadmodum verò Chiet pro He vsurpant; ita contrà Cap cum adspiratione efferunt. Samech enim per Cap scribunt, cuius vocalæ sonus citra omnem dubitationem Chiet postularet, si litterarum, pro eo ac fieri oporteret, discrimen obseruare vellemus. Quis est nostratium qui non clarè videat חָד, quod D. Hieronymus fauces vertit, à Cat nostro venire, atq. ita Chiet pro Cap in vocalæ principio vsurpari? Nec aliter in חָטָא quod significat peccare, Chiet pro Cap siue Quaf positum videmus. Nos enim Cat vel Quat-do pro pecco siue malum facio, dicimus. In חָיָה pro viuere, genuinum sonũ seruauit, eo quòd per aphæresim verbum hoc fiat à nostrati ichai, id est, ego spiro. Nam & חַי dicunt, vbi Chai clarè auditur. Græci ἄλέω ex eadem radice habent. חָלָה pro ægrotare è nostro Qualen siue Quelen corruptum est; vbi Chiet pro Qu ponitur. At חָלַם euersa vox à Mo-locht, id est, molestiam & fatigationem leuo; quod & somnus præstat corpori, & is qui quouis onere leuat, germanum sonum seruat, quem in Chiet etiam audimus: à quo χέω Græci seruarunt, pro fundo, de quo nunc agendum. Fundere autem tam vsitatè diuinis tribuitur, vt inde Deus nomen Got inuenerit: & indicandi modus Giet sic dicitur, quasi Ge-iet diuisis syllabis pronunties, quod est do aliquid. Qui igitur imperat, vt maius pondus impetio addat, Chiet dicit, ceu dicat Che-iet, id est, da aliquid. Quæ, bone Deus, hîc noster orator verba sibi quærit! quàm omnia accommodata sunt ad petendum, nõ modò cum aliis iungũtur, sed tum etiam cùm per se pronunciantur! Audiuimus paullo antè Hal; nunc alteram petitionem hoc verbo Chiet exponit, quod non minus quàm illud diuinæ beneficentiæ proprium est. Verùm vt Hal ad ignem; ita hoc ad aquam videmus pertinere: qua in re rursus nec opinantibus nobis magnum reseratur arcanum. Priore ternario formam & actum vitæ expressit; secundo materiam nobis dedit intelligẽdam; quo sciremus non minus hanc quàm illam à Deo proficisci & creari; nec putaremus Chaos Deo esse coæternum. Considera, quæso, quanto omnia ordine nectantur. Senarius vnum vitæ statum & perfectionem & pulcritudinem absolutam exprimens, duobus conflatur ternariis. Horum prior ignem vitæ datorem & omnia interno motu cientem in Hal protulit; & eum quidem primo loco nominauit, vtpote primum Trinitatis simulacrum. Alter materiam indicauit secundò nominandam; & idcirco secundo quoque secundi ternarij loco eam in fundendi verbo expressit. Miranda profectò cura, & diligenti consideratione digna. Cùm autem fusio aquarum sit, clarum est aquarũ symbolo materiam intelligi: qua in re & materiæ natura spectabili signo ob oculos ponitur; & simul ostenditur, Spiritus etiam partes esse, vt materiam gubernet æquè atque formam. Moses idem aliter dixit his verbis: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Aqua optimum est materiæ simulacrum, eo quòd nec per se terminetur, & à calore vitæ datore sit quàm maximè remota, vtpote summo frigori obnoxia; & præterea subiecta sit perpetuæ mutationi à rebus externis adferendæ, quibus rebus materiam egregiè oculis subiicit. Atq. illud est quod Homerus à maioribus accepit, Oceanum omnium exordium esse: nec aliter Thaletis aqua intelligenda: contra quam dum Peripateticus disputat, nugas agit. Video hîc vastũ mihi pelagus aperiri ad naturalis scientiæ principia persequẽdo, sed ea hoc tempore valere sinam, ne vagam aquarũ, in quas inci di, naturam secutus, nimis longè à proposito mihi negotio aberrem. Satis esto indicasse, non totius modò philosophiæ in Alphabeto semina cõtineri, sed totius etiá vniuersitatis ordinem & numeros addi, quibus cũcta disponũtur, dispensantur & dirigũtur: quod ei liquebit qui primo prioris ternarij loco Hal, secundo secundi ternarij loco Chiet positum non obiter tantũ cernet, sed diligenter etiá examinabit, Chiet quinto totius senarij loco enũtiari, ac deinde quinarij indolẽ expẽdet: quæ prolixè persequi, nõ est propositæ nobis breuitatis.

Hebraicæ voces à Cimbricis factæ.

Hac.
Her.
Loch.

Cat.

Cat.

Ichai.

Qualen.
Quelen.

Got.
Giet.

Chiet vocis mysteria & artificium.

Aqua materia tessera.

Oceanus omnium rerum exordium.

Thaletis aqua.

Iam

Iam in Chiet siue funde largissima etiam indicatur copia, quà Deus dona sua profundit. Sic Iesaias, 32. cap. scribens, *Donec effundatur super nos spiritus de excelso*, fusionem hanc indicauit; & Deuteronomij altero & tricesimo capite vertendum erat, *Stillet vt pluuia doctrina mea:* Fundere itaq. Deo rectè tribuitur. In principio totam hanc effudit vniuersitatem, vnde nomen apud nos est sortitus; deinde continuò & perpetuò numquam fundere cessauit per Spiritum sanctum omnibus alimenta necessaria & ad conseruationem & propagationem. Quid iam de iis dicam quæ ad genus humanum à seruitute liberandum per Spiritum effudit? Hîc enim iam inde à primis mundi incunabulis vatibus oracula infudit, quibus Christus venturus nuntiaretur; atque adeò hic ipse virgini seminalem vim infudit, qua Verbum carnem assumeret. Hic Apostolis igneum caritatis flumen effudit, nec hactenus fundere perentibus cessat. Sic D. Paullus, *Charitas*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Quid? an non qui Spiritum sanctum accipit, efficitur venter effundens flumina aquæ viuentis? iuxta illud, *Qui credit in me, flumina ex ventre eius manant aquæ viuentis.* Quamobrem cum magistro nostro Alphabetario confidenter, petamus, vt nobis ipsum caput infundat. Verumenimuerò si totum orationis artificium his paucis capitibus rerum amplissimè per omnia sapientiæ & religionis latifundia patentis me satis rear indicasse, næ ego me insigniter fallam. Nam quod palmarium hîc erat, hactenus omissum est. Cùm enim præceptor pro Canopo roget Spiritum sanctum, bene illud quidem à nobis annotatum est, effusionem diuinæ plenitudinis esse propriam, & maximè decere, vt spiritus largo cornu omnem omnium bonorum copiam profundentis fauorem & gratiam hoc verbo imploremus: verùm nihil hactenus dictum, an discipulus idoneus sit & aptus ad ea quæ petuntur, eo modo quo petuntur, accipienda. Profectò vtrobique decorum obseruandum; nec id modò videndum, quid is quem rogamus dare possit; sed hoc etiam diligenter animaduertendum, quid ille pro quo rogamus bene rectéque & accipere & ferre possit. Phaëthon in Poëtarũ fabulis, ad vitam vtilibus præceptis per allegorias instruendam confictis, sibi Solis quadrigas regendas petiuit: qua in re magis quidnam is quem orabat dare, quàm quid ipse capere posset, consideravit; & ob eam caussam suo ipsius voto & se perdidit, & sorores in lacrymas colliquescere fecit, & totum mundum in præsens periculum conflagrationis adduxit. Plurima sunt apud poëtas id genus vota, iis ipsis à quibus concepta sunt, exitiosa: quæ quia & longiùs à veris priscorum fabulis degenerarunt, & notiora sunt in scholis, quàm hic commemorari debeant, nos hîc non morabuntur. Satis esto constare, expendi etiam oportere, quid cui petatur, non modò quid à quo petatur. Videamus ergo num effusioni capiendæ aptus sit discipulus. Ain' verò? Aptus'ne sit cui quippiam infundatur? Atqui nihil aliud quàm poculum est, ad hoc maximè comparatum, vt è maximo dolio repleatur. An non diximus Canopum hinc à spe discendi, hinc à poculo nomen accepisse, & præter caput nihil nisi poculum esse, quod nos Can nuncupamus? Quid igitur aptius ad id quod effunditur capiendum quàm poculum, ad hunc ipsum vsum ab opifice factum, vt quemuis capere possit liquorem? Cedo nunc an quicquam elegantius dici possit, an quicquam aptius & congruentius cogitari, quàm si Spiritus sanctus infinitum omnium bonorum oceanum brachio suo velut aut vrnam aut vtrem tenens rogetur, vt Canopo nonnihil infundat; non tam puero, quàm poculo auidissimè omnem suscepturo liquorem? Dispeream dum hæc mecum cogito, si non principiò obstupescam, ac deinde totus admirabili perfundar voluptate de tam suaui totius orationis huius Alphabeticæ harmonia atque concentu. Funde, funde sancte Spiritus, non puer tantùm est tenellus pro quo rogatur, sed totus poculum est, totus liquoribus infundendis inhiat, totus denique Canopus est; & hoc ipso tantùm Canopus, quòd idoneus sit ad quosuis liquores & accipiendos & fideliter continendos. Viden' modò quid Chiet siue funde cum Canopo habeat cognationis, quàm opportunus duorum inter se sit occursus, quàm amica & concors natura, quàm aptum duorum coniugium? Restat vt videamus quæ maximè figura idonea sit ad hanc assiduam Spiritus sancti ex alto effusionem denotandam. Nemo nescit ab omni seculorum memoria clepsydrarum vsum fuisse cùm ad alia, tum maximè ad temporum dimensionem notandam. His scimus olim apud Græcos actoribus & reis tempora ad dicendum fuisse distributa; ad eum modum, vt his sesquialterum eius daretur

Fundere in sacris litteris.

Phaëthontis fabula.

Can.

Chiet litteræ figura.

Clepsydrarũ vsus.



Temporis quanta sit habenda ratio.

retur quod illis conceſſum fuiſſet. Cùm igitur clepſydrarum fuſio & maximè eſſet in vulgus nota, & ſummam haberet aſſiduitatem eorum quæ ordinato fluxu rectà deorſum feruntur, placuit nomenclatori, vt Chiet per clepſydram notaretur. Neque hac in re illa tantùm reſpexit quæ modò diximus; ſed hoc etiam quod Spiritus ſanctus, haud ſecus ac clepſydra quædam, omnibus rebus vitæ aquas & munerum diuinorum gratiam metiatur atque diſpenſet: & quamuis ipſe Patri & Filio æqualis ſit, dignetur tamen ſe in anguſtiſſimum infimi ordinis homunculorum captum demittere, haud aliter atque aqua in clepſydra è lato ſe ſpatio in minimum foramen coarctat, & per illud in ſubiectum vas magna procliuitate deſcendit. Adde quòd Canopos monitos voluit, vt perpetuò attenti ad clepſydram eſſent, nec vllum tempus ſinerent effluere, cuius non fructum aliquem reliquũ haberent. Quòd ſi Apelli ligneas tantùm tabulas corporum imaginibus ornanti tanta fuit temporis cura, vt tolerabile non putaret, ſi qua dies citra lineam tranſiiſſet; quid ei faciendum, qui non ligneam tabellam, ſed ſuum ipſius animum ſuſcepit depingendum; non corporum imaginibus è vario terræ pigmento concinnandis, & totis ad vile lucrum comparatis, ſed viuis virtutum ſimulacris, ad diuinas ideas expreſſis, & ad hoc deſtinatis, vt per ea vitam conſequamur ſempiternam? Iam tantum opus nobis molientibus, vt eo è mortalibus immortales efficiamur; diligenter breuiſſimo ætatis noſtræ tempori inſtandum, eo quòd continuò fluere cernatur, nec vllam omnino certam horam polliceri. Quòd ſi nobis, perinde atque reo vel actori, certa aliqua temporis menſura præfixa eſſet, poſſemus nos tempori accommodare. Verùm nunc neutrum nobis conceſſum eſt, nec certam aliquam finis horam præuidere, nec ſcire quàm mox Deus gratiam ſuam, & Venerem, quæ picturam animi noſtri æterno patri commendet atque probet, ſit daturus & firmaturus. Quamobrem nullum tempus elabi ſinendum, cuius ratio nobis non accurata conſtet, ne nobis ipſi in iis quæ ad vitam æternam ſpectant, defuiſſe iudicemur. Pulſemus itaque aſſiduè & continenter Spiritus ſancti fores, & ex alto pectore ſuſpiremus, vt feſtinet ad nos adiuuandos; ne antè tota vitæ noſtræ aqua effluat, quàm tabulam animi noſtri habeamus paratam. Plurimi cùm Latini, tum Græci quàm diligens temporis calculus ſubducendus, claris ſententiis tradiderunt; ſed nemo noſtrum aſſecutus eſt nomenclatorem, qui Tit quidem à perpetuo progreſſu, & alias eius partes aliis nominibus indigitauit, ſed minimam eius partem illo vocabulo nuncupare voluit, qua ſumma in quaque rerum forma perfectio & excellentia denotatur. Vt enim in quouis genere perfectiſſimum quodque atque præſtantiſſimum deſignat, vt multis locis declaraui. Hinc Saturnus, hinc Mercurius, hinc Soldurius, hinc Vzalt/ Vzhan/ Vros, & alia ſuis locis explicata. Quamobrem qui viceſimam quartam diei partem hoc nomine dicendam ſibi exiſtimauit, plurimarum nos rerum vtilium, aut ſaltem alicuius rei maximæ videtur monere voluiſſe, dum in re tam exigua tamque citò elabenti, hac voce, tantæ præſtantiæ indice, vti ſuis impetaret. Non pauca hic coniectare poſſem, ſed inter cetera hoc mihi proximè videtur ad nomenclatoris mentem accedere, ſi dicamus tempus quidem totum pretioſiſſimum homini habendum eſſe, verùm in eo minimam partem omnem plerumque abſoluere perfectionem.

Tit.

Vt.

perfectionem. Vna enim est sola hora quæ hominem perficere potest & summa felicitate coronare, nempe ea qua mors nos occupat. Quales enim ea nos deprehenderit, tales Deo sistet. Quocirca nobis sic in tempore versandum, vt omnem nobis horam supremam putemus; & eam sic diuinis rebus & ad salutem pertinentibus impendamus, vt ea nos totos perficiat & absoluat, & Vr à nobis bono iure dici mereatur. Non procul hæc nomenclatoris sententia ab Euangelio recedit, quo tantundem accepisse traduntur qui ad vnam dumtaxat vltimam diei horam laborarunt, quantum illi qui totum diem operi impenderant, & multis sudoribus exhausti & laboribus fatigati. Credamus itaque nobis hanc horam semper adesse, quæ perfectionis coronidem vitæ nostrę impositura sit, & idcirco digna quę Vr nominetur. Græci & Latini ab Vr nomen suum acceperunt, sed quia originis sunt ignari, pulcerrimæ huius sententiæ faciunt iacturam. Cùm igitur clepsydra horas dinumeret, noluit committere nomenclator, vt eius figura Alphabetum careret. Quamobrem Spiritus sancti fusionem clepsydra designat, propterea quòd & ceteroqui perpetuæ & assiduæ fusioni conueniret, & simul confirmaret festinandum esse; eò quòd illud temporis momentum fluat, quod fortasse sit vltimum, & idcirco omnia perfecturum; vt per Vr, siue horam, quam clepsydra notat, monemur. Elegantissimè igitur festinationi, quam peti audimus, clepsydra succedit; vt causam festinationis ostendat, & puerum Canopum semper moneat, horam fluere, quæ tamen Vr vocetur, vocula summam indicante perfectionem; atque ideo oportere sic operi instari, quasi hæc finis esset ac suprema meta. Certè nulla hora est quæ non alicui suprema sit; & hac ratione quæuis hora Vr nuncupari meretur, eo quòd finis omnia perficiat & absoluat: quod nimirũ nominis origo pollicetur. Germana igitur ipsius Chiet figura est Chi Græcorum, clepsydram nobis referens, tam superna quàm inferna parte latè patentem, quo fusio Spiritus sancti infinita designetur, nec vllis omnino finibus inclusa. Spiritus enim Domini qui ferebatur super aquas dum mundus crearetur, quamuis & maximum & pulcerrimum opus effunderet atque animaret; illud tamen, quantum quantum est, vix vnius exiguæ guttæ rationem habet, si toti Spiritus sancti Oceano comparetur. Docet enim scriptura sacra, omnes gentes non aliud esse quàm stillam de situla, dum ad infinitam Dei potestatem conferũtur. Effusio igitur Spiritus sancti rectissimè clepsydra pingitur vtrimque aperta, & ad quandam velut infinitatem patente: in cuius medio totus mundus veluti guttula vna in minimo foramine continetur. Hoc si Origenes, vir ceteroqui doctissimus, confessus fuisset; multorum maximo se impietatis crimine, cuius à quibusdã & inter alios à Theophilo Alexandrino accusatur, liberasset. Quid enim insanius dici potest, quàm Deum tanta fecisse omnia, quantus eius est captus? quasi scilicet vno ipsius opere tota vis & potestas eius fuisset exhausta.

Mortis hora.

Clepsydra S. Spiritus fusionis symbolum.

Chiet littera eiusdem cum Chi Græca figura.

Origenes impietatis insimulatus.

Thet.

HABVIMVS in secundo petitionis ternario prius festinationem, pòst fusionem: nunc tertio loco ipsum caput succedit, integrum ternarium complens, ita vt totius hæc sit sententia: Festinanter funde ipsum caput. Dignissimum profectò votum in quo anhelemus, & Spiritum sanctum properare cupiamus. Orat enim præceptor, vt quamprimùm ante omnia è sublimi volumine Spiritus sanctus ipsius supremi capitis notitiã infundat, quippe quæ totam absoluat hominis felicitatem. Qui de moribus & vitæ humanæ institutis commentationes suas nobis reliquerunt, & inter alios Aristoteles in primis, diligenter sibi ante omnia elaborandum putarunt, vt quòd homini summum esset bonorum, cognosceretur; propterea quòd viderent eo ignorato, nullam certam aut vni alicui homini, aut familiæ, aut ciuitati doctrinam constitui posse; non magis sanè quàm bene recteq. arcu vtendi ars citra scopum vel disci potest, vel doceri. Quæsitum igitur est ab illis vario rationum discursu & prolixis verborum digladiationibus, quánam in re summum bonorum collocari oporteret. Hinc cùm apud alios, tum apud Ciceronem magnas hac de re dissentientium philosophorum videas contentiones, è quibus omnibus nihil certi statuere possis. Proximus omnium inter eos qui via & ratione differunt, Aristoteles ad veritatem accessisse videtur: at ne is quidem

Summũ bonum cognoscere quàm laborarint philosophi.

totam hominis felicitatem illis terminis circumscripsit, vt vel eius ductu ad eam queamus peruenire, vel non multa restent non satis explicata. Missis igitur horum controuersiis, Ogeniam Alphabeti nostri doctrinam consulamus. Hæc non multis nos disputationum ambagibus demorata, duobus statim verbis rem omnem definit, Spiritum sanctum his rogans verbis: Thet thet / id est, funde ipsum caput. Hic duo confestim intelliguntur; prius in capitis cognitione summum bonorum versari: alterum non esse in nostro arbitrio, vt veram capitis notitiam habeamus; sed eam nobis à Spiritu sancto solo infundi diuinitùs posse, ac idcirco nos viribus nostris non posse adspirare ad felicitatem: è quo efficitur, frustra philosophos se fatigasse, dum eam humanis viribus acquiri posse existimarent. O breuem, ô copiosam, ô dilucidam, ô absolutam doctrinam! Quis vmquam tam multa tam paucis verbis expressit? Dum ipsum primarium sublimis libri caput nobis cupimus ostendi, ecce ipsis illis verbis quibus id petimus est ostensum, & tota ipsius sententia sic explanata, vt nihil dubij relinquat. Summum enim excelsi voluminis caput est, quo docetur Spiritus sanctus orandus esse, vt nobis statim ante omnia supremi capitis cognitionem infundat: quæ quantum nobis bonorum sit præstitura, duo litterarum nomina, quæ proximè sequuntur, explicabunt: quorum doctrinam præuertentes, diximus in hac cognitione summum bonorum contineri; & id non nostris viribus, sed sola Spiritus sancti gratia acquiri. Quando igitur hæc tam breuia sunt, vt nihil tamen clarius; & tam clara, vt nihil dici breuius possit, nihil opus fuerit longo ipsorum explicatu, & ideo mox vocis expositionem addamus. Thet compositum ex articulo Het & Het / formula nostrati communi Thet facit, quo ipsum caput notamus. Alibi crebrò monui, & hîc maximè monendum est, capiti apud nos varia nomina esse; non admodum illa quidem dissimilia inter se, sed tamen diuersæ notationis & originis. Inter omnia Het & Hoot primum locum mereri videntur. Het ab He/ quod est altum, deriuatur: & vt verbum vsurpatur pro impero, consuetudine loquendi ipsis infantibus nota; eo quòd altioris sit imperare, maximè si altitudo fiat è Spiritu ad Vnum eleuante, vt He designat. Altitudo enim quæ ab alio est quàm à Spiritu sancto, He dici non meretur. Vnde fit, vt nomenclatoris iudicio non alius dignus sit vt imperet, quàm is qui Spiritus gratia ad Vnum altiùs est quàm ceteri mortales euectus. D. Paullus subditos alterius potestati docens, tradit omnem potestatem etiam tyrannicam diuinitùs dari, & idcirco obediendum esse; verùm id tantisper, vt ex aliorum locorum collatione intelligitur, dum Deo non aduersentur. Nomenclator noster omnem altitudinem talem esse vult, vt à spiritu capiat exordium, & ab eo ad Vnum feratur: qua definitione nemo eorum comprehendetur, qui magistratum ad quæstum, non ad Dei honorem, & amicam inter se hominum societatem, dirigunt. Videant Principes, videant quotquot alto loco sunt constituti, vt nomine hoc He digni ab eo censeantur, cuius nec oculos fallere, nec iudicium corrumpere aut emere possunt. Sed væ plurimis, si ex fructibus arbores sint cognoscendæ. Ab He Het verbum fit, solo Tau, cui copulandi vis est, adiecto, pro impero; ceu diceretur altitudinem & potestatem iis alligare, ad quos alti comparantur: quod nihil aliud est, quàm reapse demonstrare altitudinis potestatem. Hic statim cernimus, nihil iubendum, quod non à spiritu proficiscatur, & ad Vnum rectà tendat: qua re totum cuiusuis & Regis & magistratus officium continetur, aut potiùs tamquam norma quadam, tetragonum ne sit citra omnem reprehensionem, iuxta Simonidem, an non, exploratur. Hinc igitur caput in homine Het appellatur; nec alio nomine hactenus vtuntur Britanni: quoniam videlicet eius partes sint, ceteris membris omnibus imperare. Hinc mox perspicuum redditur, illud totius rerum vniuersitatis caput esse, quod non secus omnes mundi partes gubernat & imperio suo moderatur, atque caput hominis corporis sui clauum tenet. Quamobrem cùm ipsum caput siue Thet dicimus citra appendicem, Deum ipsum intelligimus, sub hac notione qua ipse caput est & imperat, & nos vnà cum ceteris rebus creatis omnibus totius mundani corporis partes ei subdimur. Quo fit, vt dum caput ipsum nobis infundi cupimus, nihil aliud cupiamus, quàm Dei notitiam, sub ea conditione, vt eum tamquam imperatorẽ audiamus, & omnibus eius iussis obtemperemus: è quo efficitur, idem hîc peti quod in oratione Dominica ad hunc modum explicatur: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Alterum vocabulum quo caput nominatur Hoot/ significat id quod sic ad æternitatem

Thet vocabuli compositio & significatum.

Het.

Het.

Capitis diuersa nomina Cimbrica.

He.

Imperium omne à Deo.

Magistratus qualis esse debeat, & quatenus ei parendum.

Hoot.

tatem ſpirat, vt cum ea deuinciatur; quæ interpretatio de natura litterarum accepta eſt. At ſimpliciter Hoo idem notat quod altum, eo quòd illud propriè altum ſit quod ad æternitatem tendit, quæ menſura eſt Vnius. Hoot igitur & Het eodem tendunt, verùm Het imperium demonſtrat, cuius Hoot non habet expreſſam notionem. Hinc diſcrimen inter Thet & Thoot intelligitur; quæ eiuſdem quidem rei nomina ſunt; ſed eo differunt, quòd Thoot caput ſit ſub altitudinis æternæ intelligentia apprehenſum; Thet idem caput ſub imperij notione veniens in mentem. Quamuis igitur orator noſter vtrumuis nomen ſibi iuxtà ſumere poſſet, hîc tamen Thet ſignificantius eſſe iudicauit. Cùm enim rogaret, confeſtim & feſtinanter ipſum caput Canopo ſuo infundi, quo mox ſummi capitis haberet cognitionem, conueniebat vt ſub ea notione quæ plurimum vtilitatis adferret, nominaretur. Ea autem de ſummo capite ſaluberrima homini cogitatio, quæ monet, nos Deo non aliter odedire debere, nec minore facilitate præceptis eius obtemperare, quàm lubenter corporis humani membra capitis ſui imperium ſequuntur. Hæc enim vera eſt philoſophia de moribus, quæ ſola ſatis virium habet ad Remp. bene conſtituendam & adminiſtrandam: & ob eam cauſſam orationi Dominicæ velut gubernaculum naui eſt adiecta. Mirum quanti ſit animum ſuum condocefacere, vt lubens & promptus quicquid Deus obiecerit, & agat & patiatur, & in omnibus cogitet eius corporis ſe membrum eſſe, cuius Deus caput ſit. Quando ergo nulla doctrina præſtantior eſt, quàm ea quæ bene viuendum eſſe demonſtrat, argumento ducto ab ipſius ſummi capitis voluntate; bene Canopo conſultum præceptor voluit, dum hanc primùm ipſi cupit inſtillari; ſatis ſciens eorum ſaporem diutiſſimè & pertinaciſſimè in poculis hærere, quibus primùm fuerint imbuta. Hanc Abraham habuit, dum iuſſus cariſſimum & vnicum filium immolare, eueſtigio citra omnem contradictionem obtemperauit; certò ſciens, ei à quo imperabatur, minimè eſſe repugnandum. Rogans itaque præceptor, vt Thet/ id eſt, ipſum caput cum imperij faſcibus mox ab initio Canopi vaſculo Spiritus ſanctus infundat, hoc orare videtur, vt & eum imbuat Dei cognitione, & condocefaciat, non ſolùm quod Dei notitia ſummum bonorum ſit, ſed hoc etiam addat, vt in omnibus rebus Deo citra omnem repugnantiam ceu membrum capiti ſuo obſequatur. Cùm Gimel ſic pingeretur, vt lituus cælum demonſtraret, indicabatur tum quidem ordinato aſtrorum curſu nos moneri, vt nos Deo haud aliter ac ſidera perpetuò obediremus; at illic vera cauſſa non exprimebatur, quæ in Thet tam clarè cernitur, vt nemo vocem ad originem ducere poſſit, quin neceſſariò in eam incurrat. Habemus nunc quod primariũ ſit alti voluminis caput, & quid eo ſit comprehenſum. Duobus enim verbis, funde caput, ſiue Chiet thet/ ſummum bonorum in ipſius capitis notione conſiſtere docetur; & vnà docetur, capitis cognitionem ſola ſolius Spiritus ſancti gratia haberi, longè aliter atque Philoſophi ſunt opinati. Præterea eo ipſo docetur, Deum nobis vt caput cognoſcendum; & illud quidem iuſtiſſimè omnibus totius vniuerſitatis membris imperans, & idcirco non aliam viam beatæ vitæ inueniri, quàm præceptorum Dei promptam obſeruantiam, per quam certò ad ſummam peruenitur felicitatem. Tempus nunc eſt vt huic voci Thet congruam aſſignemus fi-

Hoo.

Deo ſimiliter parendum vt corporis membra capiti obtemperant.

Abrahã obedientiæ exemplum.

Thet littera figura.

guram. Huius facilis est inuestigatio. Quæ enim aptior dari queat, quàm si capitis effigies pingatur? Hanc Græci retinuerunt; linea nimirum depicta, quæ capitis ambitum circumscriberet; & altera in medio addita, ad oculorum & ciliorum indicium. Nec sanè plures notas vel capitis figura requirebat, vtpote satis nota; vel scribendi celeritas admissura videbatur. Linea autem caput circumscribens ouatam complectitur figuram, quam caput anticum, vnà cum mento & mandibula inferiore, inspicientibus ostendit: quam tamen Græci in minusculo suo Theta æquo faciunt longiorem. Verùm insignis hieroglyphicis accurata picturæ dimensio non vsquequaque obseruatur, satis est rudi informatione intelligi quid designetur. Quemadmodum ergo Thoot capite significabant; ita & Thet eiusdem capitis effigie in Alphabeto notarunt.

Ieud.

Binarius dilatationi & amplificationi maxime conuenit.

Post primam petitionem duobus ternariis explicatam, quibus senarius & vitæ totius perfectio cõtineretur, visum est oratori nostro huic tantæ perfectioni epiphonema quoddam adiicere, quo ceu amplificatione quadam latiùs exponeretur & illustriùs augusta capitis maiestas. Dilatationi autem & amplificationi binarius præ ceteris numeris maxime conuenit, eo quòd nomine suo Two/vnius polliceatur dilatationem. Cum igitur ipsum caput & ipsum Vnum pro eodem Deo dicantur; rectè factum, vt id quo capitis expositio latior, amplior & illustrior redditur, binario contineretur. Subiunxit igitur orator noster ipsi Thet Ieud Cap/ per appositionem loquendi formulam Grammaticis sic vocatam; quo significauit in capitis cognitione totius voluptatis summam comprehendi. Ieud Cap enim idem est quod summum & altissimum voluptatis, lætitiæ & vigoris tectum. Prius ergo Ieud / mox inde Cap explanemus. Ieud vel Ieut dicimus, necnon Ieot siue Ieod; verùm nostrates per Eu potiùs pronuntiant, quo denotant gaudium & vigorem ætatis. A Ieud fit ieudich adiectiuum, & inde rursus substantiuum ieuchjt pro ieud. Sunt etiam qui Ieot rotundiùs efferunt; vnde iolijt deriuatur, quo significatur tempus cum voluptate actum. I insinuandi penetrandiq́ue vim habere Hermathena docet; ac idcirco blandienti, & ei qui gratum se præstare velit, conuenit. Iam & repentinæ lætitiæ signum habet, eo quòd hæc sese grato blandoq́ue modo insinuet. Ex I & O fit Io vox lætantium; in qua vocalis rotunda perennitatis votum denotat, ceu dicatur, lætitia hæc nobis sit perpetua. Nos Iou dicimus, quod Latini in Iu verterunt, eo quòd hanc litteram veteres haud secus pronuntiare consueuerint, ac si *ou* diphthongum Græcorum efferrent: à qua vocula fit Iubilo verbum, à Varrone non intellectum; non magis sanè quàm Quirito. Docui alibi Quirito à Criten, quod est plorare, dici, ac sic à Latinis vsurpari; nec quicquam habere vel cum Curibus vel Quiritibus commune. Iubilo non magis rusticorum est quàm vrbanorum. Ju-uelen est iu frequentare. Vel enim multum est & frequens; quo vt verbo etiam vtimur. Qui ergo Ju iu iu sæpius clamat, is iubilat. Iubilabant igitur propriè milites, Io io io, quod idem est, frequenter iterantes. Vide quanti referat primas nouisse origines ad vim verborum intelligendam. Ab Io nobis vox est Ioi; qua dum pro verbo vtimur, significat ea afficere voluptate quæ in complexu Venereo sentitur: verùm dum Ioi nomen est, significat quicquid pretiosi siue mulieribus siue viris in deliciis est, vt sunt annuli aurei, catenulæ, armillæ, gemmæ, margarita, & id genus cetera ad solam voluptatem relata. Alij dicunt Juwel/quasi deliciarum elegantiam dicas; qua in dictione duplex Vau inseritur, ea quam antè tradidi ratione. A Iou fit Iouis, & à Ju Juuater/ & inde Iupiter, ceu voluptatis patrem voces. Iouis geminam potest habere interpretationem; alteram vt simpliciter dicatur iou-is/ id est, voluptas & lætitia est: quod nomen soli Deo conuenit, qui totus nihil aliud est quàm gaudium & voluptas: Vel iou-wis/quo is dicitur qui gaudij & voluptatis certus est: quod rursus Deo propriè conuenit, eo quòd per eum solum certum gaudium contingat; nec alius certus gaudij sit, quàm ipsemet, vel is quem sibi firmo & æterno amoris nexu copularit. Quòd si tetragrammaton Hebræorum à Iouis deriuatur, minimè fuerit Iehoua pronuntiandum, sed Ioua: quæ vox quatuor litteris scribitur, & hac

Ieud vocis significatio.
Ieud.
Ieut.
Ieudich.
Ieuchjt.
Ieot.
Iolijt.
I littera vis.
Iou.
Quirito verbi etymon.
Criten.
Iubilo vnde dictum.
Juuelen.
Vel.
Ioi.
Iupiter & Iouis vnde dicta.

& hac ratione ab Hebræis non intelligeretur, quod Rabbi Moſes Ægyptius aliàs à nobis citatus indicauit. Verùm de hoc vocabulo Iouis latius in Gallicis meis egi, è quibus quæ hîc deſiderantur, petere licebit. A Ju Latini Iuuo habent; quod propriè lætitia afficere ſignat, tametſi pro auxiliari frequentiùs vſurpetur. Hinc etiam Iuuenta & Iuuentus & Iuuenis. Syri ſemper Iud pronuntiant: & eodem modo Helias Iudæus Germanus, Hebræorum doctiſſimus Grammaticus. Verùm illi, cur ita potiùs proferant quàm aliter, nullam idoneam cauſam habent præter antiquitatis obſeruationem. Quòd ſi ſuum vocabulum Hebræi facere voluiſſent, יוד pro יור & ſcripſiſſent & pronuntiaſſent: qua in re laudo eorum religionem. Quamuis enim de ſignificatione varia coniectent & comminiſcantur, nec quicquam inueniant præter huius vocis ad יָד alluſionem; noluerunt tamen veruſtam mutare ſcripturam, licet alij aliud punctum in Vau ſonarent. Jud igitur ſiue Jod notæ nobis eſt & ſignificationis & originis, tametſi nos per diphthongum voculam Jeud vel Jeod efferamus: quod ſi conuertas, Deui vel Deoi habebis, tribus vocalibus in vnum ſonum coaleſcentibus; quod eſt facere mori, prorſæ vocis notationi ex diametro contrarium. Campani Brabanti hoc modo pronuntiant, vt medium inter O & V ſonum audias, cui e ſit immixtum. Verùm in hac conuerſione vt prima fronte antitheſis quædam & repugnantia videtur; ita, ſi rectè rem totam expendas, cernes ſupremam voluptatem citra mortificationem, vt ſic Deoi vertam, contingere non poſſe. Summæ corporis voluptati tale quid accidere illæ teſtantur voces, quas vt caſtis auribus nefas eſt audire; ita corporis voluptatem ſectantibus notiores eſſe dolemus, quàm ſanctas veræ & æternæ voluptatis meditationes. Quid? quod reuera mortiferum animo malum eſt corporis voluptas, atque ita mors non tam voluptati eſt oppoſita, quàm eam per veſtigia conſequens. Adde quòd & Phyſicæ rationes adducuntur, quibus ſummum & repentinum gaudium docetur ſæpius mortem adferre, propterea quòd vitales ſpiritus ſubitò & affatim diſſoluat. Huius rei ex hiſtoria quoque citantur exempla; inter quæ notiſſima dedit clades Cannenſis. Memini ipſe Romæ cuidam nobili matronæ ferè idem accidiſſe, de repentina filij quem mortuum putauerat præſentia. Et quia huius mortis cauſſa vitalis facultatis ſequitur diſſolutionem, ipſum vocabulum Deoi in vſu etiam eſt pro diſſolutione & colliquatione. Verùm in hac ſignificatione Doi ferè pronuntiamus, neglecto e; quod in priore item notatione plerique reiiciunt, Doi pro Deoi dicentes. Sic dum glacies & nix ſoluitur, dicimus, Het doit/ id eſt, fit diſſolutio ſiue colliquatio. Paullatim itaque eò venimus, vt hoc proprium gaudij eſſe dicamus, quòd cor & ſpiritus ſoluat; & ſi nimium ſit & ſubitum, hac ſua ſolutione rectum iter ad mortem aperiat. Magna igitur eſt non antitheſis modò, ſed etiam cognatio inter gaudium & mortem. Socrates dum pedem ſcaberet, agnouit dolorem & voluptatem corporis nexu quodam perpetuo colligari: & idem ſciuit ad ſummam animi voluptatem conſequendam opus eſſe corporis morte; atque idcirco philoſophari non aliud eſſe, quàm diſcere mori. Chriſtiani vlteriùs adſcendunt, & vera fide tenent, ſummum gaudium nemini mortalium contingere poſſe niſi per mortem; & eam quidem ipſius Chriſti: & rurſus per hanc ad voluptatem iter non patêre, niſi & nos cum Chriſto moriamur, amoris igne colliqueſcentes. Nam ipſe Chriſtus etiam amore ſponſæ ſuæ languit, & tandem mortem ſubiuit, vt eam ab æterna morte liberaret. Sed ſatis eſto hunc campum contemplationis aperuiſſe, & intellexiſſe variam voluptatis & mortis collationem; & in ea etiam quandam neceſſitudinem arctiſſimam inueniri: quam perſequi, breuitatis Alphabeticæ terminos excederet. Satis igitur hæc ſunto tum de vocis Jeud ſiue Jeod ſignificatione, tum de ipſius conuerſione; nec vulgari modo, nec vno examinanda. Nunc ad rem veniamus, videamúſque cur orator noſter hac ſua per Appoſitionem loquendi formula ſummo capiti annectat gaudium & voluptatem. Nempe quòd non alia de cauſſa capitis cognitionem Canopo ſuo infundi cupiat, quàm vt beatiſſimo eius ſpectaculo perfruatur. Cùm enim bonum voluntatis ſit obiectum, neceſſariò ſequitur, tum nos demum fore contentos, cùm voluntas in ſummi boni fruitione acquieſcit. Neque enim voluntas caput videre vult, vt intellectus tantùm eius inſpectione perficiatur, ſed vt ipſamet ex inſpectione ſummum bonum perſentiſcat & in eo acquieſcat. Cùm enim ipſa ſummi boni appetitio ſit in voluntate, non poſſumus contentam reddere voluntatem, niſi eo fruatur quod appetiuit.

Iuuo, iuuēta, iuuentas & iuuenis, vnde nomenclaturam ſumpſerint.

Deui. Deoi.

Mortis & gaudij cognatio.

Gaudium repentinū, mortem quandoque adfert.

Doi.

Dolor & voluptas nexu quodam colligantur.

Summum gaudium quod, & qua ratione contingat.

Quemad-

Intellectus & voluntatis in ſummi boni fruitione coniunctio.

Quemadmodum igitur voluntas intellectum ſequitur in mouendo; ita in vltimo quoque fine ad quem tendunt, voluntas intellectu poſterior eſt, & ita finẽ conſtituit. Intellectus ipſum ſummum caput ſic apprehendit, vt in eius inſpectione cognoſcat ſummam conſiſtere ſui perfectionem: quem voluntas mox ſecuta, eo quòd nihil velit niſi cognitum, ad Dei inſpectionem rapitur tamquam ſummum bonorum. Poſtquam igitur intellectus eius nunc ſpectaculo fuerit potitus, volũtas mox præſenti bono ab intellectu ſub entis notione comprehenſo inhæret & acquieſcit, & in eius fruitione ſummo gaudio repletur. Ineptum verò ſit dicere, voluntatem ſummo bono frui & eo gaudere, vt intellectus contẽpletur. Contrà enim res habet. Eo enim intelligere & videre cupimus, vt è ſpectaculo capiamus voluptatem. Quamobrem rectè proceſſit noſter orator, qui priorem fecit ipſius capitis inſpectionem, & ei deinde ſuccedere voluit gaudium & fruitionem. Neq. tamen ob id prorſus malè dicit, qui in contemplatione ponit ſummũ bonorũ, eo quòd idem ſit intellectus & voluntatis obiectũ; tametſi ſub diuerſa ratione; illius quidẽ, vt ens perfectiſſimũ; huius verò, vt bonũ ſupremũ & pleniſſimũ. Deinde nõ poteſt voluntas ſummo bonorũ acquieſcere & frui, niſi intellectus illud videat ſub ratione ſpectaculi, totum intellectus captũ perficientis. Nec aliũde melius hac de re iudicetur, quàm ſi quis de ludis ſpectandis cogitet, quos videre ſit iucundiſſimum. In illis enim animaduertimus, ludos quidẽ videre nos eo vt oblectemur, at non oblectari, vt videamus: nequire tamen iucunditate ea perfrui niſi ſpectẽtur: atq. ea ratione ſpectaculum beatum dici poſſe, propterea quòd ei voluptas quæſita indiuidua comes hæreat. Huc illud ſpectat quod vates de Chriſto cecinit: *Notas feciſti mihi vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem.* Cernis hîc ordinem & omnem vitæ beatæ rationem. Alibi idem de Chriſto: *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Quid non vidit noſter orator, quid non abſolutiſſimè tradidit? Priùs caput videndum poſuit, deinde per appoſitionem iucunditatem & gaudium adiecit, eo quòd nullo medio ipſam inſpectionem capitis ſumma voluptas neceſſariò ſequatur: & illud quidem non aliò inſpicere deſideremus, quàm vt inſpiciendo volũtas noſtra ſummo gaudio perfruatur. In eadem opinione illi fuerunt qui Deum ſupremum Iouem vocarunt, non quòd plures deos eſſe exiſtimarent, quamuis id dementia errabundæ crediderit poſteritatis; ſed quòd inter multa eiuſdẽ Dei nomina illud ſupremũ videretur, quod ſupremam ſignificaret felicitatem. Quamuis enim Mercurius excellentiſſimam excellentiſſimæ rei denotaret cõtemplationem, Deo ſoli ſeipſum videnti attribuendã; non videbatur tamen hæc nomenclatura ſuprema & ſumma, eo quòd gaudium & voluptas finis potius extremi rationẽ habere, quàm ipſa contẽplatio, iudicarentur. Verũ ſufficiant hęc Alphabeto, in quo capita potius rerũ indicãda, quàm omnia ſigillatim per minutias diſquirenda. Reſtat vt Ieud ſuam habeat figuram. Hanc mihi illi nobis depinxiſſe videntur qui amori ſubtiliſſimã dederũt ſagittam, omnia omnium pectora admirabili vi penetrantem atq. vulnerantem. Omnia enim creata occulto ipſius boni deſiderio feriuntur, & percuſſa vehementi ardore flagrant; nec antea conquieſcũt quàm ea, quoad capacia ſunt, potiãtur.

Intellectus & voluntatis idem obiectũ.

Iupiter qua ratione ſupremus Deus appellatus.

Ieud littera figura.

Verum

Verùm ſicut in corpore pulcritudinis inſpectio præcedit amoris iaculum; ita & in hominis mente euenit, in qua ſummi capitis pulcritudo antè animo comprehendatur oportet, quàm vel eius deſiderio feriamur, vel amore inflamemur. Quod enim de honeſto dictum eſt, id hîc multo magis locum ſuum habet; ſi nimirum facies eius oculis cerneretur, mirabilem ſui amorem excitaret. Eſt enim inſpectio cauſſa ob quam voluntas incitetur ac deſideret; quæ non antè conquieſcit, quàm eo cuius amoris radiis accenſa eſt, præſenti perfruatur. Cùm igitur hæc voluptas tota in amoris fruitione ſit conſtituta, quæ maxima eſt volũtatis perfectio, optimè amoris iaculo deſignabitur, propterea quòd & eo primùm voluntas feriatur, ac eo ipſo tandem fixa in amore acquieſcat; ita vt ab eodem vulnus fiat, & medicina adferatur. Iehb igitur exigua quadam & tenui ſagitta, ſiue radio, ſiue etiam ſcintilla, quod idem eſt, deſignabimus, quo amoris vim in ſummo bonorum intelligamus. Latiſſimus hîc campus aperitur de amore diſputandi, ſed, vt crebrò dixi, hic ſatis eſt capita rerum quibus ſapientia comprehenditur, oſtendiſſe. Hebræorum Iod ſcintillam videtur referre; aut fortaſſe è ſagittæ cuſpide ad hanc quam videmus formam degenerauit. Latinorum & Græcorum Iota parui radij ſiue exiguæ ſagittæ formam hactenus ſatis tuetur. Iehb igitur ſiue gaudium, quod omnium pectora velut telum quoddam ineuitabile ferit; non alia forma melius pingetur, quàm vel radio vel ſagitta omnia penetrante: qua vt me amor ille ſupremus, qui Spiritus ſanctus eſt, ſic feriat oro, vt in hac mortali vita perpetuò diuinæ pulcritudinis deſiderio langueam & contabeſcam; & poſt corpus depoſitum, illi populo adſcribar de quo Iſæ filius cecinit: *Beatus populus qui ſcit iubilationem.* *Amoris cauſſa.*

Cap.

Orator noſter appoſitionis ſuæ formam ſic conſtituit, vt Caput ſiue Thet non voluptatem diceret, ſed voluptatis tectum; quod Iehb Cap vocauit. Expoſito igitur quid Iod ſit, conſequens eſt vt Cap examinemus. Cap vocabulum eſt nobis in vſu frequentiſſimo, quo id nobis denotatur, quod ſupremum rerum ſubtus comprehenſarum tectum eſt. Hinc ſupremam quoque veſtem ſignificat; non quamuis illam quidem, ſed eam præſertim quæ & caput, & totum corpus, & vnà ceteras veſtes tegat & comprehendat: qualis ruſticorum in Hiſpania ſuprema veſtis eſt, à qua noſtris Cappis Hiſpanicis origo. Hinc & monachorum cappæ olim tales erant, vt vna eademque toga caput tegeret, ac cetera omnia non membra modò, ſed & veſtimenta. Plerique nunc pænulam à cuculla capitis habent diuiſam, tanto tenus à vetuſto Cappæ vſu & modo recedentes. Credo Gallorum Bardocucullum non aliud quàm cappam fuiſſe; quam Latini ſic vocarint, quòd Bardi id genus cucullis, quæ non caput modò, ſed totum etiam reliquum corpus tegerent, vterentur. Decorum ſanè eorum amiculum, qui ſæpius veſtem mutare nollent; propterea quòd quæ vna ſibi veſte præſtari poſſe cernerent, ea fruſtra pluribus fieri exiſtimarent. Decebat enim fortium virorum præcones maſculus veſtitus, non ad mollitiem, non ad ornatum; ſed ad cæli iniurias arcendas dumtaxat aptus. Qui Pſeudoberoſos nobis & Pſeudomanethones dederunt, Bardũ neſcio quem Celtarum Regem fingunt; cùm nobis conſtet, hac voce eum denotari, qui res geſtas in lucem profert, vt in Gallicis annotauimus. Lucanus libro, ni fallor, primo ſic eorum fecit mentionem: *Cap vocis ſignificatio.* *Cappæ monachorum.* *Bardocucullus.* *Bardus dictus quis ſit.*

Vos quoque qui fortes animas bellóque peremtas
Laudibus in longum vates demittitis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Crediderim itaque hoc hominum genus virtutibus laudandis deditum, veſtitu eo quo nullus ad neceſſarium vſum eſt accommodatior, vti ſolere; atque inde Bardocucullum à Romanis vocari cœpiſſe. At hoc cucullatum pænulæ genus propriè Cap nobis nuncupatur: quia & ſupremum ſit, & omnia tegat. Sic dicimus ſummum templorum & baſilicarum tectum cappam; atque adeò ipſum cælum frequentiſſimè Cappam nominamus. Priſcis Cap in vſu fuiſſe pro comprehendo, è Latina voce Capio diſcas. Angli hactenus Heep pro continere & comprehendere dicunt. Certè Pac verſa vox è Cap hactenus *Cap. Pac.*

hactenus vsitatissima nobis est pro mercibus colligatis, quas Cap plurimas tegit & comprehendit. Quando igitur scimus Cap pro summo fastigio omnia subiecta capiente & tegente nobis in vsu esse, facile fuerit intellectu quid tod cap designet. Quia enim ipsum caput non tantùm est vnius, aut duorum, aut plurimorum, aut etiam totius generis humani voluptas; sed ingens fastigium & tectum, sub quo omnes omnium rerum creatarum voluptates continentur; necessarium sibi orator noster putauit, vt hanc augustam amplitudinem bonorum, quæ vno capite comprehenduntur, indicaret. Cùm enim Deus summum bonum sit, non fuit eius iucunditas soli generi humano adstringenda; sed eo explicando vocabulo, quo designaretur, omnia omnium rerum creatarum bona sub huius bono, & omnes omnium voluptates sub huius voluptate, ceu sub excelsissimo tecto, contineri, & naturam suam conseruare. Aptissimè autem summi tecti nomine vsus est ad voluptatis diuinæ excellentiam, qua omnia excedit gaudia rerum creatarum, denotandam; propterea quòd diuina voluptas non solùm singulas vel angelorum vel hominum voluptates, sed omnes omnium simul cumulatas sic excedat, vti summum fastigium ea superat, quæ in pauimento ab aëris iniuria custodit. Nec hoc etiam fuerit contentus Alphabetarius magister, sed vlteriùs adscendet: ac quia cap simpliciter positum est, de præstantissimo & altissimo cap se volet intelligi: quod inter aspectabilia quidem & oculis exposita cælum est stellarum. Moneri igitur nos hac locutionis formula cerno, Dei voluptatem se ad humanam voluptatem simili quodam modo habere, quò cælum se habet ad elementa; quæ ab illo quidem diriguntur, sed dispari admodum conditione. Neque calor in elementis à Sole productus eiusdem est naturæ cuius calor solaris; sed tanto omnibus modis inferior, quantum perpetuis & æternis caduca cedunt. Et quamuis hac similitudine corporum spectabilium via nobis struitur ad diuina intelligenda; tanto tamen diuina voluptas omni & angelica & humana præstantior, quantum infinitum exiguo puncto maius est. Minus enim est collationis diuinæ & humanæ voluptatis, quàm totius cæli ad terræ centrum. Caput igitur cælum voluptatis intelligi voluit, dum ipsum ieud cap esse dixit, & omnem omnium voluptatum cumulum tanto esse diuina voluptate inferiorem, quanto terræ aliquod punctum à supremo cælo exceditur. Optima sanè hæc est & clarissima docendi ratio, dum ex iis quæ oculis sunt, obiecta ad diuinas adscenditur ideas: in quibus tamen ratio tanto rursus est præstantior, quanto infinita finitis sunt excellentiora & diuiniora. Docendi tamen ratio in iis quæ aliquo modo oculis sunt subiecta, meritò subsistit, modò ad eorum peruenerit suprema. Cap ergo cæli fastigium hic intelligendum: è quo rursus mens ad cælum beatorum attollenda; quod reuera ieud cap & est, & vocari debet, id est supremum tectum omnis voluptatis. Quamobrem caput ipsum voluptatis cælum esse intelligimus, sub quo infinitis spatiis altiore sua cuique destinata sunt gaudia; quæ caput ipsum tegit, conseruat, & æterno fomite sustentat. Cùm igitur hæc vera sit ipsius Cap notio, vulgoque dicamus frequenter, Onder de cap des hemels/ id est, sub cæli cappa: quod Itali à Gotis etiam retinuerũt; non video quid pro Cap melius pingi possit, quàm si ipsum cælum altera parte apertum, qua ad voluptatem sit introitus, delineetur. Differet itaque

Cap in oratione Alphabetica quid significet.

Cælum caput voluptatis.

Cap litteræ figura.

huius

huius figura à Gimel solo lituo, quem hîc non habemus, adeò vt mirum non sit si Cap pro Gimel crebriùs fuerit acceptum. Laudandi ergo hîc Latini, qui germanam figuram hactenus conseruarunt. Conuenit verò hæc figura maximè, non propter significationem tantùm ipsius Cap, sed ob nomen etiam quo huius litteræ potestas denotatur. Cùm enim Ce sic pronunciatum vt K, pro eo ac debet, vehemens desiderium significet; quid magis congruum, quàm si illius pingatur effigies, ad quod omnia mortalium desideria tendere oportet? Iam nihil congruentius rationi, quàm eas litteras quæ potestate sunt affines, affinibus pingere figuris? Faustissima ergo coronide prior litterarum vndenarius terminatur, ipso nempe summo omnium gaudiorum cælo; ad quod vt adspirare possimus, Spiritum sanctum semper inuocemus, ac cum nostro precatore dicamus: Gimel Dal He Vau Zan Chiet Thet Jeud Cap. Breuissimo orationis compendio totius sapientiæ summam collegit. Hanc poëtæ è Iouis cerebro natam fabulantur; quo fit, vt vehemens & efficax videatur affectus, quo ipsum caput è quo sapientia nascitur, nobis infundi rogamus. Et certè omnis doctrina ad hoc referatur oportet, quo patrem qui caput omnium est, imbibamus, vt eum primùm magna festinatione in alto volumine quæramus; quo vitam hauriamus & salutem, & summa perfundamur voluptate. Hauriamus ergo, iuxta Isaiæ vaticinium, aquas in gaudio de fontibus salutis.

Ce.

LIBER XII.

Lamet.

ABSOLVIMVS modò priorem orationis partem, quæ nos per senarium ad ipsum Caput deduxit, & per appositionem locutionis quoddam ornamentum, eam addidit lucis accessionem, vt cerneremus caput supremum cælum esse omnis gaudij & voluptatis. Hactenus autem nulla aperta facta est mentio impedimenti quod obstare posset, quo minus & capitis ipsius & gaudiorum, ei perpetuo nexu hærentium, essemus capaces; adeò vt hic senarius vnà cum sua appendice conuenire etiam possit homini necdum lapso. At alter senarius qui mox sequitur, ostendit imbecillitatem nostram, & confitetur nos culpa nostra in pecudes degenerasse, &, nisi Deus adiuuet, nos brutæ naturæ perpetuò adfigendos esse. In hoc igitur senario noua est Spiritus sancti inuocatio; & qui antè Gimel vocabatur, nunc Lamet nuncupatur. Conueniebat nouis precibus nouum epitheton, quod videlicet iis quæ rogantur esset accommodatum. Est autem id prorsus stupendum, totum nimirum redemptionis humanæ arcanum comprehendens, & eius exordium Spiritui sancto adscribens, vti ei per quem omne suum donum Deus ad homines demittit. Exponamus igitur vocabulum Lamet. Hîc nobis quid Mal sit & Lam vocali breui pronunciatum, aperiendum. Al omne notare in Hermathena tradidi; cui si Me præponas, quo Cum significatur, idem dixeris ac si dicas, cum omni: at si litteram vt in Alphabeto eius potestas exprimitur, Em al habebis, id est omnia vocans feceris. Certè vtraque ratio vocis conuenit notationi. Mal enim idem est quod stultus & vagus, numquam in re quapiam constans, sed cum omni occasione, cum omni re, cum omni persona sese huc illuc transferens, nihil prorsus stabile aut quietum habens, nec vmquam secum, sed semper cum alio & alio temerè huc illuc circumactus. Vsurpatur autem vox vt verbum & nomen, vt plurimæ aliæ nostrates. Huic opponitur Lam vox versa: quæ illud significat quod se mouere vel non potest vel vix potest, atque idcirco pro mutilo ferè vsurpatur. Verùm hîc animaduertendum, ipsam versæ vocis notationem non solùm contrariam prima fronte videri, sed si rectè discutiantur omnia, nobis ea indicari, ex Mal tandem ad Lam deueniri. Neque enim fieri posse, vt qui cum omnibus agitur & rapitur, vt non tandem aliqua sui parte mutiletur. A Mal breui fit Mal vocali longa,

Lamet vocis expositio.

Al. Me. Mal. Lam. Mal.

quod significat molere, propter molæ agitationem continuam: & quia hæc omnia confringit & in minimas partes comminuit, Mal in hac quoque notatione venit in orationem, vt idem significet quod in minimas particulas redigo vel omnino confringo.

Lam. Huic rursus opponitur vox versa Lam/ vocali item longa efferenda, quæ denotat defendere & tueri quicquam ne confringatur aut ad nihilum redigatur, aut omnino vllo modo lædatur. Ex hac voce apud Hebræos חֶמֶל corruptum est, per conuersionem & litteram superfluam adiectam, quod Parcere ferè vertunt; vnde מַחְמָל indulgentia & mollis tractatio. His itaque nostratibus vocibus stupenda mysteria signantur, quæ mox explicabo, si priùs vnum addidero; à Lam vocabulo per vocalem breuem pronuntiato agnum etiam denotari, propter imbecillitatem & infirmum & mutilum omnium membrorum robur: quæ ratio non tam animalculo tenello conuenit, quàm illi cuius symbolum gerit; adeò vt nomenclator ad hoc multo magis, quàm ad pecudis naturam vocem accommodarit; quod & aliàs eum frequenter fecisse non semel ostendi. Nunc igitur ad rem. Adam & Chaua primi nostri parentes libero suo arbitrio præditi in Paradiso sunt constituti, vt Dei ductum & eius præceptum, quod omnino erat facillimum, sequerentur, nec cum quoquam alio facerent, quàm cum suo creatore, à quo & vitam & possessionem beatissimi iucundissimique horti accepissent, & integram eius fruendi potestatem, vno solo fructu excepto, sed & exiguo & non facilè reperiendo. Cùm igitur in hoc tam felici statu essent, ecce draco inuidia accensus, à qua nomen Ates duxit, insidias aduersus eos struit, & aggressus mulierem, leui prorsus tentatione perfecit, vt illa statim secum faceret, neglecto mandato creatoris; quæ mox virum secum trahens, fecit vt reuera vterque & Mal esset, & meritò posset vocari. Cum quo enim mulier non erat factura, si tam facili occasione sese draconi adiunxit? Viden' hic etymologiam ipsius Mal in primo parente expressam? Ex hoc igitur primo consensu, quo parentes nostri cum dracone fecerunt, factum est, vt & ipsi & tota posteritas Mal euaserit, id est, stulta & inconstans, & cum omni vento circumagenda, & quamuis mobilitatis arreptura occasionem. Hinc congruentissimè nomenclator statuit, vt Mal vocali longa id notaret quod perpetuo circumactu ac rotatu ab alterius voluntate impresso fieri cerneretur. Mal enim idem est quod molo Latinorum. Ab hoc Mal fit Molen/ pro eo instrumento quo molitur, a in o translato, quo facilior rotatus indicaretur: vnde Latini Molam & Molo retinuerunt. Hinc nunc liquet consideranti, quòd vt ex Mal breui factum est Mal longum; ita ex mobili & stulta mulieris inconstantia prima fructus vetiti in Paradiso facta sit comminutio, quæ & ipsa ob hanc ipsam caussam Mal vocata est, quòd ab ipso Mal breui processerit. Et quia hæc prima fructus intra dentes fractio primum fuit prandium, cuius venenum omnis posteritas in carne sua sensit, statuit nomenclator, vt ad perpetuam huius comessationis memoriam omne conuiuium Mal vocaretur: quo semper posteri recordarentur se ex Mal primorum parentum ad hanc miseriam veniisse, vt in sudore vultus sui pane suo vescerentur. Hinc & Mal longum pro pomo voluit vsurpari, quod illud primum prandium dedisset: vnde Malum apud Latinos & Græcos. Vt verò eadem vox ad ouem transiret, cuius Græci vsum retinuerunt, post diluuium factum; cùm carne vescendi libertas concessa, deprehenderet ouem optimum dare & delicatissimum conuiuij apparatum. Ex Mal autem breui, Malum, pro prauo mansit apud Latinos, eo quòd Mal breui vocali pronuntiatum omnis mali dederit originem. Exstat ad hanc vsque ætatem prouerbium, quo nihil vel ipsis pueris aut notius aut vsitatius: quo dum quemquam stultum & mobilem significare volumus, dicimus **Tis een molen**/ id est, est mola; &, **Hi heet bi de molen geweest**/ id est, accessit ad molam. Item, **Hi is bestouen vanden meel**/ id est, farinæ puluere consperstus est: quibus omnibus & similibus nihil aliud quàm stoliditatem & stultitiam denotamus, adagij & nominis origine à prima mulieris mobili inconstantia petita. Considera hîc, rogo, quisquis es, diligenter nominum & rerum conuenientiam, considera sacræ scripturæ cum lingua nostra concordiam, considera quanta cura, quanto artificio hæc malorum omnium exordia nomenclator vocibus depinxerit. Nulla profectò vel Protogenis, vel Apellis, vel melioris etiam pictoris tabula eandem rem tam clarè ante oculos ponere potuisset, quàm ipsis vocum symbolis est expressa, & certa consecutione explicata. O quàm dolendum esset, si nobis hæc vocalis pictura, vti ceteris gentibus olim in linguarum confusione,

Adami & Chaua in Paradiso lapsus.

Stultitia & inconstantia omnium malorum caussa.

Molen.

Mola etymö.

Mali nomenclatura ratio

fusione, periisset! Quamquam porrò pulcerrima hæc omnium humani generis malorum expositio meritò est admirabilis, longè tamen admirabilior est & magis exosculanda illa vocum tabula, qua vindiciæ quibus homo à grauissimo seruitutis iugo in libertatem assertus est, ob oculos ponuntur. Dixi Mal breui stultam & inconstantem mobilitatem notari, & hanc esse principium & originem malorum quibus humanum genus affligitur. Quando itaque à contrariis morborum remedia sunt petenda, Spiritus sancti gratia nomenclatori suggessit, vt vocabulo eo agnum vocaret, quod ipsi Mal contrariam viam tenere cerneretur. Quemadmodum enim mulieris stultitia morbi dedit exordium; ita princeps morbi medicina agnus erat futurus. O diuinam benignitatem! ô liberalem omnium datorem & reuelatorem Spiritum sanctum! Quibus ego te mentis suauiis excipiam? quibus te mentis vlnis amplectar? Quis ego sum cui hæc diuina adyta recludis? quis ego quem hac ambrosia pascis, & hoc nectare inebrias? Sentio nunc, sentio me præ gaudio colliquescere, & suaui quadam morte corporis vincula dissolui. Sed reuertamur, & totam vocalem tabulam diligenter consideremus, & emissitiis oculis contemplemur. Ex Mal breui & breui parentum stultitia, Mal longum est secutum, omnes hominis partes ita frangens & rumpens, vt non longa tantùm, sed perpetua fragilitas & virium corruptela humanum genus affligat. Semper enim nos Draco & corrupta caro tentationibus molit, nec quicquam nobis integrum relinquit. Id mox sentis dum periculum facis. Compone te ad orandum, & experire, an tantillum temporis integri tibi queas suffurari, vt integram orationem Dominicam animo tuo percurras. Id si feceris citra omnem carnis & dæmonis incursionem, non parum feceris. Numquam enim post primum illud breue Mal / longum Mal cessauit, quo semper molimur; & molemur tantisper, dum fractæ carnis & molitæ domicilio immorabimur. Neque nunc addo labores, curas, sollicitudines quibus ad victum & amictum & nobis & nostris comparandum distrahimur, & semper anxij velut in equuleo torquemur. Priùs enim illud malum satis magnum est primæ stultitiæ monumentum, licet hoc posterius non accederet. Hic igitur præclarus ille fructus est, quem nobis parentum prima stultitia produxit. Nunc è diuerso videamus quid Iam / id est agnus nobis præstet. Id scie-
mus si à Iam breui Iam longum deriuabimus, eadem formula qua ex mal breui ad mal longum fumus progressi. Lam itaque longa vocali pronuntiatum verbum est, idem si-
gnificans quod diligenter caueo, ne quid aut frangatur aut minima tenus parte lædatur: qua in re propriè ipsius agni partes agnoscuntur; illius, inquam, quem ille demonstrauit qui dixit, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Atque hac ipsa de caussa agnus Iam vocatus est, id est, mutilus & infirmus; quia nimirum talis erat hic agnus in mundo appariturus. Totus enim erat vulnerandus & atterendus propter peccata nostra; vti clarè Isaias prædixerat, & res ipsa tandem comprobauit. Atque hac ipsa via cauit, vt nobis integra sanitas daretur, nec vlla parte læderemur. A Iam itaque breui Iam longum processit, id est longa defensio & tutela, ne vel frangamur vel lædamur. Et hæc quidem satis sunto ad mirificam vocis Iam / quo defendo significatur, originem ostendendam. Nunc igitur examinemus dictionem compositam Iamet. Het caput notare, paulo antè satis ostensum. Lamet igitur ad verbum defensionis & omnis tutelæ caput designat, si vt nomen vocem interpreteris: atque hac ratione Spiritui sancto tribuitur, quòd is ecclesiæ datus sit, ceu totius custodiæ & tutelæ caput & princeps. At eadem vox nobis orationem ad Spiritum sanctum offert, qua eum rogemus, vt custodiat caput nostrum; quia Iam Het sic capere queas, vt idem sit ac si dicatur, Defende caput. Vna enim hac voce composita nomenclator sacrarum lectionum & notarũ peritis indicauit hanc precandi formulam: O tu omnis tutelæ & defensionis princeps, defende caput nostrum, & sis nobis illud quod transpositis partibus huius vocis diceretur, Het Iam / & composita voce Helam siue Hellam / id est, galea siue fida capitis tutela. Dicitur enim Hellam vel Hellem pro galea: & Hellem quidem à celando & occultando; Hellam verò à tuendo & defendendo capite nomen duxit. Franci ex hac voce *heaulme* pro galea dicunt. Nec hîc monendum, in compositione Lambda præcedentem litteram in suum sonum pertrahere, non apud nos modò, sed etiam apud Latinos, vt dum à Perliceo Pelliceo fieri videmus. Sic enim ex Het Iam Hellam / & Het Iem Hellem formatur. Est autẽ vtraq. vox in vsu pro galea, & olim etiam fuit. Nam Itali ab Hellem *celada* habent, phrasi dumtaxat reten-
ta, qua

Agnus quid humano generi præstiterit.

Iam.
Iam.

Het.

Lamet quid significet.

Lamet quid in oratione Alphabetica denotet.

Hellam.
Hellen.
Heaulme.

Celada.

ta, qua ȝellem ſunt interpretati: & Franci ab ȝellam *heaulme* retinuerunt. Sed hæc non admodum, vel ſic vel aliter habere, ad propoſitum noſtrum refert. Nobis enim Iamet conſiderandum eſt; & eo, quo dixi, modo legendum; vt nimirum compoſito nomine Spiritum ſanctum inuocemus,& mox voce eadem moniti precemur defenſionis caput, Defende caput noſtrum. Quàm ſibi vbique ſimilis eſt orationis noſtræ artifex! quàm ſemper poſteriore diligentia priorem vel æquare vel anteuertere conatur! Semper ſeſe vrget, ſemper ſibi inſtat, quo latam nobis materiam ſuppeditet, in qua ingenij vires ad vtilitatem noſtram exerceamus. Quid elegantius, quàm duabus ſyllabis hanc ſententiam indicare, Defenſionis caput defende caput orantis; & quod diceris, in capite defendendo te eſſe demonſtra? Et licet hæc vox hanc geminam ſui intelligentiam non offerret, ipſa tamen vocis compoſitæ ſignificatio hanc nobis ſuppeditaret orationem: O tu defenſionis caput, quando gratum tibi eſt vt defenſionis caput voceris & reuera caput ſis, omnium capitum ideam & exemplar in te habens; oſtende quæſo hanc defenſionem tuam in capite noſtro, quod tui capitis exemplum eſt & imago, & idcirco in eiuſdem nominis admiſſum communionem. Æquum enim videtur, vt idea & exemplar imaginem ſui defendat & tueatur, quo in ſimilitudine ſpectabili ſublimis eius maieſtas & cognoſcatur & honoretur. Neque mirum eſt, Spiritum ſanctum defenſionis caput vocari; cùm ſolo ſancto omnis vera vita, atque adeò totus mundus contineatur & cuſtodiatur. Fertur enim hic ſuper aquas & omnia creata permeat, vt omnibus vitam conſeruet ac tueatur. Quamobrem meritò Iamet vocatur, id eſt, cuſtodiæ & defenſionis caput. His cognitis, reliquum eſt vt pictura inueniatur, qua ſignificatio ipſius Iamet quàm optimè oculis ſubiiciatur. Cùm omnis hæc tutela, cuius Spiritus ſanctus caput vocatur, ad hominem ſpectet, quærenda eſt quæ primaria ſit hominis, quem videmus, defenſio. Hîc nemo infitias ibit, primæ partis & ſupremæ primariam eſſe defenſionem, & caput totius tutelæ humanæ. Quamobrem cùm caput nobiliſſima & diuiniſſima hominis pars ſit, ea defenſio qua caput defenditur principatum tenebit, & meritò defenſionis humanæ caput dicetur. Hinc neceſſariò efficitur, vt nulla pictura meliùs defenſionis caput exprimi poſſit, quàm ſi illud pingatur munimentum, quo hominis caput defenditur & ab omni noxa cuſtoditur. Cùm enim Iam omnibus modis abſolutam tutelam denotet, tale erit capitis munimentum delineandum, quod caput quàm optimè cuſtodiat ab omni externo periculo. Primum igitur locum galea videtur ſibi in defenſionis armis vindicare: quam ſententiam militaris quoque confirmat diſciplina,& ipſa adeò demonſtrat natura,quæ manum,licet imbecilliorem,ſi alia deſunt munimenta, capitis periculis obiicit; quo quidam miſellus modò omnes ſuos digitos perdidit, manibus nimirum pro galea vſus. Verumenimuerò licet galea caput à gladio, claua & id genus lædentibus armis tueatur,aduerſus tamen diuinam iram nequit tueri, à qua tamen capiti magis eſt metuendum, quàm ab vllo alio telo. Diſpiciamus ergo quid diuinæ iræ opponi ſolet, ac qua via ab ea ſibi homo defenſionem queat parare & ſecuritatem. Id ſacræ litteræ nobis demonſtrabunt, quibus iram diuinam ſacrificiis placare iubemur: & vt intelligamus hac ratione nos capiti noſtro cauere, præcepit

Iamet litterę figura.

Galea primũ locum habet in defenſionis armis.



præcepit Dominus, vt Deum placaturus, manum capiti victimæ imponat; hac videlicet via peccata sua in hostiæ caput transferens, & illud pro suo Deo immolans, atq. ita suum caput expians tutumque reddens. Verùm quia sacrificij caput sacerdos est, & is pro populi capitibus orat & rite sacra facit, nec aliter iram diuinam effugere possumus; certum est summum defensionis caput illud esse, quo ipse sacerdos caput suum munit, vt iram diuinam & à se & à populo suo auertat. Aaron nomina filiorum Israël in humeris suis portabat, & laminam auream in tiara fronti imminentem, cui inscriptum erat, Sanctum Deo, siue קֹדֶשׁ לַיהוָה, quam iubetur semper in fronte gerere, vt Deus propitius ipsi sit. Videmus ergo in tiara maximum etiam apud Hebræos sacerdoti munimentum aduersus diuinam iram fuisse, & sub eo omnes filios Israël in humeris sacerdotis, velut sub summo defensionis capite, latuisse. Potuissem igitur huius Hebraicæ tiaræ formam litteræ Lamet accommodare; verùm quia in Ianigenarum & lingua & ritibus versor, quærendum est, quo capitis tegmine sacerdotes vsi sint apud vetustissimos Ianigenas, multis antè sæculis quàm Moses legem suam aut conderet aut ferret. Gaudio profectò non mediocri perfundor, dum recolo mecum quàta Dei benignitate factũ sit, vt hactenus in Romanorũ numismatis & saxis nõ pauca habeamus veræ antiquissimorum religionis vestigia, è quibus non contemnenda veritatis arcana erui possint, si quis ea sanè examinare & ad caussas reuocare norit. In hoc genere Pontificum & Flaminum pileus est, cuius effigies cùm in aliis, tũ in Cn. Domitij & Messallæ Coruini numis apud Hubertum Goltzium depictis clarissimè cernitur. Est autem apud Guilielmum Choulium nummus argenteus Augusti cum ancilibus duobus; in quorum medio hoc pilei genus elegantissimè pictum est cum tæniolis quibus alligabatur sub mento, & virga supernè erecta. Apud eundem est Cæsaris nummus cum pileo eiusmodi & lituo. Goltzius Iulium habet cum inscriptione, *Cæsar Augur Pont. Max.* cuius ceruici hic itidem pileus est appictus, nec aliunde Pontificis insigne adiectũ. Sunt itidem pulcerrima duo numismata Cæsaris cum inscriptione Pontificis Maximi Cos. & Dict. cuius versæ facies L. Mustidium longum habent, adiectis cornu copiæ gubernaculo orbe caduceo & pileo Pontificali, eandem cum ceteris habente formam. Eundem in Lepidi numismatis tribus diuersis vna Goltzij pagina demonstrat. Virgilius religiosissimus antiquitatis cultor, in Æneæ clypeo lanigeros apices cõmemorat, ex peculiari nota qua à ceteris pileis differebant, totum tegmen ostendens, & eo Pontificalem describens dignitatem. Seruius ad eum locum annotauit, Flamines in capite pileum habuisse, in quo breuis virga fuerit desuper lanæ aliquid habens: quod cùm per æstus ferre non possent, filo tantùm capita religare cœpisse, eo quòd nudis capitibus incedere nefas esset; vnde à filo Flamines, quasi Filamines dictos fuisse: verùm festis diebus pileis depositis pilea eos accipere necesse habuisse, & fuisse qui dicerent hæc ad sacerdotij eminentiam ostendendam fuisse inuenta. Operæ pretium est hic Festum audire de Tutulo scribentem; quem dicit ornamentum esse capitis Flaminicarum, virtam nimirum purpuream innexam crinibus & in altitudinem erectam, qua Flaminica à ceteris mulieribus decerneretur: viros item in sacris tutulis



Tiara aduersus diuinam iram sacerdoti munimentum.

Pontificum Romanorum tiara.

Tutulus, Flaminicus pileus.

vsos fuisse, qui inde Tutulati vocarentur. Varro item de lingua Latina libro sexto scriptum reliquit: Tutulati dicti qui in sacris in capite habere solent, vt metam. Id tutulus appellatur, ab eo quod matresfamiliâs crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent vti velatos, dicunt tutulos; siue ab eo quòd tuendi caussa capilli fiebant; siue ab eo quod altissimum in vrbe quod est, ea res tutissima tutulus vocatur. Hîc Calepinus legit; altissimum in vrbe quod est arx, ea res tutissima tutulus vocatur. Ex his colligo coniectura quadam, nescio quali, alij iudicanda, mihi certè valde probabili; Flaminicum pileum apud priscos Ianigenas Tutulum fuisse vocatum: idque adeò inde maximè suspicor, quòd eum non videam alio nomine fuisse nuncupatum; nec verisimile videri, Flaminicæ ornamento quo caput peculiari modo velabat, proprium nomen fuisse; Flaminis verò pileo non fuisse, cùm contrà huius potius insigne quàm illius nominis honorem mereretur. Iam quid sibi vult, viros in sacris metis capita velasse, & eas tutulorum nomine cognitas fuisse; Flaminum verò & Pontificum metas omni nomenclatura caruisse? Atqui pileum Pontificum veluti metam quandam fuisse, omnia vetusta mumismata testantur. Quid ni igitur æquè Flaminum metæ, atque metæ aliorum qui sacris operabantur, Tutuli vocati fuissent? Video sanè hîc Romanos magna veterum suorum rituum ignorantia & obliuione laborasse, & pessimè eum consuluisse posteritati, qui Numæ libros exurendos esse persuasit. Quòd autem Varro velut in tenebris palpet, dum originem vocis Tutulus quærit, mirum non est, cùm vox ea vna sit de priscis Cimmeriis apud Latinos ab antiquo relictis. Videamus itaque vnde Tutuli nomen dicatur. Nemo est nostratium qui non intelligat, capillos in fastidium collectos Thuiten vocari. Dicitur autem Thuit, quasi het he huit, quod idem est ac si dicas, id quod altum siue caput custodit. Nec mirum est, aspirationem neglectam esse, quam nostrates quoque non rarò in compositione reiiciunt, ne nimium spirare cogantur. Iam ex Thuit & Hul componitur Thuithul, & abiectis adspirationibus Tuitul, quo ornamentũ capillorum in altum super capite ad custodiam eius collectorum denotatur. Est enim Hul capitis tegmen, nunc in mulieribus solis vsurpatum vocabulũ, quod ex hui-el componitur, quo excelsa tutela denotatur, vel custodiæ tutelæque eminentia. Est Hul vt verbum quoque vsurpatum, pro eo quod est quemquam regionis cuiuspiam vel opidi vel arcis dominio inaugurari, quasi dicas eum ad custodiam & tutelam attolli & sublimari. Ex hac ita vulgata apud nos hactenus loquendi consuetudine quiuis intelligit, ornamentum illud capitis quo iurisdicundi & loci cuiuspiam tuendi potestas cuipiam cõferri denotabatur, Hul fuisse nuncupatum. Quale autem illud fuerit, ex illis altissimis metis colligas quibus mulieres ante centũ annos, & vlterius ante omnem memoriam vsas fuisse picturæ & tapeta demonstrant; quibus & hactenus fortasse vterẽtur, nisi concionatores, animaduertentes hoc ornamento capitis mulieres maximè superbire, in metas his acriter inuehi & stomachari cœpissent, & hæc dæmonum esse sacella in capitibus exstructa continuò è suggesto clamitare. Credo autem eo magis pileos quibus principes dominio alicui initiari solent, eiusmodi fuisse, propterea quòd dominio initiari res sacra sit, & in primis sacris habenda; & idcirco ritu sacro & cum sacrificio ab omni æuo peracta. Quamobrem cùm in sacris Tutulis antiquissimi Ianigenæ vsi sint, Varrone & Festo auctoribus, videamusque in linguæ nostræ consuetudine mansisse, vt idem Hul significet quod Principem consecro siue inauguror, non malam coniecturam mihi facere videor, dum principes quoque dico eiusmodi pileum tum accepisse, cùm acciperent sollemni ritu ius principatus. Nec diuersæ formæ Persarum regum Cidaris videtur fuisse, quam à sacerdotibus quoque non iniuria sumsisse videantur. Hodiernam Turcorum barbariem, qua Cyrbasiis huius generis in metam sublatis sanguinarios cuiusdam classis milites ornant, nihili facimus, vti nulla probabili ratione nixam. Videamus ergo huius tam vetusti ritus caussam, atque ei nominis vetusti originem conferamus, quo perspicuum fiat, an altera in alteram quadret. Sacra ad primæ caussæ hominem pertinere, vt ab ea res hominum conseruentur, dictio sacer clarè demonstrat; quam si Latinus in suam in linguam verteret, ad verbum Caussæ honorem vocaret. Attentum autem cum esse debere qui sacris operatur, licet eius maiestas quem honoramus, non satis ostenderet ac postularet, celeuma tamen illud quod accini solet, Hoc age, quemuis doceret. Nos in Alauda satis ostendimus, in Deo & orando & laudando

Tutuli etymon.

Thuiten.

Hul.

Cidaris Persarum regum.

Cyrbasii Turcorum.

Sacer, sacra, sacrum.

mentem

mentem noſtram, omnibus terrenis relictis, ſurſum ad ipſum Vnum rectà contendere debere, atque in eo antiquiſſimum & ſummum vitæ opus conſiſtere & abſolui; & huius quidem in Teuwert eſſe documentum, quo nomine Alauda vocatur: illius verò teſſeram eſſe metam in Alaudæ capite erectam. Cùm igitur in ſacris excellentiſſimus vitæ actus ſit, & is per pyramidem denotetur rectà ad ipſum ſupremum Vnum tendere; quid, rogo, eorum capitibus qui ſacris operantur, imponi melius poſſit, quàm pyramidis ſimulacrum? Pluribus hæc mihi eſſent explicanda, niſi in Alef, Alauda, & Bet cumulatè omnia annotaſſem quæ ad huius rei intelligentiam & priſcam obſeruationem ſpectare viderentur. Non eſt igitur hoc loco odiosè repetendum quid meta in Alaudæ capite deſignet, & quàm rectè in eam nomen Teſwert ſiue Teuwert quadret. At hoc tantummodo concludendum, admirando conſenſu Tutulos cum Alaudarum tymbis conuenire, atque idcirco nihil aptius cogitari potuiſſe, quàm ſi pilea in metam tendentia in ſacris vſurpata fuiſſent ad ea omnia deſignanda quæ per pyramidem & alaudam, pyramide caput ſuum munientem, denotari tradidi. Cùm igitur hæc ignea mentis ad Vnum eleuatio præſtantiſſimum & ſupremum ſit munimentum, non ipſius modò capitis noſtri, ſed eorum etiam quæ natura ad capitis noſtri defenſionem parauit, quæ tuiten vocantur, pileus hic in metam erectus optimè tuit Iul/ ſiue Tutulus more Latino vocabitur. Iul enim excellens eſt cuſtodia & tutela; & tuiten capitis ſunt capilli in vnum collecti ad capitis defenſionem. Duplex igitur in Tutulo capitis tutela continetur; altera nobis à natura data, & arte noſtra ad caput defendendum comparata, quæ tuit vocatur: altera excellentior, quam Iul ſignificat, quæ ſimul & capitis tutelam defendit. Porrò cùm ea quæ perpetuæ memoriæ priſci conſecrabant, in primis vti ſacra haberi vellent, nec à quoquam magis quàm ipſa ſacra vel conuelli, vel alia quauis via rumpi lædiue; ſaxa ad formam metæ cædebant, vt iis, ceu ſacris quibuſdam terminis, ea quæ digna poſterorum notitia viſa fuiſſent, inſcriberentur. Atque hac de cauſſa huiuſmodi metæ ad inſcriptionem comparatæ, Tutuli quoque propter ſimilitudinem ſunt vocati. Latini huius rationis ignari in hac ſignificatione Titulos dixerunt, diphthongo ui in I ſimplex mutata, neglecta interim, quod frequens ipſis eſt, temporis menſura. Iam quia librorum frontibus & ſummis capitibus inſcriptio quoque neceſſaria videbatur, ad materiam & auctorem indicandum, placuit vt metæ quoque figura libris præponeretur, ad inſcriptionem complectendam, quæ de ſimilitudine Titulus etiam nominaretur. Nec dubium mihi eſt, quin ita olim ſcripti librorum tituli fuerint, vt vel conoide figura includerentur, vel metam referrent, litteris ab vna paullatim in plures abeuntibus, dum vltimus verſus baſim conſtitueret, quales ego in excuſis etiam vidi voluminibus; tametſi plerique metam euerſam ſiue trochum imitari conſueuerint, antiquitatis videlicet imperiti. Hoc interim apud omnes ferè obſeruatur, vt figuram quampiam in titulis quærant; quaſi id natura dictaret: quam ſi ſequerentur, vlterius intelligerent, principio primam figuram perfectam conuenire, quæ in plano triangulus eſt, in corporibus pyramis. Quis enim non intelligit principio principes figuras aptiſſimas eſſe, ſi vllæ omnino figuræ principiorum propriæ debeant haberi? Præterea cùm nullus omnino codex vel legentium oculis, vel memoriæ poſterorum dignus ſit, qui non præcepta contineat aut documenta ad bene viuendum vtilia, an non decebat eam initiis librorum figuram præfigere, qua vita hominis rectè inſtituta ſignificaretur? Quod dum faciebant, ea ſeſe tradituros pollicebantur, quæ facerent ad vitam ad vnum ſupremum punctum, quod Deus eſt, dirigendam. Idem etiam de titulis ſaxeis putandum, eos nimirum non ſolùm in metæ formam erectos fuiſſe, quo ſacræ & non temerandæ haberentur, ſed ob illud etiam, vt cognoſceretur id quod in iis ſculptum eſſet, ad vitam bene rectéque formandam pertinere; qua in re cauſſa eſt conſecrationis. Quod dico, euidentiſſimum eſt in obeliſcis illis quibus ſacræ Ægyptiorum notæ inſcriptæ videntur, qualis vnus in Circo maximo Romæ ſepultus iacet admirandæ magnitudinis; & alter in circo ad D. Sebaſtianum cernitur, de caſu, vt videtur, confractus. Minores verò plures Romæ cernes; quos omnes Romani priſca ſua voce ſignificantiſſimè titulos nominarent, eo quòd ſacros titulos imitentur, & eiuſdem rei ſymbolum deſignent. Quo verò hæc faciliùs credantur, ab iis præſertim qui alto ſupercilio elati, ſe primas eruditionis tenere arbitrantur, nec quicquam ſe putant doceri poſſe; addam antiquiſſimum huius rei monu-

Meta è ſaxis exciſa cur Tutuli nominata.

Tituli nomẽclatura ratio.

Librorum tituli qua figura olim fuerint, & eſſe debeant.

Principiis quæ figuræ conueniant.

Obeliſci Romæ.

mentum à Græcis petitum, nec ab ipsis magis intellectum, quàm Tituli nomen intelligant Latini. Aristophanes antiquitatis doctissimus scurra, in ea Comœdia qua Socratem pecunia corruptus prodidit, sibi sub persona Strepsiadæ senis pulcerrimos inuenit titulos, quos sic enumerat:

Θρασὺς ἔυγλωττος, τολμηρὸς ἴτης,
Βδελυρὸς, ψευδῶν συγκολλήτης,
Ευριεπὴς, περίτριμμα δικῶν.

Aristophanis prauum ingenium.

Et hæc quidem nomina insigniter in Aristophanem quadrant. Quòd verò nebulo κύρβις ceteris adiecit, id fecit sanè eodem animo, quo totam sapientiam proposuit deridendam: quam vt euerteret, callidè cuniculos egit ad ipsa fundamenta labefactanda. Cùm enim sciret antiquissima sapientiæ præcepta in metis principiò sculpi solere, quas Cyrbes Atticorum antiquissimi vocarent, has primùm sibi putauit euertendas. Inquiramus ergo è vetustis commentariis quæ fuerint Cyrbes, & cur ita vocatæ. Apollodorus tradit sic dictos esse, ἀπὸ τῆς εἰς ὕψος ἀναβάσεως, id est, ab eo quòd in altum assurgerent; quia videlicet in coryphen, id est, in apicem tenderent; παρὰ τὸ κεκορυφῶσθαι Græci dicerent. Qualis autem coryphes esset germana figura, è Plutarcho discas; qui in vita Marcelli κορυφαίους πίλους eos vocat, quos Virgilius & Valerius apices; eos videlicet quos nos tutulos veterum docuimus fuisse. Hinc liquet Cyrbes metarum figuram habuisse, & earum quidem antiquissimas Pollux docet fuisse trigonas: quod diligenter annotandum. Ex eo enim perspicuum fit, Cyrbes apud priscos primi corporis siue primæ pyramidis, quæ trigona est, fuisse simulacra. Nunc vsum videamus. Aristoteles in Atheniensium rep. docet leges & publicorum sacrificiorũ ritus iis inscribi solere. Quod cùm ita esse Theopompus ex antiquitatis monumentis didicisset, credidit Cyrbes à Cyrbantibus nomen traxisse, propterea quòd ij primi fuissent auctores legum & sacrorum rituum ad hunc modum scribendorum: quod in eo libro prodidit, quem de cultu diuino & pietate scripsit. Inde colligas certissimo argumento, Cyrbes sacris litteris recipiendis & posteritatis memoriæ mandandis apud priscos in primis seruiisse. Cedo mihi nunc, quid astutius Aristophane; qui vt Socratem veteris sapientiæ professorem ridiculum faceret, antiquissimam sacrorum & legum, quibus sapientia cõtinetur, memoriam in contemptum adducit, vt nimirum primis euersis principiis, ea quæ iis nituntur eadem collabantur ruina? Nunc itaque cernimus quanta religione apud priscos sit obseruatum, vt in omnibus rebus docendis Magia & rerum cognatio integra constaret: & idcirco ab ipsis ea quæ in vita bene instituenda haberent principatum, principi quoque corpori inscripta commissaque fuisse; idque maximè ea de caussa, quòd primum corpus quî vita rectè sit instituenda, sua figura clarissimè monstret. Verùm hæc ratio tam vetusta apud Athenienses fuerat, vt iam olim ante Aristotelis ætatem ab hominum ignorantia fuerit antiquata. Scribit enim Plutarchus, iam tum Solonis ætate Axes successisse: quorum & ceteri meminerunt; ac deinde etiam tabulas dealbatas. Diligenter igitur antiquissima consuetudo obseruanda, quam Pollux apertissimè tradidit, Cyrbes aiens formam triangularium pyramidum habuisse. Quamuis enim nomen ad Axones, quos quadrangulos idem facit, & ad tabulas alterius postea formæ transiuerit, ex hoc tamen abusu nobis non est ratio priscæ veritatis deserenda. Effecimus modò vt ex Græcis auctoribus constet, quis fuerit antiquissimus mos in saxis ad memoriam posteritatis collocandis; & inde quod de Titulis dixi, certissimum esse doceatur. Optarem equidem vt scirent Iurisperiti, quàm eleganter & conuenienter priscæ loquantur antiquitati, dum Iuris volumina in legum Titulos partiuntur. Porrò quoniam priscos auctores dubios videmus in Cyrbis etymologia reperienda, & Theopompus ad Curbantas potiùs confugerit quàm ad Grammaticos; rimemur & nos ecquid in nostro sermone sit quod ad huius vocis faciat intelligentiam. Quod sanè si fecero, id fecero quod Amazonica mea faciendum esse demonstrant, quibus trado Cimmerios primos fuisse Athenarum conditores: quo fit, vt mirum videri non debeat, si vetusta aliqua Ianigenarum nomina apud eos exstent. Cur/ ritum sacrum designare, & Stuc eius vsum per ichnæam conuersionem docere; Hermathena mea tradit, & mox idem in Tau mihi repetendum est. Hinc Cur—want/ & Græco more Cyrbas, is qui veluti apparitor quidam est sacrorum, vt alibi declaraui. Nostri cærimoniarum magistros & custodes vocarent. Ex eodem

Cyrbes quæ, vnde dictæ, et quem vsum habuerint.

Coryphes germana figura.

Axones.

Cyrbis etymon.

Cur.
Stuc.

Cyrbas quis.

eodem fonte Curbis manauit; ita vt Theopompus non longè aberrarit. Est autem nobis Cur-wig, id est, cærimoniarum & sacrorum rituum index & præmonstrator: qua in voce duplex Digamma in Beta commigrauit, vt in Curbante & quamplurimis aliis à me frequenter annotatis: quod sanè doctius est, quàm hanc litteram, quod in pluribus factum est, prorsus repelli, nulla alia in eius locum substituta. Potuítne quicquam dici conuenientius iis quæ de Cyrbi scripta sunt, quàm id quod interpretatio de sermone nostro sumta designat; in qua tamen nullius litteræ fit iactura aut mutatio, ea sola excepta quam Græcus necessariò vel omittere cogitur, vel in eam mutare quæ proxima est potestate? Nec verò in aliam melius ea transit, quàm in Beta; cùm hæc littera apud Græcos loco digamma Latinorum vsurpetur. Quemadmodũ igitur Latini ex Cur-wig Curius fecissent; ita optimè Græci pro eodem nomine Curbis dixerunt: &, si rectè sonos litterarum expendas, paullo etiam melius quàm Latini. Pyramis igitur trigona omnium corporum princeps & vitæ beatæ tessera ad hoc à priscis Magis fuit electa; vt illa perenni memoria conseruaret quæ in humana vita omnium tenent principatum. Videmus enim de vocis ratione eiusmodi metas primùm sacrorum índices fuisse, quibus totius felicis vitæ summa contineretur; atque inde ad leges etiam ciuiles & alia, posteritati ad mores vitamq. bene formandam necessaria, transiisse. Ex hac itaq. Græcæ & Latinæ vetustatis collatione liquet, quæ prima fuerit forma Titulorũ. Nostrates hactenus litterarum apices Tutul vocant; quod non indignum est annotatione, tum vt cernas germanam & primam vocis pronunciationem, & ex ea originem: tum vt scias quales olim fuerint apices litterarum. Certè dum apices vocamus, pileorum similitudinem intelligimus, quos apices Virgilius dixit. Apud Lucam Euangelistam legimus, *Facilius est cælum & terram præterire, quàm de lege vnũ apicem cadere*; vbi Græcus textus κεραίαν habet: è qua voce cognoscas apices corniculorũ figuram habuisse. Nam quòd κεραία antennam etiam significat, id à cornibus etiam deductum est, quæ Virgilius nobis expressit: *Cornua velatarum obuertimus antennarum.* Non mirum itaque, apicem litterarum Tutul à nostratibus vocari, cùm apex & tutulus idem sit sacerdotis ornamentum, eandemque habeat figuram. Quæramus modò an nulla apud Græcos antiquiores vox propria fuerit, qua apices, quos κορυφαῖα πῖλα Plutarchus appellat, denotarentur. Non diu discurrendũ. E nomine Cyrbis mox in Cyrbasiam cogitatio incurrit. Hanc erectam tiaram Hesychius Milesius definit, addens ea solos Persarũ reges vti solere. Galenus πῖλον ὀξὺ interpretatur, id est, pileum in acutũ tendens. Aristophanes in Gallo ludens, dicit eum cyrbasiam in capite gerere, atque olim quidem Persarum regem fuisse, ex hoc indicio constare. Tradit enim Clitarchus, omnibus Persis licitum quidem fuisse, vt tiaris vterentur; verùm in frontem reflexis; qualem in Mithra & Aty videmus: recta enim tiara vti solis Regibus licuisse. Huius rei caussam nos clarissimam videmus. Quoniam enim cyrbasia vetustum erat Pontificum & sacerdotum ornamentum, nefas putabatur, si alij capiti quàm consecrato imponeretur. Hinc ad reges Persarum vsum cyrbasiæ venisse; vel quia Reges olim Pontifices quoque fuerint, vel quòd saltem essent haud secus atque sacerdotes quidam consecrati. Quando itaque inuenimus quid Cyrbis denotet, tentemus Cyrbasiæ quoque reddere rationem. Docui alibi, Baes eum notare qui nos alit: quo nomine vulgò patremfamilias vocamus; & per metaphoram quemuis cui magnam reuerentiam debere nos fatemur: vnde Græcorum βασιλεὺς dicetur is qui populum alit, siue qui populo tamquam paterfamiliàs præest: qua in re summa Regis laus est, vtinam ab omnibus & cognita, & bene gubernandis rebus explicata. Curbas igitur (neque enim apud nos refert diphthongúmne hîc, an longum Alpha scribatur & pronuncietur) is fuerit, qui cærimoniis alimentũ suppeditat, atq. iis velut pater quidam familiàs præsidet. Fateor equidẽ vocem hanc ipsi cærimoniarum magistro siue Pontifici non malè conuenire; verùm si etymologia rectè discutiatur, in pileum conoidem magis quadrabit; quod sic declarari potest: Ritus omnes sacri frigent & ieiuni sunt, nisi mens nostra in pyramidem se componens, ad ipsum Vnum contendat, atque inde pabulum cærimoniis sumat. Mortuæ enim sunt omnes cærimoniæ, nisi per metam hanc vitam accipiant, & continuò refocillentur & alantur. Quamobrem si signo tribui rectè potest quod per signum

Curij nomenclatura.

Tutul.

Apices litterarum quales olim fuerint.

Cyrbasiæ forma & vsus.

Cyrbasiæ nomenclaturæ ratio.

Baes.

βασιλεὺς vocis etymon.

signum volumus indicare, quid ni dicamus Apicem siue Tutulum sacris ritibus dare nutrimentum? Quod si sic est, sequitur primarium Pontificis insigne cyrbasiam fuisse, propterea quòd ea omnium cærimoniarum vitam pabulo suo sustentaret. Tempus nunc est vt ad Romanos redeamus, & apud eos examinemus, quo plebeiorum hominum sacris operantium Tutuli à Tutulis Flaminum & Pontificum differrent ac discernerentur. Turpe enim fuisset & à sacris alienum, nullam sacerdotum eminentiam in eo ornamento obseruari potuisse, quo tota cærimoniarum vita contineretur. Atqui id ex Seruio clarum est, qui in pileo Flaminum paruam virgam lanæ nonnihil supernè habentem exstitisse tradit: quam in omnibus numismatis clarè videmus. Nunc igitur quid hic Apex tutuli, qui proprie apex est, designet, inquiramus. Bone Deus, vt nihil sunt omnia quæ hactenus diximus, si cum iis quæ modò prospicio, cõferantur! Exorsi sumus sermonem nostrum de Lamet institutum à Mal & Lam: & nunc rursus mirabili quodam mysterio ad Lam, id est, ad agnum cogimur redire. Quis, rogo, tam stupidus, vt lanam videns non cogitet de oue; aut quod ouis certius & magis proprium indicium quàm pura lana? Lanæ in sacris non exiguus apud Romanos vsus fuit. Ouidius in Fastis eius sic meminit:

Tutuli plebeiorũ sacris operantium, & Flaminũ, quo differebant apud Romanos.

Lana in sacris vsus apud Romanos.

Pontifices à Rege petunt & Flamine lanas,
Quis veteri in lingua Februa nomen erat.

Apollodorus Saturnum per annum laneo vinculo alligari scribit, & festo sibi die solui, atque inde prouerbium exstitisse, *Deos laneos pedes habere*. Plutarchus tradit, in Lupercalibus capras mactari, ac duos nobiles adolescentes tum adduci ad immolantes; & horum alios cruentato gladio frontem eorum contingere; alios lana lacte madefacta sanguinem detergere, ac ipsis adolescentibus dum hæc aguntur ridendum esse. In compitalibus qui Laribus celebrantur, laneæ effigies in compitis suspendebantur, quarum & Festus meminit, addens Lares putari hominum animas esse, & in numerum deorum redactas. Larum mater Mania vocabatur, à mane, si Varroni ineptienti credimus. Nos tamen à Luna deducimus, quæ nobis Man vocatur, & symbolum gerit cærimoniarum. Laneæ igitur effigies pro sospitate familiarum dabantur, vt iis videlicet figuris singulorum culpæ tantisper expiarentur, dum vera tandẽ & viua lana omnes homines siue omnes animas sospitaret. Virgilius ad priscam quandam fabulam alludit, quam ad Nicandrum fabularum scriptorem referunt:

Mania Larũ mater vnde nomen acceperit.

Man.

Muncre sic niueo lanæ (si credere dignum est)
Pan deus Arcadiæ captam te Luna fefellit
In nemora alta vocans: nec tu aspernata vocantem.

Certè Pan ille magnus niueam lanam indutus, omnes cærimonias veteris legis ad se pertraxit, & omnes sic sibi accommodauit, vt amico fœdere & summa concordia vetus Lex, quæ Luna est, vitam à Pane susciperet, ac lubenter vocanti obtemperaret. Huc illud spectat quòd caprarum sanguis frontibus nostris adspersus, & fœtentes animæ maculas significans, lana lacte conspersa, id est, lana agni detergeretur. Eâdem de caussa lana Februa dicta est, quòd agni lana nos pecudes calore suo & ardenti amoris igne fotura esset, & ad vitam reuocatura. Bene certè Mania siue Luna Larum mater dicitur, quia animos cærimoniis detinet & figuris, & idcirco omni vera vita vacuos. Lar enim vacuum significat, & in terra locum illum qui numquam colitur aut seritur. Vetus enim lex inanis mansit & vacua, solis constans simulacris tantisper dum agnus ille venit qui dixit se venisse, non vt veterem legem solueret, sed vt eam compleret. Quòd si complenda fuit, antea inanis fuerit oportet. Rectè igitur Mania Larum mater fingitur, & recte pro Laribus laneæ effigies offerebantur, indices videlicet aliquando fore, vt inanes illæ figuræ complerentur, & acciperent vitam qua tum carebant. Sed sint sanè hæc obscuriora, & nimia ignorantiæ veteris caligine obuoluta: hoc saltem, quòd lanæ in summo apice sacerdotalis galeæ sollemni ritu perpetuò figerentur, nihil habet aut fabularum aut obscuritatis. Cùm enim Tutulus summam tutelam, Cyrbasia cærimoniarum vitam designet, & in huius insignis supremo apice lana figatur, quid aliud cogitare possumus, quàm totam vitam sacrorum rituum in eo consistere, si ad lanam tamquam supremum fastigium pertingant?

Lana cur Februa appellata.

Lar.

Larũ mater cur fingatur Mania, & cur eius laneæ effigies offerri consueuerint.

Lana in summo sacerdotalis Tutuli cuius rei symbolum habuerint.

Vidésne

Videſne hic ſatis apertè, vt aperta dici poſſunt oracula & arcani conſilij ſacramenta, agnũ Dei denotari, & præterea denotari, hunc agnũ non eſſe diuerſum ab ipſo ſupremo Vno, ad quod meta & apex noſtram deducit cogitationem? Quamobrem ſi Deum arripere velimus, arripiamus eum per pedes quibus in terram deſcendit, & quos permiſit lana ligari dum carnem indueret humanam. Lana itaque ſymbolum agni habebat; ad quem, vt ſummum apicem & vltimum omnis perfectionis finem, omnes cærimoniæ, omnes ritus, omnia ſacrificia tendebant, & ab hoc vno omnibus vita dabatur & ſolidum vitæ perennis alimentum. Hinc nomenclator lanæ illud nomen dedit quod omnem omnium votorum ſummam complecteretur. Wol enim quo lana nobis denotatur, à Wol verbo deriuatur, quod idem ſignificat quod Vellem: atque hinc non dubito quin Latini vt à Wol verbo Vellem fecerunt; ita à Wol nomine, Vellus fecerint: qua in voce ridiculi ſunt Grammatici, qui Vellus à vellendo dictum arbitrantur; digniſſimi ipſi ob tam ſocordem opinionem & præpoſterum iudicium, vt non tonderentur, ſed vellerentur. Nec ſaniora de lana dicunt, quam à laniando deriuant; quaſi idem ſit apud hos tam graues cenſores laniari atque tonderi. Permitto illis vt temporis ratione in etymologia negligant, ſed illud permittere quis poſſet, tam abſurdas ab hominibus eruditis & litteratis dici ſententias, vt nemo vmquam vpilio vel ſexcenteſimam dementiæ partem effutiuerit. Equidem crediderim lanæ vocabulum è priſca etiam lingua manaſſe, & ad ſalutis myſterium æquè ac Wol referri. Nam ſi poteſtatem litteræ pro El accipias, atque An addas, ſignifices Altiſſimi progreſſum; ceu diceres, Altiſſimi progreſſus laneus eſt: quod ad laneos Dei pedes non malè alludit. Altiſſimus enim ad lanam agni progreſſus eſt, qui eam ſibi induit; quod An etiam deſignat. Vtrumq. enim in An intelligimus, & progredi & indui. Sic dicimus Lutter an, pro eo qui parum bene veſtitus eſt. qua voce pro ſcommate ambiguo noſtrates vti memini in Hiſpanos tyrones primùm in has regiones expoſitos; quod inde ſalem accipiebat, quòd Luteran Luteri ſectatorem vocemus. Lan igitur ſignificabit altiſſimum ad lanam progredi, & ea indui. Quòd ſi vocem vertas, eodem modo L littera pro El accipiatur, vt ſit Na-el, id eſt propinquum altiſſimum. Siue igitur Wol dicas ſiue Lan, vtrouis modo ad agni myſterium ſignificatio pertinebit. Cùm igitur in ſupremo apice Wol videmus, non poſſumus non optando dicere, aut ſaltem cogitare, verbum Wol, id eſt, Vellem, puta ad lanam ſiue ad agnum adſpirare, & cum eo vitam pyramide ſignatam poſſidere. Ex his lucem accipit apicis nomen, quo id ſignificatur quod ſingulariter & legitima de cauſſa ſit arripiendum, ceu dicas, Si quid arripiendum, id propriè, vnicè, & ſummo iure arripiendum. Hap enim idem eſt quod arripio: Echt verò legitimum & ex ipſa natura ſingularem iuris ſui rationem ducens. Ex Hap-echt igitur apex, vt ex Merct fit merx. Primùm igitur nomen apex huic virgæ, & ratione eius toti Cyrbaſiæ cui infigitur, cõuenit: quo monemur nihil maius, nihil meliore iure, nihil maiore ratione arripiendum eſſe, quàm hanc lanam paruæ virgæ ſupernè obuolutam. Hæc, inquam, in ſummo apicis eſt, & idcirco ſingulariter, vnicè, præcipuè, & ſumma ratione arripienda. Diſpicienti mihi ecquid & apud Athenienſes memoriæ exſtiterit aut veſtigiorum huius myſterij, ſtatim occurrit εἰρεσιώνη, cuius Ariſtophanes in Pluto facit mentionem. Erat autem εἰρεσιώνη oliuæ ramus lanis implicitus, è quo panis & cotyla pendebat, quem ante fores figebant. Eo omnium rerum affluentia promittebatur, beato copiæ cornu effundenda: quod cùm ad agnum ex oraculis vetuſtis pertineret, indocta poſteritatis ſimplicitas ad præſentis vitæ commoditates applicabat. Vnde puer florenti ætate accinere ſolet: Ereſione fert ficos & pingues panes, & mel in cotyla, & oleum ad demulcendum, & calicem meracum ad inebriandum. Hic autem ramus quotannis nouus figebatur, vt perennis eſſet felicis ſæculi, quod virga lana obuoluta deſignabat, memoria. Panis & cotyla dependens ex Ereſione, quid aliud quàm vitæ cæleſtis alimentum denotabat, quod agnus erat ſuppeditaturus? Etymologiarum ſcriptor Græcum lanæ nomen ἔριον nihilo felicius ad originem vocare conatur, quàm vellus & lanam Latini; cuius verba, cùm ſint prorſus à lanis aliena, non dignabor referre. Quid enim abſurdius quàm lanæ nomen vel à vere, quaſi flos eſſet, vel à pereundo deriuare? Nobis clara nominis ratio eſt. Nam Ert-ion idem eſt ac ſi dicas honoris fauor. Quid? An aliquid dici potuit quod magis in lanam agni quadraret? *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*; ecce qui nos

Wol.

Velleris etymon.

Lanæ nomenclatura.

El.

An.

Apicis etymon.

Hap.

Echt.

Ereſione & cuius rei teſſera.

Ἐρίου nomenclatura.

patri

patri reconciliat; ecce qui nos regni cæleſtis facit cohæredes; ecce qui nos vt filios Dei ſempiterna gloria coronat. Cedo, eſt aliquis maior fauor honoris? Eſt aut fauor omnino vllus maior, aut honor ſublimior & illuſtrior? Quòd ſi non ſit, vt eſſe non poteſt, optimum nomen & fauſtiſſimum lanæ dedit, qui eam Eer—ſon vocauit; ex qua voce noſtrati ἔριον Græci retinuerunt. Et hæc de lana ſint indicata; quæ vellem equidem, vt Wol ipſius nomen iubet, à quopiam pleniùs & eloquentius exponi; quod non dubito quin multi præſtituri ſint, vbi hos myſteriorum fontes de noſtra Mercuriali manu agnouerint. Pergamus modò & conſideremus cur hæc lana virgæ fuerit obuoluta. Virga ſceptri habet indicium, vti lituus pedi. Eſt autem in ſceptro paterna correctio, vti & in virga. Agnus enim hic Rex erat futurus, non in hoc quidem mundo, ſed in ea vita quæ per metam, ſuper qua virga ſtat, denotatur; id eſt, in vita regni cæleſtis. Multa è ſacris litteris de virga diſſerendi ſuppetunt argumenta, & variæ eius conſiderationes & vſus. Quis mirificam & portentoſam virgæ Moſaicæ ignorat poteſtatem? quis virgam Aaron in arca fœderis conſeruatam? Quis non crebrò virgam Domini audiuit, & eam nonnumquam ferream? Nimis prolixa fieret oratio, ſi quæ de virga dici poſſunt, conquirerem, & exponere molirer: ac ſi id facerem, me fortaſſe virgis flagellandum propinarem. His igitur ad Theologos, quorum propria ſunt, relegatis, nos virgæ nomen, quo noſtrates vtuntur, expendamus. Virgilius Gallos in Æneæ clypeo depingens ſic canit:

Virga & ſceptrum paterna correctionis ſymbola.

Virga in ſacris litteris.

Galli per dumos aderant, arcémque tenebant
Defenſi tenebris & dono noctis opacæ;
Aurea cæſaries ollis atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. &c.

Adhæc Seruius ſcribens, virgata ſagula vocat quæ habebant in virgarum modum deductas vias: Addit deinde bene Virgilium alluſiſſe ad linguam Gallicam, per quam virga purpura dicitur; atque ita virgata dici quaſi purpurata. Qui hunc Seruij locum explanare potuerit, hactenus audiui neminem. Mihi, qui ſciam Gallicum ſermonem eundem fuiſſe cum noſtrati, quod Gallica noſtra demonſtrant, nihil ad explicandum facilius. Exoſculor interim Seruij diligentiam, hoc loco, neſcio qui ſolito curioſiorem. Virgam Gallico ſermone purpuram ait vocari. Roi enim vtrumque ſignificat, virgam & colorem purpureum. Roiverw namque rubrum colorem vocamus, quo purpureus color eſt comprehenſus, vti ſub genere forma. Laudato itaque Seruio, cuius teſtificatione linguæ noſtræ vetuſtas tanta cognoſcitur, quanta eſt Gallicæ linguæ, videamus quid mouerit nomenclatorem, vt virgam & rubrum eodem nomine vocaret. Num fortaſſe nullas virgas nouerat præter eas quas Betula daret? Nouerat certè: & ceteroquin in re tam leui tantæ ſuæ induſtriæ impenſam minimè feciſſet, vt conſtaret ſcilicet Betuleas virgas rubere. Altiùs ille ſemper ad apicem contendebat, nec in minutis hiſce figebat pedem. Sed quid nos de nomenclatoris ingenio diſputamus, cùm certò ſciamus id genus voces, quæ ad humanæ ſalutis vaticinia ſpectant, ſolo ſolius Spiritus ſancti inſtinctu factas eſſe? Cùm ergo ſymbolica hæc virga in Pontificis conoide tiara conſtituta hominibus maximè conſideranda eſſet, illud virgæ nomen factum eſt quod huic virgæ maximè conueniret. Quamuis enim hæc exigua virgula ſceptrum regni cæleſtis ſignificaret, illud tamen habuit præcipuum & peculiare, quòd purpureum eſſet. Totum enim regnum agni & omnis eius poteſtas ſceptro deſignata, ſanguine ipſiuſmet agni erat imbuenda atque ſtabilienda. Omnes enim qui ſub ſceptro eius viuunt, per ſanguinem ipſius vitam acceperunt. Totum enim hoc nouum ſuum fœdus, & nouum teſtamentum ſanguine ſuo agnus ſanciuit. Ipſe enim met hæc ſui teſtamenti verba concepit & dictauit, Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Videmus ergo ſceptrum agni totum ſanguine perfuſum, atque hoc ipſo regnum eius conſtitutum atque fundatum. Quamobrem rectiſſimè quadrat in Chriſti regnum, vt virga, ſceptri index, eodem nomine vocetur, quo ſanguineus color, citra quem virga nullam haberet poteſtatem. Virga igitur apicem conſtituens, nobis Roi roi/ id eſt purpurea virga vocaretur; tametſi nos nonnihil in his vocibus adhibeamus diſtinctionis, in ſono potius quàm in ſcriptura animaduertendæ.

Virgata ſagula.

Seruij in Virgilium locus illuſtratus.

Roi.

Roiverw.

Virga in pontificis conoide quid ſignificarit.

Roi roi.

tendæ. Quid verò potiùs purpureo colore designandum, quàm illud ad quod omnis victimarum sanguis in vetere testamento referebatur? Omnia enim sacrificia sanguinolenta ad agnum sacrificandum, vt sanguine suo sibi sceptri potestatem vindicaturum sempiternam, referebantur; non ab Abrahami modò tempore, sed ab ipso vsque Adamo primo nostro parente. Verùm licet hoc mysterium non inuenias in alia lingua ad hunc modum consignatum, vt eodem nomine sceptrum & purpura denotetur; clara tamen sunt & luculenta de hac virga apud Hebræos oracula; & inter illa hoc Iesaiæ: *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iessæ, & flos de radice eius adscendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis.* Hæc ille & plura. De eadem virga Hieremias: *In diebus illis & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium & iustitiam in terra, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Sed frustra in re notissima colligerem testimonia; *& in ore duorum stabit omne verbum.* Sint igitur hæc duo instar omnium. Apud vetustos Romanos cùm Rex idem & summus adhuc Pontifex esset, nullus fuit alius qui sacrificiorum Rex vocaretur: verùm exactis Regibus cùm animaduersum esset quædam sacrificia propria Regum esse, Regem sacrorum crearunt, siue Regem sacrificulum; cuius vxor Regina sacrorum diceretur. Hoc vt moneam, hinc adeò mihi in mentem venit: Legimus Reginæ sacrorum hoc peculiare fuisse, vt infulæ loco in sacris virga mali granati vteretur. Hanc sanè virgam purpuream qui nuncuparit, & nostra lingua ῥοΐτοι, non video quid sit peccaturus, aut dicturus quod non ipsa virga demõstret. Nam si colorem spectes, rubra virga est: & si Dialectico more loquendum sit, ruborem habet non suum modò quem videmus, sed alterum etiam multo maiorem; quem non actu habet, sed potentia, cuius effectus in fructu clarè cernitur. A si nomen virgæ quæras, quî poteris magis propriè eam nuncupare, quàm si Puniceam virgam dicas, ab arbore punica nomine sumto, quo ipsa virgæ forma & tota essentia denotatur? Iam punicea virga, rubra virga intelligitur. Quis enim color puniceus sit, Virgilius declarat canens:

Punicèis humilis quantum Saliunca rosetis,
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

Qui Spadicem quem Virgilius in equis probat, eundem cum Phœniceo & Puniceo arbitrantur, à veritate longè discedunt; decepti videlicet hinc Græco palmæ nomine; hinc Plinij auctoritate, qui Phœniceum & purpureum distinxit colorem, florem vicesimo tertio vicesimi primi libri capite describens. Quod ad arborem Phœnicem & eius spadicem attinet, stultum fuit sinere se homonymia decipi; maximè cùm nusquam legant spadicem colorem Phœniceum vocari: & profectò egregiè risissem Virgilius, si Phœniceos equos ab ipso demonstrari tibi postulasses. Quid? an non Phœnicopterus auis nomine suo & rubris pennis satis ostendit quis sit color Phœniceus apud Græcos? Verùm cùm purpureum colorem à rubro differre dicimus, Phœnicei coloris nomen pro certa forma rubri coloris accipimus, qui nimirum in granatis interius spectatur. Plinius amethystinum & violaceum colorem propriè purpureum dici demonstrat; licet & hoc nomen ad quemuis rubrum colorem diuagetur. Differunt igitur Purpureus & Phœniceus vti carbunculus siue rubinus vulgo vocatus & laudatissimus amethystus; siue vt rosa & viola. Qua de re liquet plurimùm eos aberrare qui Phœniceum colorem non solùm cum purpureo confundunt, sed inde etiam rubrum colorem dici scribunt, quia purpura primùm in Phœnicia sit inuenta. Phœnicia regio à Græcis nomen non accepit, sed ab ea gente quæ prima eam habitauit, cuius lingua à deliciis nuncupatur. At cùm Phœniceum colorem dicimus, Græca voce vtimur, cuius origo à φονὸς petenda est: φοινίκεον ergo quasi φοινικὸν ἐὸν dicetur; id est, ad cædem pertinens. Erat enim ruber color in militia prœlij signum: quod in Cæsaris commentariis apertè cernas; tametsi stolidum sit cuiuspiam auctoritate in ea re niti, quam ipsa ratio & natura demonstrat. Quis barbarum illum regem è Sogdiana & Bactris egressum, quem Tamberlanen vulgus appellat, docuit rubri coloris significationem? Eadem nempe quæ Græcos cædis natura; quæ cùm sanguinis rubri effusione fiat, non alio colore melius quàm rubro potest denotari. Latini è φοινίκεον, Puniceum fecerunt pro eodem prorsus colore. Ac quemadmodum Phœniceus color à Phœnicia nomen non accepit; ita nec

Sacrificia sanguinolenta quò spectarint.

Rex sacrorũ apud Romanos.

Regina sacrorum, virgæ mali granati, infulæ loco, vtebatur.

Puniceus color quis.

Spadicem colorem à puniceo distinguit.

Phœnicopterus auis.

Purpurei colorũ & Phœnicei distinctio.

Phœnicei, dũ colori tribuitur, etymon.

Ruber color in militia prœlij signũ.

Punicũ malum nõ à Pœnus nomẽ accepiſſe, ſed à colore.

Punicum malum à Pœnis, vti Latini Grammatici ſomniarunt. Immò vt Puniceus à Phœniceo; ita Punicus color à voce φοινικὸς nominatur. Neque enim φοινίκεος tantùm, ſed φοινικὸς etiam, & priùs quidem color hic vocabatur, vt in φοινικίδι, quo vocabulo purpureus pannus dicitur, & in φοινικόπτερος apertum eſt. Sicut igitur apud priſcos Latinos cotonea mala, aurea à colore; ita mala granata, mala Punica à rubore dicebantur. Summotis his Grammaticorum ineptiis, per quas vt ſtolidiſſimè nominum ſibi rationes comminiſcuntur; ita veritatis ſtudioſis maxima obiiciunt impedimenta, ad virgam noſtram reuertamur. Eam ſiue noſtro ſermone ῥοὶ τοί, ſiue Latino puniceam virgam dicas, idem dixeris. Quo fit, vt virga Punicea ex arbore punica decerpta, & infulæ loco à ſacrorum Regina vſurpata, magni myſterij ſignificationem habuiſſe videatur · quam licet clariſſimè cernam, vix tamen auſim pronuntiare. Statutũ eſt in primo poſt lapſum hominis fœdere, draconis caput à ſemine mulieris conculcatum iri. Quòd ſi ſemen illud ſignare velis, non queas melius ſignare, quàm rubro ſemine illius pomi, quod à copioſis granis granati habet nomen. Nam hoc colore adiecto qui cædis habet notationem, cognoſcitur conculcandum ſerpentem à ſemine rubente; & id non alterius, ſed ſuo ipſius colore. Hæc autem ſeminis poteſtas per virgam denotabatur, id eſt, per ſceptrum, & talem virgam qualem & noſtra lingua & Latina depingit. Ceterùm in his ſymbolis nulla adhuc mulieris mentio. Acceſſit igitur ceteris ritibus & hic quem dico; vt nimirum mulier hanc virgam infulæ loco ferret, quo intelligeretur hanc virgam è muliere naſcituram. Quomodo verò naſcituram? Nempe eo modo quem infula & curuatura virgæ in arcus modum ſuper capite deſignat. Virga enim in arcus modum inflexa, caput veluti ſemicirculus ornabat; quo modo Diuos nunc pingi videmus, in quorum occipite lucis cuiuſdam ſplendorem circuli portio terminat. Hinc virgula Inarculum vocabatur, quia nimirum intenti arcus modo caput ambiret. Virga itaque infulæ locum habens, & ob id ſacra, ad arcus modum ſiue circuli caput alte deſuper circumdans, quid aliud ſignat quàm ſacram inumbrationem diuinæ poteſtatis? Agnoſcíſne nunc illud angelicum, *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi?* Et qua virtute, & per quam virgam ſiue ſceptrum deſignata? Nempe virga quæ maximè pollet ſeminis copia quam in pomo ſuo alere videtur. Quam verò obumbrat mulierem? Quam? ipſam Reginam ſacrorum, è qua Rex omnium ſacrorum erat naſciturus. Ceterùm vt hæc ſatis ſunt perſpicua, iis præſertim quorum oculos peruicax contradicendi ſtudium non occludit; ita clariora fient, ſi addamus quid Infula deſignet, cuius loco Inarculum in Regina ſacrorum ponebatur. Quòd ſi Varronem hîc Latini ſermonis coryphæum interroges, Infulam ab intra dici contendet; eo quòd velamenta eſſent è lana intra hoſtiarum cornua poni conſueta. Reliqui omnes hîc conticeſcunt. Nec malo ſanè iure, cùm in voce tam apud Romanos frequentata nihil probabilis rationis inuenirent. Feſtus Infulas ſic deſcribit, vt flamenta lanea eſſe dicat; quibus ſacerdotes & hoſtiæ templaque velabantur: verùm quid cauſſæ ſit vt ita dicátur, nullus adiecit. Nobis ergo citra omnem dubitationẽ dicendum videtur, hanc quoq. vocem vnam eſſe de priſcis illis quas ferè integras Romani à Cimmeriis vetuſtis retinuerunt. Oportet ſanè rem maximi momenti in ſacris fuiſſe, cùm ea omnia quæ Deo conſecrata eſſent, infulis ornarentur. Sed quid multis te morer? Ipſa veritas vltrò mihi obuiam fertur, nec ſinit ſeſe diutius celari. Dixi paullo priùs, omnia ſacrificia vana & inania fuiſſe, niſi ad vnum ſacrificium agni referrentur, atque ab eo acciperent ſupplementum. Omnium enim rituum, omnium cærimoniarum, omnium victimarum plenitudo ab vna hoſtia pendebat, quam lana dixi denotari. In primis igitur illud bene habet, quòd veterum confeſſione infulæ laneæ fuerint. Verùm quamdiu figura dumtaxat ac ſimulacra veræ hoſtiæ offerebantur, nulla erat ſacrificiorum plenitudo, ſed vmbratilis dumtaxat ac veluti ſcenica oſtentatio; quæ tota vana erat, niſi ad illud referretur ſacrificiũ quod poſt ſecuturũ theatrico ſuo apparatu denotabat. Quoniam igitur omnium ſacrorũ plenitudo poſt ſecutura exſpectabatur, nomẽ inuentũ eſt à primis pontificibus quo id ſignificaretur. Hin idem eſt quod poſt. Allemani & pleriq. noſtrates cõparatiuo ferè vtuntur, hinder pro hin dicentes. Ratio nominis eſt in eo, quòd en & ent finis ſit. Quod enim ad finem propiùs adſpirat, id poſterius eſt in rebus exſequendis. Hin igitur id quod futurum eſt ſignificat, quod hin fur, id eſt, poſt hæc ad vlteriora pergendo, quidam compoſitè dicunt.

Virga punicea Regina ſacrorũ quid ſymbolicè ſignificarit.

Inarculum Reginæ ſacrorum.

Infula quid, & vnde nomen acceperit.

Infula etymon.

Hin.
Hinder.
En.
Ent.

cunt. Ful autem idem est quod impleo; vnde fol plenum: quod conuersum lof facit. Hinful igitur, & reiecta compositionis leuioris caussa adspiratione, Inful idem est quod pòst secuturum complementum. Dic nunc, quæso, quisquis es tardior ad priscæ linguæ veritatem agnoscendum; dic, inquam, quid hîc à me longè quæsitum, quid immutatum, quid obscurum? Rursus ex altera parte rem ipsam intuere: Vide omnia sacra insula ornari; & qua, rogo, infula? Nonne lanea? Quid ergo vlteriùs hæremus, & non clarè & disertè profitemur, hac lanea infula agnum denotari, cuius lanæ omnia sacra tum erant completuræ, & iam ante mille quingentos & plus eo annos compleuerunt? Quid nunc dices de Inarculo puniceo? An non clarè cernimus, hac virga potestatem eam notari, & potestatis exsequendæ modum, quo infula ex lana agni omnium sacrorum complementum absolutura esset? Antiquissimum autem infulæ fuisse symbolum apud vetustissimos Ianigenas, non è Romanis tantùm, sed ex Ægyptiis etiam conuincitur monumentis; in quibus hæc lanea flamenta, vt cum Festo loquar, creberrima cernuntur. Quis Romæ Sphinges Ægyptias vidit, & infulas in iis non animaduertit? Nolo illud hîc annotare, infulsic componi, vt in ful proxima sit allusio ad wol siue wul (nam vtroubis modo loquimur) & sic in complemento allusionem esse ad Lanam, per quam complementum erat futurum. Iam wol etiam sic dici, vt quamuis votum significet, ad ful tamen sic accedat, vt ab eo possit natum videri. Mirandus hic est nomenclatoris lusus, quo non possum nõ vehementissimè delectari. Verùm alia aliorũ est voluptas. Occurrit hîc aliud dubium de infula, cur videlicet semper sic fiat, vt vel funiculus vel fascia videatur ad vinciendum comparata? Et quo magis vinculum credas, taurorum cornibus iniicitur, ceu caput alligatura. Non leuis hæc est aut contemnenda quæstio. Legimus in sacris litteris, Deum pactum & fœdus cum animalibus, & maximè cum homine iniisse, quo sanciretur numquam terras iterum diluuio vastatum iri; & eius fœderis signum Iridem nos habere. Idem rursus cum Abrahamo & eius posteris fœdus percussit, cuius tam frequens & assidua in Mose & prophetis mentio, vt superuacaneum sit vel vnum recitare exemplum. Quid? an non Mosis volumen, quo testamenti veteris pacta describit, vocatur ab Hebræis ספר הברית, id est, liber fœderis, quia nimirum continet Dei promissa erga populum, & promissa populi erga Deum? Repetiuit autem Deus huius pacti mentionem cùm aliàs frequentissimè, tum Exodi cap. decimo nono, in quo hæc legimus verba: *Moses autem adscendit ad Deum, vocauitque eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Iacob & annuntiabis filiis Israël. Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis; quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam & custodieritis pactum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israël. Venit Moses, & conuocatis maioribus natu populi exposuit omnes sermones quos mandauerat Dominus. Respondit q; omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus.* Hæc illo loco. Post Mosem Iosue idem fœdus renouauit in Sichem sub quercu, & lapideum titulum prægrandem posuit ad eius memoriam perennandam. Quicquid autem calamitatum Israëlitico populo accidit, ad eam caussam perpetuò in scripturis refertur, quòd fœdifragi fuerint, nec steterint suo pacto. Sic Hieremias de ciuitate euersa: *Et pertransibunt gentes multæ per ciuitatem hanc, & dicet vnusquisque proximo suo: Quare fecit Dominus sic ciuitati huic grandi? Et respondebunt: Eo quòd reliquerint pactum Domini Dei sui.* Verùm quia hoc fœdus cum Abrahamo primùm ictum legimus, cuius rupti crimen perpetuò Iudæis obiicitur, rogare meritò quis possit, An nullum ante Abrahamum Deus peculiare cum homine fœdus iunxerit. Nam illud post diluuium cum omnibus animalibus initum videmus vniuersim. Iunxit certè multò antè fœdus insigne cum ipso Adamo in Paradiso, cuius Oseas sic meminit: *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum.* Illud fœdus Draconis fraude ruptum, genus humanum perpetuo exilio à Paradiso eiecit, & nos omnes peccato, miseriis & morti reddidit obnoxios. Rupto igitur primo fœdere, Deus immensa sua bonitate & clementia vltrò se altero fœdere obligauit, quo promisit fore vt semen mulieris caput Draconis conculcaret. Huic autem pacto non dubium est quin reciprocam hominis promissionem adiunxerit: quæ quamuis eodem loco non est expressa, mox tamen inde satis indicatur. Dominus enim Cain fratri suo iratum & inui-

Ful. Fol. Lof.

wul.

Infula cur fascia siue funiculus ad vinciendũ cõparatus videatur.

Fœdus Dei cum homine.

Fœdus Dei cũ Abraham.

Fœdus Dei cum Adamo in Paradiso.

dentem sic compellat: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nónne si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Hîc cernis pactum cum toto genere humano post lapsum Adæ à Deo initum fuisse, quo omnes æquè nationes obligatæ fuerunt. Ceterùm non est huius loci hoc fœdus vtrimque latè explicare. Satis sit Deum homini post primum peccatum voluntatis libertatem reliquisse, vt quamuis procliuis ad malum propenderet, posset tamen prauam cupiditatem recta ratione gubernare & continere; atque idcirco omnes mortales Deo esse obligatos vt rectam rationem in omnibus sequantur, & eam sequendo exspectent illius promissi quod de mulieris semine acceperant, complementum. Verùm quia corrupta hominis natura crebrò rationem in præcipitium tractura erat, & fœdus hoc in mentis nostræ tabulis scriptum, quoad eius nostras partes tangit, turpissimè ruptura; Deus iam inde ab initio restaurationem quandam & innouationem fœderis hominibus demõstrauit per pœnitentiam & sacrificium. Sacrificium tamen priùs institutum est ipsi Adamo ad figuram illius sacrificij quo primum fœdus in paradiso ruptum erat rursus instaurandum: & quia id generatim ad omnem peccatorum labem tollendam spectabat, figura eius ad quamuis etiam reconciliationem est applicata. In sacrificio igitur omni, fœderis primi restauratio & in integrum restitutio primùm spectatur; ac deinde alterius fœderis instauratio vti annexa succedit. Cùm igitur omne fœdus vinculum sit quo duo inter se certis promissis mutuis ligantur; & omnia sacra ad fœderis integritatem vti ad finem tendant, optimè institutum est, vt omnia sacra vinculo coronentur, ceu vltimo votorum fine. Sed quia Spiritus sancti instinctu reuelatum erat, vinculum non posse in integrum restitui, nisi per agnum; placuit vt laneum vinculum fieret, quo tamquam simulacro illa coniunctio & copula denotaretur, quam laniger agnus suo sanguine inter Deum & hominem erat sancturus & confirmaturus in æternum. Habemus itaque nunc qua de caussa infula sic facta semper fuerit, vt apta esset ad vinciendum. Nobis, quæ de fœdere diximus, multo significantiùs vernaculo sermone exponuntur, qui fœdus bont vocat à ligando. Bont enim, si vt verbum accipiatur, idem est ac si dicas, ligabam, siue vinciebam: quo fit, vt infulæ vsus mox intelligatur ad fœderis spectare coniunctionem ac copulam. Ex his modò aliò deducimur. Cùm enim bont fœdus significet, atque omnes humanæ culpæ violato fœderi imputentur, nec illud semel scelere nostro conspurcatum mundari possit nisi per sacrificium; sacrificium verò mundum requirat sacerdotem; mundus verò sacerdos nullus inter mortales inueniri possit, exspectandus erat sacerdos nouus de cælo. At interim dum ille exspectatur, quædam veri sacrificij figura & veri sacerdotis simulacrum erat inueniendum, quorum inspectione ad futurum illud homines excitarentur. Deligendus ergo ad sacerdotium is, qui quàm purissimæ inter homines vitæ esset, ac quàm fieri posset proximè veri sacerdotis imaginem quandam haberet. Et quia verus sacerdos & verus sacrorum Rex fœdus inter hominem & Deum ictum totum erat emundaturus ab omnibus maculis, quibus culpa nostra esset conspurcatum, nomen illud summo sacerdoti factum est, quod hanc fœderis expurgandi rationem clarè contineret. Quod verò illud est vocabulum? Nempe quod omnibus Latinè loquentibus ab omni memoria in ore fuit, nec à quoquam hactenus mortalium, cuius modò memoria exstet, ad rectam rationem potuit vocari. Quis nescit Pontificis nomen? quis nescit quot viri eruditi in etymologia eius quærenda olim se fatigarint? Plerique omnes γεφυροποιὸν fecerunt, id est, pontis fabrum, & commentum frigidissimum ad Sublicium pontem applicarunt; ipso ponte, licet ligneo, repugnante. Scæuola cernens nihil sani in hac esse interpretatione, à posse & facere nomen deriuauit, quasi Pontifex potens esset ad faciendum. Verùm hoc rursus friuolum; & tale, vt nemini ferè probetur. Quid agerent? Voces è vetusta lingua relictas ad notas sibi origines redigere moliti, ridiculos se præbebant: & dum ineptas nugas confingebant, malè de maiorum ingenio merebantur; quasi scilicet illi tam rudes fuissent, vt qua voce summus sacerdos dici deberet, ignorauerint. Pontifex igitur vocabulum nostras est, ad Latinam terminationem eodem modo quo Apex & id genus alia accommodatum. Neque vlla hîc litteræ mutatio accidit, præterquam quòd è media tenuis littera facta sit, quod ipsa soni suauitas pæne facere coëgit. Quis enim non lubentiùs audiat Pontifex, quàm Bontifex? Nec rarum

Sacrificiorum prima origo, & quid in eis primùm spectandum.

Fœderis definitio.

Bont.

Pontificis nomenclatura ratio.

est Ro-

est Romanis, vt è B nostro P faciant. Sic è Bar faciunt Pario & Pareo, è Bet Peto, & alia suo loco explicanda. Ne miremur ergo è Bont/quo fœdus notatur, Pont factum esse. Integra compositio nostras Bont-fegt est, quæ significat fœdus mundat & expurgat. Fegidem est quod mundo & purum reddo. vnde Gef conuersum, nobis significat eum qui omnino mundus est, dum vt nomen vsurpatur: Verùm dum verbum est, idem significat quod dono; qua conuersione ichnæa nomenclator indicauit, nullam nobis munditiem contingere posse, nisi donetur: & rursus summum eorum quæ dari nobis petere debemus, esse vt mundemur. Quoties igitur dicimus Gef/ de illo cogitandum à quo omne donum procedit, & illum sic rogare, Gef/ id est, dona; ac per conuersionem vocem relegendo addere confestim, Feg/ id est, depurga. Quis tam hebes est, vt hæc non admiretur? Quis non videt tribus litteris totum salutis humanæ mysterium expressum? Docemur enim in potestate nostra non esse vt mundemur, sed id nobis è dono tantùm contingere: docemur item primum donum, quod à Deo petere debemus, esse vt expurgemur. Nunc igitur Bont-fegt idem fuerit ac si dicas, fœderis expurgator: vnde Pontifex. Dum enim Latini voces apud nos in Ct & Gt & Cht exeuntes ad suam linguam quadrare volunt, primum Tau mutant, ac deinde è duabus litteris duplicem formant. At hoc iam nimis frequenter inculco, dum nihil scrupuli relictum volo, quo quisquam vel leuiter commoueri posset. Accipiant igitur nunc tandem Latini veram Pontificij nominis interpretationem. pro qua non aliud mihi reponi cupio, quam vt summum Pontificem feruidis precibus vnà rogemus, vt in nobis fœderis toties violati & rupti maculas expurgare dignetur, pro eo atque Pontificis nomen pollicetur. Pontifex igitur faustissimum nomen est, quoniam & fœdus & eius purgationem complectitur; quibus rebus tota hominis salus continetur & absoluitur. Quod cùm ita sit, videmus Infulam rectissimè vinculi formam habuisse, & præterea è lana constitisse, quo videlicet ea & fœdus, & fœderis rupti redintegratio ostenderetur. Primùm enim ad fœdus iungendum vtilis erat aut funiculus aut fascia; deinde ad ruptum diuulsumque nihil rursus vinculo magis necessarium. At quia solus agnus ruptum fœdus inter hominem & Deum potuit resarcire, vt fascia è lana constaret oportebat. Porrò sicut fascia ad deuinciendum comparata erat; ita virga lana superne obuoluta, idonea erat ad vulnus & omne rupti fœderis labum extergendum atque mundandum. Quis enim in exigua virga, cuius summo lana est obuoluta, non confestim agnoscit peniculum medicorum, quo vulnera & quæuis sordida vlcera mundantur & deterguntur? Medici fortasse conceptis linteolis vel spongiolis vterentur: at rupti fœderis hulcus lanam postulat. Videmus ergo tandem virgam tutulo impositam, non potentiam modò & sceptrum lana obuolutum mitissimi, mollissimi, & pacifici regni symbolum nobis denotare, sed medici etiam vulneratij peniculum repræsentare; atque ita secundam in Pontificis nomine syllabam, quæ mundandi extergendique notationem habet, ob oculos ponere. Totum itaque Pontificis nomen infula & apice Cyrbasiæ siue tutuli depingi videmus. Cùm igitur metam inter infulas inferius dependentes, vt iis fiat alligatio, & penicillum quo sanies & sordes hulcerum expurgantur, cernimus; quid, rogo, aliud cogitare possumus, quàm veram vitam & omnem vitæ salutem & felicitatem purgatione & alligatione contineri perficique? Quid alij hîc videant nescio, mihi certe tam crassæ lemæ necdum oculos obturarunt, vt non videam in hoc symbolo perfectam vitam hinc fasciis, hinc peniculo opus habere; & iis non quibusuis & è quauis materia, sed è lana mundissima, quam solus dare potest agnus immaculatus. Hæc lana illa est niuea, qua Pan verus reconciliator, quem Panis nomen designat, Lunam, id est, omnem figuratam & symbolicam sacrificiorum & rituum scenam ad se pertraxit, & æterno sibi fœdere sociauit. Tutulus ergo siue Cyrbasia laneis infulis & peniculo lanis obuoluto insignis, totum sacrificij & Pontificis fructum complectitur & exponit; & idcirco totam humanæ vitæ salutem tuetur. Quamobrem verissimè & elegantissimè D. Paullus galeam salutis Pontificis Tiaram vocauit; tametsi significatione eius dumtaxat vsus sit, dum nomen hoc expressit, nulla facta vel Cidaris vel Pontificis mentione. Nunc igitur tandem felicissimo Mercurialis manus ductu eò peruenimus, vt summam hominis tutelam in Pontificio apice consistere videamus; cui si Lamet nomen litteræ conferamus, statim videbimus Lamet adamussim hunc apicem denotare. Cùm enim Lamet

B Cimbricum sæpe in P transit apud Latinos.

Feg. Gef.

Infula cur lanea.

Virga in suprema Pontificis conoide quare lana obuoluta.

Pan qua lana Lunam ad se pertraxerit.

Galea salutis.

caput sit omnis defensionis, primariam significat defensionem. Deinde quia lam à lam/ id est, ab agno se dicat defensionis rationem trahere, quid aliud erit Lamet, quàm caput defensionis agninæ? Vt igitur summam tutelam & principem omnium defensionum ab agno nobis concessam spectabili aliquo exprimas simulacro, quid, rogo, aptius reperire queas, tametsi omnes Apelles consulas, quàm si Tutulum cum infulis laneis & peniculo laneo pingas? Sic enim in lana agnum designabis, & in galea siue Cyrbasia capitis defensionem, quæ meritò princeps dicitur defensionum. Optarem, vt omnes eadem hîc qua ego voluptate perfunderentur, de tam admirabili vocis Lamet & Pontificij pilei consensione. Sed hoc votum, vt cetera omnia, in eius est potestate, qui lanam, id est, Wol/ votorum humani generis absoluendorum caussa, sibi pro symbolo sumsit. Dum igitur Wol dico, quod est Vellem, votum meum in eius colloco potestate, qui per Wol/ id est, per lanam denotatur. Lanam autem omnia vota non explere solùm, sed cumulatè etiam explete posse, duplex W designat. Cùm enim Vol plenum significet, Wol bis plenum notabit; adeò vt Wol/ id est, lana, cumulatam habeat plenitudinis significationem. Sed rursus me abripi sentio ad mysteriorum abyssos; in quibus cùm nullus finis inueniretur, ipse mihi finem faciam, & abrumpam potiùs orationem, quàm res abeat ad infinitatem. Quid enim est in toto veteris fœderis volumine, quid in omnibus noui & æterni fœderis, quod agnus sanguine suo sanxit, libris, quod non in Lamet & eius figura indicetur, & symbolicôs tum in nomine, tum in effigie reperiatur? Proposueram equidem longè accuratiùs in his versari, & multo plus temporis & operæ in iis ponere; verùm importunæ quædam molestiæ & necessitas inexpugnabilis cursum suauissimi studij abrupit: & quæ maturare cogitaueram ac legitimo tempore parere, coëgit abortire. Statueram inter alia præsentis temporis ritum in Pontificum ornamentis cum vetustis conferre; verùm ineuitabilis importunitas quædam, non dico cuius, dulcissimum otium turbauit, & me intra domum meam à museo coëgit exulare, & tempus, cuius alioqui magnis premor angustiis, consumere; aut, vt verius dicam, perdere, in rebus à stomacho meo alienissimis, vt verear ne antè crepem quàm omnes deuorauero. Omissis igitur ceteris, quando ita cogor, hoc tantùm obiter addam, plurima adhuc vestigia veteris Tutuli hac ætate cùm apud nos, tum apud alios exstare. Nos pro Tutulo nunc Theut dicimus, quasi Het he hut / id est, illud quod altum siue caput tuetur: & quia id cornu similitudinem habet, factum est vt cornu Theut vel Theuthorn vocetur; & cornu inflare, Theuten. Sed vt olim flamines apices suos non lubenter ferebant, ita hodie videmus euenire. Doctores enim Louanij Tutuli simulacrum ex humeris potiùs suspendunt, quàm verum Tutulum siue pyramidale pileum in capite portent: & id quod Tutuli loco ferunt, Theut siue Theot vocant, tametsi nullam aliquando habeat Tutuli effigiem. Vtuntur eodem ornamento & alij sub eadem nomenclatura. Franci à similitudine cornu hoc ipsum quod in collo ferunt Cornet vocant, licet nunc nihil habeat vel cum cornu vel cum cyrbasia commune præter inane nomen. Canonici nostrates qui primæ classis sunt sacerdotes, loco pilei cum infulis laneis è sinistro cubito pelles suspendunt, per pelles lanam denotantes; in quarum summo pileum est, quod dum capiti imponitur, non vnum cornu, sed duo monstrat; hac parte degenerans. Loco autem lanearum infularum pelles in dorso pendent vltra cingulum, pro fimbriis pellium caudas habentes, quibus infularum fines denotantur. Hoc ornamento apud nos rarò in capite vtuntur, nisi insignis aliqua sit occasio. Nuncupant id nostrates Canonici Almusiam: quam vocem quidam non intelligentes ad eleemosynam detorserunt, dicentes hunc saccum esse mendicitatis indicem. Verùm id falsum esse, pelles & fimbriarum ornatus, & ipse denique vsus coarguit. Equidem vocabulum agnosco & veneror: Almuts enim idem nobis est quod antiquum pileum: è quo intelligimus, olim primarios sacerdotes pileis pellitis more Gotorum veterum & Germanorum huius temporis vsos fuisse, sed maioribus, & in dorso longam appendicem infularum loco demittentibus; quod caudæ fimbriarum clarè demonstrant. Idem ornamentum alio nomine Beffam dicunt: quæ vox ab Italis Gotizantibus hactenus etiam est retenta. Ex hoc verò nomine apertissimè liquet, Almusiam Canonicis fuisse id quod Theut/ Theot/ siue vetusto nomine Tutulus doctoribus & aliis inferioris ordinis hominibus. Perquiramus igitur quid Bef significet. Latini certè & Græci hanc vocem non agnoscent.

Vol.

Theut. Theuthorn. Theuten.

Almusia Canonicorum.

Almuts.

Beffa.

Bef.

agnoscent. Mihi pro mediocri vernaculæ nostræ linguæ, quàm mihi studio meo peperi, intelligentia, nihil habet obscuritatis. Docui in Bet, Be nobis orationem siue precationem notare; sed propriè sacram, & eam qua Deum rogamus, vt nos liberet à tentationibus. Hef siue ef idem esse quod eleuo, nemo saccigerulorum apud nos ignorat, humeris suis quid verbum hoc denotet sæpius expertorum. Be—hef igitur, & contracta voce Bef/ idem est ac si dicas preces eleuans. Sed quid, dices, huic ornamento cum precibus? Id scies, si primùm cogites in cuius locum pelles hæ Canonicorum nostrorum, & Beffæ ex Italorum humeris suspensæ successerint. Cùm enim loco pileorum in metam elatorum habeantur, caussa nominis in conoide pileo, siue Curbasia, siue Tutulo quærenda est. Tutulatos olim fuisse qui sacris operarentur antè tradidi. Quis verò Tutuli scopus sit, & quid nos moneat hæc meta capiti imposita, Alauda nostra, quæ & ipsa tutulata est, docebit. Cùm enim pyramis nobis demonstret, mentem ad ipsum Vnum esse eleuandam, cùm semper, tum maximè in oratione; non video, quod nomen huic pileo in pyramidem elato inuenire possis, quo meliùs clariúsque significatio eius & verus vsus explicetur. Nihil enim aliud bef monet, quàm vt preces nostras quàm possumus altissimè eleuemus à terra, vti Alaudam Beffatam facere videmus. Itali, quia nec antiqua pilei forma, nec capitis eo tegendi in sacris ratio, nec vsus omninò vllus eius retentus est in ornamento quod humeris fertur & hoc nomine vocatur, rati merum hoc esse vetusti ritus ludibrium, nec aliud quàm apertam & omnibus claram derisionem, cœperunt vocabulo Beffæ pro ludibrio & derisione vti. Et reuera si rem bene discutiamus, id genus ornamenta à priscis accepta, nec vmquam à nobis ad finem suum & vsum relata, non aliud mihi esse videntur, quàm ludibria; & idcirco non malè nomen à falsis & simulatis Tutulis ad irrisionem significandam transiisse. Nobis interim visum est operæ pretium, huius nominis veram monstrare rationem, vt intelligamus, omnia quæ de Cyrbasia & Tutulo dicuntur ad hoc nos inuitare, vt mentem ad Deum eleuemus. Verùm vt omnia alia nomina pulcerrima sint, & vtilissimas ad salutem chrias complexa, nullum tamen diuinius & mysteriorum plenius, quàm Lamet; quod nominis ad vnguem Pontificis Apicem exponit. Vtamur enim hac voce ad eum modum, quo plerique Latinorum, vt pars nimirum primaria pro toto ponatur.

Bef.

Beffæ Canonicorum quid moneant, & in cuius locũ successerint.

LIBER XIII.

Mem.

Mem vocis significatio & artificium.

POST titulum ſecundum, quo in ſecunda orationis parte Spiritus ſanctus ſalutatur, congruæ titulo & ſalutationi preces ſequuntur; quarum initium eſt Mem, quod interpretamur, Adiuua eum. Primùm itaque interpretationis ratio reddatur. Me haud ſecus litteræ M poteſtatem exprimit atque Em: neque cur hoc potius quàm illud in Abecedario Latinorum ponatur alia ratio eſt, quàm quòd ita poſtulet precationis à præceptore bonis verbis conceptæ ſententia. Quæ enim à Grammaticis de mutis & ſemiuocalibus diſputantur, ſunt illa quidem à priſcis accepta, ſed ad nugas & ſomnia à veritate detorta. Latini Ef, Em, En, Es, Ix pro litteris efferunt, Græci pro eiſdem Phi, Mi, Ni, Sigma & Xi pronuntiant. Verùm hac de re in Hermathena ſatis multa. Mem certè Me & Em coniunxit, vt vtrimque, & ante & poſt vocalem, audiri poſſit conſonantis poteſtas; quod ad orationis ſententiam

M littera vis.

accommodare, ſollertis profectò fuit & elegantis inuentionis. Me igitur idem eſt quod adiuuo, vel adiuua: cuius diuina prorſus eſt ratio. Cùm enim hæc conſonans os concludat, & ſonum quodam modo intus retineat, vt eam Terentianus intus in ore mugire dicat, conueniens littera erit iis denotandis quæ nobis non adeſſe tantùm volumus, ſed in nobis etiam permanere, & in nobis ipſis ſuam exercere poteſtatem; haud aliter ac littera hæc facere ſentitur. Quid igitur aliud eſt me, quàm concludo intus ipſum Vnum, vt ſuam poteſtatem in me exerceat? Atqui is qui domi ſuæ & intra pectoris penetralia Vnum concluſum habet, næ is habet auxilium omnium validiſſimum, & quo nullum maius, nullum certius, nullum præſentius, nullũ fidei conſtantioris queat

Trinitatis in Mem littera myſterium.

excogitari, nedum haberi Hoc demum robur & ſubſidium eſt triarium, tres nobis perſonas, quibus & creatio omnis & rerum conſeruatio debetur, vnitate & vna littera cõcludens. Porrò quia ipſum Ɛ omnibus rebus non modò hominibus adeſt, vocula Me loco præpoſitionis vſurpata eſt, præſentiæ habentis notationem, quam Latini per Cum interpretantur. Quoniam verò vocum rationes in primis & ſummis ideis maximè rationes ſignificationis ſuæ & tuentur & oſtendunt, videamus quomodo ipſum Ɛ, quod omnibus auxiliatur & intus adeſt, hac vocula Me vti poſſe, poſſit cogitari. Quòd ſi ipſum Vnum, quod Pater eſt, cogitare ſecum fingamus Me, id eſt Iuuo, ſtatim in mentem veniet quid pater primùm & ante omnia iuuet; ante omnia, inquam, creata, quibus infinitis ſæculorum myriadibus prior eſt. Nam quod ſemel pater verè de ſe ad ſe reſpiciens dicere poteſt, id ſemper & ab æterno dicere potuiſſe intelligatur neceſſe eſt. Quemadmodum ſe contemplatur, ita ſe quoque iuuat: & vt ex ipſius Si, quod tenui

Si.
Is.

voce pronunciatum video ſignificat, mox exiſtit Is/ quo Eſt ſignificatur; ita ex ipſius Me quo ſeipſe iuuat in ſua eſſentia, non extra ſe quicquam auxilij emittens, ſtatim gignitur Em/ quo nobis ſimpliciſſima vox denotatur. Sicut ergò ex Si/ id eſt video, Patri attributo gignitur Is/ ſiue Latino more Eſt: & ex Se/ id eſt, dicebat, gignitur Es/ quod idem eſt quod Is ſiue Eſt: Latinorum; ita ex Me ſiue Iuuo gignitur Em ſiue ſimpliciſſima vox; & hæc quidem ſimplici & vnica ichnæa conuerſione, eodem tempore vtrobiq. ſeruato. Videſne hîc vt ex Vno in ſe manente & ſe iuuante gignatur vox; & id quidem ante omnia genera creatorum, ſola ſolius Patris in ſe conuerſione? Quid verò hoc aliud eſt quàm illud, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum?* Sed nobis Em ſimplicem vocem deſignat, & eò in ſermone noſtro ſignificantior eſt locutio. Ex Me igitur fit Em, vt ex Got fit Tog: & ſicut hoc Filij eſt, illud Patris;

Em.
εἰμὶ.

ita Me Patris eſt, Em Filij. Hinc apud Teutones olim Em pro Sum fuit in vſu, vti hactenus eſt apud Britannos, vetuſtiſſimam Cimmeriorum ſobolem. Vnde apud Græcos εἰμὶ remanſit pro Sum. Eius locutionis cauſſa de ſummo pendet myſterio creationis. Cùm enim Pater per Filium ſuum omnibus eſſe dederit, voluit nomenclator, vt ex Em, quo vox, per quam omnia ſunt quod ſunt, ſignificatur, verbum fieret pro Sum vſurpandum;

quo

quo semper dum quis Em pro Sum diceret, de Filio, qui Patris vox est siue Emt, cogitaret; & sic cogitaret, vt per eam vocē se intelligeret Esse suum habere. Em igitur à voce creatoris ad exemplum vocis siue imaginem vocis transiit, dum pro Sum in orationem veniebat. Contempleris, obsecro, qua methodo nomenclator nos ad Dei ducat cognitionem, quantoque hæc sit diuinior, compendiosior & clarior, quàm obscuræ in Parmenide Platonis suppositiones siue hypotheses, & ex iis conclusiones plenæ tenebrarū: &, vt quod sentio ingenuè fatear, plus habētes tricarum & apinarum, quàm solidæ eruditionis Ogygiæ, ad quam philosophorum ingenia sua sponte pertingere nequiuerunt; in iis præsertim quæ ad Trinitatem pertinerent: de qua quicquid apud eos inuenitur, à priscis Sethinis & Ogygia Nochi sobole per manus ad posteros peruenit; verbis illud quidem frequenter eisdem, sed intelligentia vel nulla vel obscura, vt licet in illo videre, *Tria sunt omnia*; quod Aristoteles à Pythagora acceptum, profana & prorsus mechanica interpretatione corrupit. Videmus itaque hîc simplicem primùm vocem ante omnia sæcula à Deo gigni, & per eam non secus Patrem intelligi, atque hominis mens per se occulta per vocem declaratur. Per hanc igitur vocem omnia creauit. *Dixit*, inquit Moses, *& facta sunt:* quod per Se & Es item explicatur, vbi è Dicebat, gignitur Est. Creatio enim prima fuit Dei locutio extra tendens, per quam infinita eius potestas rebus creatis ostensa est, vti mentis cogitatio per vocem explicatur. Porrò & illud considerauit nomenclator, quòd Pater per Em seipse demonstret; & dum se demonstrat, Filium ostendat, & se per Filium. Hinc vt eius quoque homines moneret, voluit Em siue Hem pro eo poneretur, quod Ipsum vel Ipsi Latini dicerent; nimirum vt quoties sic loquimur, de Filio cogitaremus; & ad eum modum de eo cogitaremus, vt omne auxilium quod Me significat, per ipsum ad nos venire deberé, nec aliter posse intelligeremus. Pater enim primum Ipsum iuuat, & Em gignit, & mediante Em se declarat, & auxilium suum per Em communicat. Præterea cùm Em vocem primam & simplicissimam significet, monemur, vt prima quæq. vox nostra ad ipsum tendat qui primus Em vocatur, id est, ad ipsum Filium. Sed quid ego hîc calamum demoror, vbi nullus exitus contemplationis inuenitur? Cogor tamen & illud addere, nomenclatorem hîc non substitisse. Neque enim fas sibi putabat Patris & Filij meminisse, nisi Spiritus quoque sancti mentio accessisset. Quemadmodum igitur è geminato tempore, geminum processum ratione duarum personarum Patris & Filij in Spiritu sancto intelligi voluit, dum ex Got breui Toog longum fecit; ita ex Me breui fecit Eem longū: quæ vox licet nunc in vsu apud nostrates non sit, olim tamen fuit, vt è deriuatione demonstratur. Eemer omnibus notissimum est vocabulum, pro vase aquario, siue eo quo aqua funditur. Sicut igitur ex deriuatis simplicium significata cognoscuntur, vt in Becker vsitata omnibus voce, pro eo qui panem facit, intelligimus quòd Bet verbum sit idem quod panem facio, & Bet nomen idem quod panis: & similiter in aliis fit collectio; ita optimè procedit conclusio, si eemer effusorem significat, eem fundo denotabit. Est apud nos flumen quod exiguo terrarum tractu maximum effundit ostium, quod à copiosa aquarum effusione Eems vocatur, ceu dicas copiosè effundendo terminari: à quo opidum adiacens Eemden vocatur. Græci ἐμῶ ab eem acceperunt, quo pro vomo vtuntur; eo quòd eem copiosam significet effusionem, & vomitus ferè non solùm ob redundantem copiam fiat, sed affatim etiam ventriculi superioris onus effundat. Sunt mihi de media plebe & fece hominum vetustarum vocum notationes sæpe discendæ, à qua tamen earum origines nulla macula inquinantur; non sanè magis quàm Solis radij spurcis lacunis recepti. Cùm igitur eemer vas notet quo aqua funditur affatim & abundanter; eem non aliud fuerit, quām cumulatè effundere. Vulgò dicimus, Het regent oft met eemers goot/ id est, pluit non secus ac si aqua eemeris, siue vasis ad effundendum factis, funderetur: qua in locutione clarè cernitur significatio eius verbi à quo eemer deriuatur. Quamobrem vt à Me Em fit, eodem tempore manente; ita tempore geminato fit Eem, proprium Spiritus sancti officium designans; cuius est, diuina dona largissimo cornu, siue potius eemeris, vt nostrati voce vtar, effundere. Reuertamur nunc ad Me/ quo adiuuo dixi notari. Ex hac voce & Ei, quo proprium & singulare denotatur, fit ei-me/ & compositè per apocopen eim, pro eo quod est sepio & possessionem propriam facio, quasi dicas proprietatem & singularem possessionē quopiam munimenti auxilio

Vox simplex ante omnia sæcula à Deo genita.

Hem.

Eemer.

Becker.

Bet.

Eems fluuius.

Eemden opidum.

ἐμῶ verbi etymon.

Ei.

Eim.

iuuo

Heim. iuuo atque concludo. Hinc Heim pro domo sua cuique singulari vsurpatur, quòd ea sit quasi ei-me, id est, singulare & suum cuique proprium adiumentum. Adspirationis vel præsentiam vel absentiam susque deque fero. A me verbo fit mede/ pro quouis auxilio: quæ vox est in conceptis iurisiurandi verbis quibus magistratus Antuerpianus iurat, se nullis donis, nullo fauore, nullo patrocinio, nullo denique adiumento vsum esse, vt ad munus publicum perueniret. Latini à nostra phrasi elegans illud loquendi genus mutuati videntur, quo dicunt: Mecum facit, Tecum facit, cum illo facit; quando illo nihil aliud significare videntur, quàm Me iuuat, Te iuuat, Illum iuuat. Verum satis superque de voculæ Me notatione; quæ vt vulgaris est, ita non habet vulgarem originem atque rationem. Me-em igitur nihil aliud est, quàm iuua ipsum. Cur autem em siue hem ipsum significet, modò dictum. Nec obscurum est ex Me-em per Synalœpham fieri M'em. Licet tamen Meem diuisis syllabis pronuntiare, vt Tseri Hebræorum longum, quo Mem pronuntiant, in duo breuia tempora partiaris. Ex his liquet, præceptorem discipulo in secunda orationis parte principio auxilium generatim implorare, quasi diceret: Nihil eorum quæ modò rogaui Canopus meus capere poterit, nisi tu supremũ omnis defensionis caput eũ contra omnes aduersitates adiuues. Eodẽ ferè modo in oratione Dominica, postquam preces eò venerunt vt dicant: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; quo summa vitæ felicitas continetur, mox additur: *Dimitte nobis debita nostra*; propterea quòd ea, nisi tollantur, obstent ne simus panis cælestis, quo vita æterna datur, capaces. Mirificus est vbique consensus Christi & Alphabetarij nostri precatoris; qui licet maiorem in modum me capiat ac teneat, nolo tamen ad eum latiùs explicandum hoc loco venire, ne in pane quotidiano paradoxi aliquid è D. Hieronymo adferre cogar; qui tradit in Euangelio secundum Hebræos vocato pro ἐπιούσιον מָחָר scribi, quo crastinum significatur. Græcis ἐπιούσιον non est in vsu, & pro supersubstantiali quod D. Hieronymus vertit, ὑπερούσιον dicendum esset. At cum τῇ ἐπιούσῃ, pro sequenti die dicant Græci, videtur Euangelista ex hac dictione adiectiuum fecisse quo crastinum denotaret, vt Hebraicam vocem exprimeret, vt Caninius vir doctissimus annotauit. Quamobrem sic videtur hæc orationis pars intelligenda, vt rogemus Deum vt panem suum viuum quem cras daturus sit, id est, mox proximo tempore, det nobis hodie; id est, vt iam nunc nos sola ambrosia & vultu suo, cuius inspectio panis est, beatitudinem dans & sustinens, pascat: quod non aliud est, quàm vt nos mox in cælum transferat, & futuro gaudio perfrui sinat. Orator ergo noster, vt ad propositum reuertar, dixit: Adiuua ipsum vniuersim omnibus in rebus; diuinum auxilium implorans, quo solo possumus ad vitam beatam peruenire, & tentationes & omne malorum genus, quod eò properantibus obstat, repellere atque superare. Plena est sacra scriptura, nos citra Deum adiutorem nihil posse, & Dei solius esse homines adiuuare: nec vllæ preces in sanctorum ore frequentiùs innatant, quàm, *Adiuua me Deus*. Et certè cui hic adiutor est, is neminem timere debet: ac cui adiutor non est, is nihil boni potest sperare; atque ita pericula in quibus hominis vita versatur intuenti, mox orandum: *Adiuua me Deus*. quod sacer chorus Christianorum animaduertens, rectissimè preces suas & laudes diuinas cum Iessæo vate incipit: *Domine in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*. Quoniam igitur omne auxilium à Deo est, diuino prorsus artificio nomenclator vocabulum Me ad eum modum fabricatus est, vt Vnum in se concluderet; cui videlicet soli omnis esset adiuuandi potestas. Quamobrem huius pictura quoque talis est, vt ambabus manibus in pectus reflexis, ostendat se Vnum intus habere, atque id retinere velle ad sui defensionem. Et quemadmodum in littera M pronuntianda sonus quodammodo intus continetur; ita in Me designando brachia & cubiti vnà cum manibus corpus concludunt, demonstrando interim digitis, se cupere sibi inuenire quod secum facere possit. Hæc figura vti à nobis picta est, non rarò est in signis Hieroglyphicis: & ceteroqui non opus est aliunde petita eius probatione, quàm ab ipsa natura; quæ non alia ratione quod per Me designatur, aut commodiùs aut significantiùs demonstrare posset. Videbar mihi hac via & ratione ipsius Me non malum inuenisse simulacrum, & poteram hoc, vti verissimo & naturæ ductum secuto, contentus esse; verùm quia oratio ad Spiritum sanctum dirigitur, & ei vocabulum geminato tempore à Me vidimus datum fuisse, coactus sum ampliùs cogitare, & suspicari, in hac littera

Panis quotidianus.

Auxiliũ diuinum omnibus in rebus implorandũ.

M littera figura.

Mem

Mem vlteriùs adhuc prospexisse Alphabetarium magistrum. Quoniam enim sic huius litteræ nomen protulit, vt geminam vocem ex vna fecerit, & duas eisdem litteris & eodem tempore constantes coniunxerit, prorsam videlicet ac versam; in mentem venit, non vnam simplicem rationem in vocis itidem simulacro latere. Vt enim copiosus semper est sermonis nostri nomenclator, non tam litteris, quarum est parcissimus, quàm rationibus eorum quæ fabricatur vocabulorum; non potui non in animum inducere, & mihi ipsi persuadere, geminam rationem occultari in eius litteræ figura, cuius nomen geminam, prorsam & versam nimirum, vocem complecteretur. Remandemus ergo & ruminemus id quod de em dictũ est; fortassis enim in hoc vocabulo adhuc lateat mysterium, quod necdum sit ex adytis productum in lucem. Dixi duplex tempus in em/ processum à duabus personis denotare; quarum prior vocabulo me/ posterior vocabulo em significaretur. Hic nunc video duarum personarum nomina coniuncta esse, vbi me-em apertè habemus. Ex eo in mentem venit duabus his vocibus tertiam indicari, quæ tertiæ personæ conueniret. Quamobrem diligentiùs inspicienti occurrit, ex me & em eem fieri necessariò, si voces non diuisas, sed coniunctas esse velis. Nam vt ex me gignitur em per conuersionem simplicem; ita si em rursus conuertas in me/ geminam habebis conuersionem, & idcirco geminum tempus in geminata vocali necessariò existet; atque ea ratione Filium ad Patrem reflexeris, & significaueris me-e, quod est Adiuuantis Vnum. Porrò ex hac Filij ad Patrem conuersione amor procedit, per quem omnia bona rebus creatis communicantur & largissimè effunduntur. Verùm vt ex me-e vna vox fiat, personæ tertiæ index, tertia conuersione vtaris, & in ea ex gemina vocali & gemino tempore vnam vocalem & vnum tempus longum facias; & ita eem existet, procedens à Patre & Filio sese quodam modo osculatis, vt dum dicimus, *Pax & iustitia osculatæ sunt*, id est, Filius, qui pacificator est, & Pater iustitiam in Filio suo exercens, mutuo osculo se complexi sunt, è quo Spiritus sanctus ad Ecclesiam Christi sponsam descendit, vt eam perpetuo amoris vinculo contineret, ac perpetuis donis in eam quotidie effusis, & aleret & ornaret. Eodem modo dum Filius ad Patrem reflectitur & eum osculatur, ex Patre & Filio confestim Amor exsilit, veluti Spiritus ex vtriusque ore procedens, æternum duarum personarum inter se glutinum. Per hunc spiritum omnium bonorum Patris & Filij fit communicatio, quia in osculo & Spiritus ab vtriusque ore coniunctione & conglutinatione prima cernitur communionis idea; & idcirco hic spiritus ferebatur super aquas, vt nimirum iis Patris & Filij & suam ipsius, qui vnus cum illis est, perfectionem communicaret, atque vitam infunderet. Hic igitur eem videmus, dum aquas & effusionis perfectionem audimus. Prior quidem effusio est, vt & ipse effundens, quæ designatur in Mose per, ferebatur; quo lata extensio denotatur, quæ mox aquas effudit & aquis vitam indidit. Neque enim aquæ siue materia ante erat quàm Spiritus ferretur; sed priùs spiritus ferebatur, & extemplo aquæ sunt effusæ, & iis vita infusa eadem latione. Eem itaque fundentis est vocabulum, hac qua dixi ratione à me & em per geminam conuersionem & osculationem & conglutinationem procedens. Sed mirum ni huius vocis tam plenæ arcanorum aliqua apud antiquissimos mortales exstent vestigia, cùm videamus ad ipsam vsque plebem hactenus apud nos ab ea vocabula deriuari. Habemus enim eems flumen, habemus eemer vas aquarium, habemus & eemer nauis minoris genus quod eemer vocatur, ceu vas sit ad aquas dumtaxat effundendas idoneum, dum holcadibus & maximis nauigiis comparatur. Iam ab eem pro fundo præteritum imperfectum Am fiet vocali longa, sicut à Nem fit Nam/ & a men fit man. Vnde communi nominum à verbis deriuandorum formula Am apud nos pro vase magno ponitur, quadringentas libras continente: cuius vsus est, vt vini vel cereuisiæ, quibus propriè destinatur, largam nobis copiam effundat. Videndum itaque apud priscos ecquæ huius vocis reliquiæ reperiantur. Primùm igitur de India cogitemus, vbi ante diluuium Sethini habitarunt. Hic dispicientibus quidnam id sit quod tam multa, tam ampla, tam copiosa flumina effundat, mox occurret mons maximus & altissimus longo tractu & infinita montium propagine Indiam à Scythia distinguens, ad quem necessariò iis erit veniendum qui fluminum ingentium & plurimorum origines volent videre. Cùm igitur nullus mons vel plura vel maiora flumina effundat, vel quæ latiùs omnia vndique inundent, vt iis liquet qui Indiæ descriptionem apud idoneos auctores cognorunt,

Trinitatis in Mem litteræ mysterium.

Pax & iustitia osculatæ sunt.

Eem antiqua vocis vestigia.

Imai montis situs.

gnorunt, verisimile est, nomen ei illud obtigisse, quo hæc tam insignis eius dos notaretur. Erat enim in more maiorum, vt quoad possent nomina rebus darent, non tantùm naturæ conuenientissima, sed etiam bona, fausta ac felicia. Quomodo igitur hunc montem vocarunt? Hac in re nihil est vel controuersiæ vel dubij. Nam vno ore omnes & Græci & Latini Imaum nuncupant, & ab omni memoria nuncuparunt; quod clarius est, quàm vt sint testimonia sigillatim citanda. Quid ergo Imaus significat? Hîc Græci & Latini & Hebræi conticescent; & si quid dicerent, non essent audiendi, eo quòd Indoscythica nostra demonstrarint, linguam illis in locis principiò viguisse eandẽ cum lingua Ianigenarum & Cimmeriorum, quam nos hactenus vernaculam habemus. Imaus ergo ab Eem-aut nomen accepit vocabulo nostrati, quo venerabilis effundendi antiquitas denotatur. Aut enim nobis vetus significat, & consequenter id quod est venerandum. Sic Au pro Deo dicimus, siue antiquo dierum, vt Daniel Patrem vocauit: qua de re in Tau. Sic Heraut eum vocamns quem Homerus κήρυκα, Latini caduceatorem vocant. Hic enim communiter & amicis & hostibus venerandus est; quod nõ nostrati tantùm voce significatur, sed apud omnes gentes semper fuit obseruatum. Hinc Cato dixit, Caduceatori neminem nocere. Imaut ergo fusor est, iuxtà antiquus, vt cum ipsa terra creatus ac venerandus, propter aquarum quas largitur, copiam. E autem in I frequenter transire infinitis possem exemplis docere. Sic è Lelien nostrati Lilia Latini; ex Eereet Iris, & alia similiter ex aliis fecerunt. Neque verò id in commigratione tantùm vocabulorum ex vna lingua in aliam fit, sed in eadem etiam lingua nostrati multa sine discrimine per I & E efferimus, vt ben vel bin/es vel is, & alia. Ex Eem-aut igitur Imaus Latina, & Imaos Græca terminatione factum vocabulum, montis Indiam & Scythiam diuidentis naturam pulcerrimè & faustissimè depingit. Ex hoc nobis montis nomine vetustæ Latinorum vocis origo declarabitur; hactenus, perinde atque pleræque omnes, ignorata. Imber quid significet, cùm cuiuis Latinorum perspicuum est, tum Appuleius optimè definiuit, aiens in lib. De mundo, imbrem agmen esse aquarum, largiùs ex concretis effusum nubibus. Cernis hîc effusionis largitatem, quam verbo eem dixi notari. Imber igitur nobis eem-wer diceretur. Wer aëris cõstitutio est, & bonæ & malæ & mediæ cõmunis: quo fit, vt eem-wer sit constitutio largæ aquarũ effusionis. Græci ex Ee fecerunt O, & ex Imber Omberos, & syncoptôs Ombros. Dum vetustæ nostræ vocis vestigia canina quadam sagacitate sectari laboro, en ex inopinato Græcorum ἱμονιᾶν se naribus obiecit, tetro suo odore longè lateq́. aërem corrumpens. Hoc enim verbũ sic interpretãtur, vt dicãt idem esse quod τὸ μακρὰ χέζειν. quod si cum ἐμεῖν coniunxerint, dignã suibus, aut tyrannis potiùs parauerint cœnam. Relicto igitur illis quibus optamus hoc epulo, in quo liberalis est condimentorum effusio, nos clausis naribus ad alia properemus. Cùm nemo effundere possit quod nõ priùs hauserit, Græci ἱμᾶν pro haurire posuerunt. Verùm si rem examines, non tam in haurienda aqua scopũ suum collocabant, quàm in aqua ad necessarios vsus affundenda. ἱμᾶν igitur haurire dicitur, à fine suo qui consistit in effusione. Hinc ἱμαῖον carmen, quod aquam è puteis haurientes canebant; cuius meminit Callimachus:

Imai nominis etymon. Aut. Au. Heraut. *E in I trãsitus frequens.* *Imber.* *Imbris etymon.* Wer. ἱμᾶν. ἱμαῖον *quid, & vnde dictum.*

ἀείδει καὶ πούτις ἀνὴρ ὑδατηγὸς ἱμαῖον.

Ιμονιὰ. Ιμονιὰ autẽ funis quo aqua attrahebatur. Vides'ne nunc me ex eemer voce nostrati non vana somnia finxisse, & ἱμᾶν clarè testari quid sit eem; atque adeò hinc intelligi, hoc verbum Spiritui sancto propriè conuenire; eo quòd à Patre & Filio hauriat quod ipse deinde largis imbribus effundat? Et in his quidem vocibus E in I versum videmus. Ceterùm quia E longum non rarò etiam in A transit, animaduerti & hac via ab eem voces ad Græcos venisse, in quibus ipsius eemer clara vestigia cernuntur. Αμάρα enim aquæductus est, & canalis per quem aqua copiosa funditur. Homerus canales quibus prata, arbusta & horti irrigantur Amaras vocauit; Virgilius riuos dixit. Aperti enim copiosam aquam fundunt; quia ex altioribus locis deducuntur:

ἀμάρα *vocis origo.*

Ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ὀχετηγὸς ἀπὸ κρήνης μελανύδρου
Αμφυτὰ καὶ κήπους ὕδατος ῥόον ἡγεμονεύει,
Χερσὶ μάκελλαν ἔχων ἀμάρης ἐξ ἔχματα βάλλων,
Τοῦ μέν τε προρέοντος ὑποψηφῖδες ἅπασαι,
Οχλεῦντ', τὸ δέτ' ὦκα κατειβόμενον κελαρύζει

Χώρῳ

Χώρῳ ἐνὶ προαλεῖ, φθάνει δέ τε καὶ τὸν ἄρουρα.

Placuit hos Homeri versus recitare, vt effusionis vis in amaris cerneretur. Eustathius nominis propriam significationem & originem ignorans, de vocis ratione nihil sani coniectat, & ipsam Homeri comparationem fere cõtemnit, quòd Xanthum exundantem & omnia secum rapientem Amaræ contulisset. Nos in Amara effusionis aquarum vim magnam agnoscimus, & nostrum remer expressum videmus; & Homero gratias agimus de tam illustri Amaræ mentione. Est igitur Amara quiuis canalis aquæ fundendæ idoneus. vnde ἀμαρεύειν est aquas per canales deriuare. Hinc apud Theophrastum pro ἀμαπαῖον ὕδωρ, ἀμαεραπαῖον legendum est, quod Gaza non bene scaturientem aquam vertit. Neque enim palmis singulis singulos fontes queas adhibere, è quibus aquæ scaturiant: verùm hoc vult, palmas magis gaudere aqua per canales deriuata quàm aqua pluuia; eo nimirum quòd ea quæ deriuatur, continuò fluat, aut saltem quoties aperitur, & radicibus humorem adfert iam Sole calefactum & paulatim imbibendum: pluuiæ verò affatim effundãtur, & mox rursus cessent, præsertim in Syria. Quòd verò de aquis per canales deriuatis agat, liquet ex eo, quòd dicat in Syria Aulonem esse siue vallem longissimam, quam ad rubrum vsque mare dicant pertinere, & in ea palmarum felicissimum esse prouentum: qua ex re intelligitur, deriuatis aquis & assiduis palmas gaudere, non imbribus affatim effusis. Mirum enim est, & sitienti solo gaudere, & semper tamen bibere velle. Sed hæ Amaræ diutius nobis non sequendæ, nisi aquarij potores fieri velimus. Satius fuerit ad Ἄμ redire; vas quod vinum liberaliter effundit. Huius enim ductu meliores fuerimus poëtæ, & aptiores ad Orphicas fabulas intelligendas. Quid ago? Vix Amæ vinariæ sensi odorem, cùm ecce subitò obuiam sese fert nympha omnium, vt mihi visa est, formosissima. Subsisto attonitus. Illa hilari vultu & blandis verbis bono animo esse iubet; se adesse vt mecum Imæon canat, meamque de eam sententiam testificatione sua & auctoritate confirmet. Hic ego velut è somno expérrectus, fas'ne est, inquam, scire quænam sis, & quî voceris? Illa nihil morata, se nympham eam esse dixit quam poëtæ Amaltheam vocarunt. Tum ego oculis modò ad spectandũ intentis subitò conspicio magnum cornu, verumque esse agnosco quod aiebat. Quid ergo illa me docuerit, iam iam exponã. Nomen in primis suum ita interpretata est, vt nihil aliud significet, quàm omni tempore fundentem, addens ex Ἄμ præterito imperfecto ipsius eam factum esse: & hanc quidem sibi cum Ama, vase ad potum homini liberaliter effundendum comparato, esse cognationem. Totum autem nomen in tres partes solui, vt sit Ἄμ-αλ-τι, id est, fundebam omni tempore. Nec mirũ videri debere, si Græci Τι vocalẽ longam per ει diphthongum scripserint, & adspirationem addiderint. Idem enim & in aliis eos feciisse, & frequenter multo turpiùs voces corrupisse, constat. Agnoui igitur ego mox Τι pro tempore; quod adscito Ταυ, Τιτ etiam vocatur; à Τι, quod est celeriter & festinanter eo, deriuari: quia nimirum tempus numquam cesset à celeri suo progressu. Agnoui præterea ab eodem nostro verbò Τι/ Græcos θείω vel θέω feciisse pro curro siue celeriter eo; atque idcirco nihil mirari nos debere, si ex Τι θει in Amaltheias nomine factum videamus. Video sanè clarissimam hanc esse interpretationem & cælesti nympha dignissimam. Interroganti porrò cur ita nominaretur, respondit perquam benignè, se nihil aliud esse quàm gratiam sancti Spiritus omni tempore dona sua vbertim effundentem. Dictam autem se Iouis nutricem, non quòd Iouem nutriisset; sed quòd nutriendis hominibus & creatis omnibus à Ioue sit præfecta. Se enim in magna Iouis domo, id est, in toto mundo has habere partes, vt omnibus rebus creatis vitæ suppediret alimenta, & eas pro sua quasque portione vegetet atque sustentet. Cornu autem sibi pro symbolo & insigni dari, propterea quòd omnia sua alimenta eius sint naturæ, vt omnium vitam ad cornuum formam accommodent, quæ è lato principio in cuspidem terminantur. Esse enim cornua naturalia quædam metarũ simulacra, & idcirco nomen non à natura sua, sed de symboli ratione accepisse. Κερας enim ex Κε-ρ-ατι componitur, quo altæ originis finis denotatur: quæ etymologia nihil ad cornuta animalia, quæ omnia terrenæ sunt, non altæ originis. Nos ergo cornibus monemur, vt è capite nostro cornua crescant, id est, vt altam nostrã originem ad ipsum Vnum ritu metarum finiamus. Miranda sunt id genus vocabula, quæ in symbolis potiùs rationem suæ significationis tuentur, quàm in ipsis rebus quibus tribuuntur. Scio physicôs ea quo-

Amara quid.

Theophrasti locus restitutus & explicatus.

Palmæ aquis deriuatis, non imbribus gaudent.

Amaltheæ nominis compositio.

Τι. Τιτ.

θείω & θέω verborũ etymon.

Amaltheæ, quæ, & cur Iouis nutrix.

Cornu Amaltheæ quid significet.

Κερας.

ea quoque intelligi posse, verùm ratione non tam luculenta. Quamuis enim הֶ-קֶ-רֶן & ſyncopatòs הֹרֶן ſic queas interpretari, vt cornu altæ originis finis dicatur, quia caput, quòd alta origo propter ſenſuum ſedem meritò dici poſſit, in cornua finiatur; ea tamen ratio nec inſignem habet vllam conſiderationis vtilitatem, nec vſum cornuum exponit. Videamus igitur quo nos vocet cornuum nomine ſermonis noſtri architectus, dum altæ originis finem ipſo cornu deſignat. Spectat hæc inquiſitio propriè ad ipſius Lamet figuram, quam dixi ob ſimilitudinem à quibuſdam cornu vocari; & idcirco ex iis quæ de Tutulo & Cyrbaſia dicta ſunt, tota hæc etymologia peti debet. Mentis enim noſtræ, quæ alta nobis origo eſt, ſupremus ſcopus eſt, vt è corpore noſtro belluino ſurſum tendat ad ipſum Vnum, non ſecus atque meta & cornu demonſtrat: & tanto magis cornu, quòd in eo præter metæ formam alia adhuc admonitio deſignetur. Indicatur enim, nos non aliud quàm pecudes eſſe, dum in terrenis hiſce hæremus. Monemur itaque, vt mens noſtra, quæ alta origo eſt, è terrena & veterina emergat natura, & eam velut cornu perrumpat, & ſuperiùs ad Vnum adſcendat. Quod ſi fecerit, illud conſequetur, vt quemadmodum taurus vel elephas vel rhinoceros vel monoceros cornu ſeſe munit, & defendit aduerſus hoſtes ſuos; ita & ipſa contra omnes aduerſitates cornu ſuo ſeſe tueatur. Verùm hæc ex Apice petantur. In ſacris litteris cornu frequenter pro elata & ſuperba potentia vſurpatur; non illud quidem de nomine quod exponimus, ſed de cornuum in brutis frequenti vſu. Cùm enim brutorum arma ſint, atque iis furioſè pugnent, pulcerrima tranſlatio eſt, dum pro potentia rationis experte ponuntur. Alia rurſus ratione conſiderata, iuſtam iuſti hominis fortitudinem rectè ſignificant, quia videlicet is ſeſe defendit cono mentis ſuæ; quo nomine meta vocatur, ob id quòd fortiſſima ſit figurarum, vt in littera Alef declaro. Verùm hæc parum faciunt ad copiæ cornu, quo Amalthea dona ſua largitur. Conſideremus ergo cornu vt altæ originis finem ſignificat; & vlteriùs videamus, quarum rerum ſubſidio & copia ad eum peruenire poſſimus. Sic enim omnibus diſcuſſis & exploratis hominis facultatibus, tandem deprehendemus nihil nobis eſſe in omni domeſtico inſtrumento, nihil in omni rerum copia, nihil denique vel in corporis vel in animi bonis, quod nos ad finem illum perducere poſſit quem cornu demonſtrat, niſi nobis gratia Spiritus ſancti affulgeat, & dona ſua nobis fundat. Deinde animaduertamus, quæcumque à Deo deſcendunt, ab Vno ad plura diffundi; atque eo modo metam vel cornu conſtitui, cuius apex ipſe Deus ſit, & ipſum Vnum; reliquum verò pyramidis corpus omnes res creatas comprehendat, ab Vno recto numerorum ordine procedentes. Hæc enim regia & ſola via eſt, per quam omnia Spiritus ſancti dona funduntur: quæ cùm nulla alia forma melius exprimi poſſit, quàm recto cornu, quale eſt Rhinocerotis, & eorum quæ proximè accedunt ad hanc formam, bene ſymbolicas rationes ſupputauit quiſquis primus dixit, Spiritum ſanctum largo cornu munera ſua profundere. Quod enim vas inuenias, quod notius, promptius & communius apud primos mortales ruri intra greges & armenta degentes fuerit, quàm cornu? Vtrò enim citra impenſas, citra manus pretium, citra laborem, citra artificium ſuppeditabatur; & vas erat alioqui ad hauriendum, effundendum, potandumque valde idoneum; & tanti liquoris capax, vt vel ſitientiſſimo homini liberaliſſimè ſatisfacere poſſet. Principiò igitur nullum fuit poculum frequentius, nullum vas communius. Eo lac pueris, aqua & ſabazia maioribus dabatur. Nec alio vaſculo ad oleum fundendum vtebantur. Cornibus ſemina conſeruabant, certis cornibus minoribus ſemina iaciebant. Iam & agnis & vitulis à matre abreptis lac è cornibus fugendum dabant. Summatim, cornu omnium vaſorum locum habebat. Tribus igitur maximè rationibus, vt alias omittamus, ceteris omnibus vaſis excellentius haberi debet, quòd & antiquiſſimum ſit omnium, & quòd ab optimo & maximo artifice factum ſit ad optimam & perfectiſſimam ideam; & præterea quòd forma ſua nos commonefaciat effuſionis donorum Spiritus ſancti, quæ ille ab Vno accepta, ad totam rerum diffundit vniuerſitatem: quibus ſic effuſis, eam accipimus viam, quæ nos è belluino corpore ad Vnum, vnde dona venerunt, eadem via reducit. Totius enim ſymboli fundamentum in hoc ſolo iactum eſt, quòd totus diuinæ bonitatis oceanus ad hanc formam, quam cornu demonſtrat, ſit effuſus. Ex eo namque mox liquet, quæ nam ei ſit tenenda via qui ad Deum velit peruenire. Qui fontem quærunt, aduerſa flumina ſequuntur: eodem modo qui ad Deum

Lamet figura.

Cornu cuius rei teſſera.

Cornu pro ſuperba potentia vſurpatur litteris quia ratione accipiatur; & rurſus pro iuſti hominis fortitudine.

Spiritus S. gratia quàm ſit nobis neceſſaria.

Cornuũ vſus apud priſcos frequentiſſimus.

Cornu omnibus aliis vaſis excellentius.

velit peruenire, eandem viam sequatur necesse est, qua mundus à Deo effluxit. Vt ergo dona à metæ culmine descendunt; ita nobis ad metæ culmen est adscendendum. Sed hæc clara ex iis quæ antè dixi. Ex his modò quiuis perspicere possit, qua de causa cornu apud veteres in magna semper fuerit veneratione. Altare Mosis quatuor cornua in singulis angulis singula habebat, vt intelligeremus sacrificium & altare totum eò spectare, vt tandem tetragona & perfecta vita ad quatuor mundi cardines à Spiritu sancto diffunderetur. Fuerint sanè aliæ quoque horum cornuum caussæ, at hæc vna saltem est non ex infimis, ad propositũ hoc meum maximè quadrans. Quòd si clariùs certiúsque nouisse velis, cornu ad donorum Spiritus sancti effusionem pertinere, in memoriam reuoca cornua vnguentorum in tabernaculis seruari consueta. Vngebantur sacerdotes, vngebantur Reges. Vnguentum defluxit in barbam Aaron & fimbrias vestimenti eius. Vnctus est Saul, vncti sunt ceteri Reges; & inter eos Dauid; quem vt Samuel vngeret Deus iubens dixit: *Imple cornu tuum oleo & veni, & mittam te ad Isai Bethlehemiten. Prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* Obtemperans Samuel, Dauidem ab ouibus, quas custodiebat, vocatum vnxit oleo de cornu effuso. Quid autem vnctio hæc, & oleum de cornu effusum significarit, docebit nos ille idem qui vt vnctio fieret Moysi præcepit. Hic enim post alia sic Mosem alloquitur: *Et assumpto*, inquit, *vnctionis oleo, vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificetur altare holocausti & omnia vasa eius. Labrum cum basi sua omnia vnctionis oleo consecrabis, vt sint sancta sanctorum. Applicabisque Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua, indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi; & vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.* Quis hîc non cernit, oleo gratiam Spiritus sancti denotari, quæ sola sanctum facere & consecrare potest? Quod enim in lege promissionis per signum est indicatum, id in noua lege reipsa est completum. Hinc in Christum baptizatum Spiritus sanctus descendit, qui per oleum fuerat quondam designatus. Vnctio igitur Christianorum tum perficitur, cùm accipitur Spiritus sanctus & eius gratia: & oleo omnes sacerdotes constituuntur, iuxta illud D. Petri: *Vos autem*, inquit, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; vt virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Audiamus eundem Ioëlis vaticinium recitantem, & Christianis omnibus applicantem. *Non enim*, inquit, *sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia; sed hoc est quod dictum est per prophetam Ioël: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus; effundam de spiritu meo super omnem carnem; & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo*, &c. Videmus modò quis ipsius cornu in sacris fuerit vsus, & quid oleo significaretur: è quibus luce clarius illud fit quod dixi, Cornu effusionem gratiæ Spiritus sancti denotasse; quæ finis est & perfectio altæ nostræ originis. Sed longiùs trahor necessaria rerum consecutione. Posito igitur hoc assertionis meæ argumento, perspicua erunt reliqua. Si enim Cornu generatim donorum Spiritus sancti habebat significationem, non mirum est, Baccho siue Nocho cornu tributum à veteribus fuisse. Annotarunt non pauci, & inter alios Ælianus in varia historia, fluminibus clarissimis quibusque cornua adscribi solere; eamque suam obseruationem multis exaggerant exemplis: sed interim quæ caussa huius fuerit figmenti prorsus ignorare se ostendunt, dum vel de mugitu, vel de cornuum & fluuiorum curuatura, vel de ostiis nescio quæ sibi somnia comminiscuntur: quæ qui volet, ex Strabone, ex Dionysio, ex aliis cognoscat; me certè piget ea recordari, nedum referre; tam sunt vel per se inepta, vel adiunctis fabellis plus quàm anilibus absurda. Alius de Hammonis concubina, alius de Acheloi cornu ab Hercule defracto, &, quod intolerabilius, idem aliàs aliter de eadem re nugatur. Id tamen ex omnibus colligas, fluuiorum cornua ad copiam & vbertatem maximè fuisse referenda. Nos ergo partim de sacris litteris, partim de cornu ipsius & Amaltheæ etymologia, partim de forma & prisco ipsius apud Sethinos vsu pro certissimo tenemus, fluuiorum cornua non aliud apud priscos illos religionis magistros denotasse, quàm benignam & largam spiritus per totam rerum naturam meantis effusionem; qua inter cetera sua dona, quibus homines beat, flumina etiam maxima è celsis & auiis saxorum molibus ad vitæ humanæ commoditates, haud secus ac Amaras quasdam ad paradisos irrigandos, deriuauit. Cornua itaque gratam dumtaxat

Cornu apud antiquos reuerentia & vsus in sacris.

Vnctio in sacris litteris.

Vnctio in veteri Testamento quid significauerit.

Baccho à veteribus cornu tributum.

Cornua fluminibus adscribi solere.

Cornua cuius rei tessera.

dumtaxat beneficij accepti confessionem habebant, ac profusam & incredibilem donorum Spiritus sancti largitatem in memoriam vocabant Quando igitur huc modò de nominum & rerum & sacrorum rituum siue cognatione siue magia ventum est, non potest cuiquam amplius obscurum esse, quid sibi velit cornu copiæ siue Amaltheas tanto consensu ab omni antiquitate celebratum. Quid enim aliud significasse dicemus, quàm affluentem omnium rerum copiam è cornu Spiritus sancti profundi, cuius gratiam omni tempore, omnibus rebus præsentem & numquam à larga effusione cessantem, Amaltheam de prisco sermone veteres nominarunt? O beatos nos, quibus hæc Amalthea reuelauit! O beatiores, si nos oleum è cornu profluens sacerdotes Christo consecrarit! O beatissimos, si regale hoc sacerdotium semel datum nobis fecerit sempiternum? Verumenimuerò dicet quis: bene tu quidem fabulæ rationes explicas, si tibi concedamus, Amaltheam apud veteres nympham habitam fuisse: at sunt non pauci qui capram hoc nomine intelligunt, cuius lacte Iupiter in Creta sit nutritus. Meliora quæso quisquis es. Túne me omnium fabularum rationes reddere posse credis? Atqui pleræque sunt ab antiquitate ita detortæ, vt nihil prorsus habeant cum vlla veritate cognationis. Non grauabor tamen & hac de re id in medium proferre, quod video rerum consequentiam propemodum postulare. Flumina ex altissimis montium verticibus perpetuo gelu & niuibus horrentibus ad valles & campos velut Amaras ad hortorum irrigationem profundi, & iis agrorum fecunditatem potissimùm deberi, prisci illi fabularum textores conspicati, finxerunt cornu Amaltheæ nymphæ capræ cornu fuisse. Qualis autem ea fuerit capra, cuius lacte Iupiter mortales nutrit, ex Capricorni signo intelliges. In eo enim prior corporis pars caprillam habens figuram, Capricornum designat, animal summis & algidissimis montium verticibus perpetuò gaudens. Nullum igitur symbolum aptiùs ad frigidissima illa cacumina perenni glacie & niue tecta denotanda inuenias, quàm si illud animal depinxeris quod ab illis numquam discedit. Adde nunc longissima cornua, & ea ferè recta in cælum altissimè sublata: altissimè, inquam, tum ob natiuam longitudinem suam, tum ob locorum in quibus degunt sublimitatem. His enim, vt altissimis omnium, altissimum Spiritus sancti cornu non malè designaris. Et quia deinde eodem cornu summi montium vertices denotantur, & ex iis primi sint & altissimi fluminum maximorum ortus; si non conspicui, at saltem occulti, quibus profusa Spiritus sancti largitas significatur; quid, quæso, aptius vel dici possit vel cogitari, quàm si cornu, quo Amalthea maxima munerum diuinorum flumina ex alto in terras effundit, dicatur Ægocerotis esse? Nam de hac tessera simul ipsius diuini cornu sublimitas, simul profusa eius copia intelligetur, dum videlicet nos ducet ad summas illas rigentis crystalli rupes, è quibus copiosissimæ aquæ magno & præcipiti impetu ad terras irrigandas effunduntur. Porrò dum paullatim nos fabula trahit, tandem eò adscendimus, vt ipsos altissimos montium vertices nihil aliud quàm terræ cornua esse cernamus. Cùm igitur ex his flumina & riui; ex istis rursus læta camporum fertilitas & largissima frugum omnium copia promânet; quis vetabit, quo minùs dicamus, omnium fructuum vbertatem è cornibus effundi; & illis quidem cornibus, quæ cornibus Ægocerotis rectissimè denotentur? Nunc igitur si rectè supputes omnium rerum ordinem, & quæ dixi ad diuinam maiestatem transferas; an non mox vel inuito in mentem veniet, hæc omnia eius dona esse, qui ferebatur super aquas dum mundus crearetur; & idcirco vel cornutam hanc montium altitudinem ipsius cornu esse quo terras fecundat, vel saltem effusionis, qua dona sua largitur, habere significationem. Cæterùm non desunt qui Copiæ cornu ab Acheloi capite refractum dicant, idque tandem ab Acheloo fuisse redemtum, dato cornu Amaltheæ. Mira est & obscura sane hæc permutatio; nec liquet vnde Achelous Amaltheæ cornu acceperit, aut quid habeat omnino commune fluuius inter Acarnaniam & Ætoliam in mare sese fundens, cum Cretæa Iouis nutrice. Cerno hîc non exiguum arcanorum campum, & in eo altam caliginem, quæ Deianiram Oenei filiam totam obfuscat. Sub huius larua animam hominis delitescere suspicor, de qua Achelous & Hercules certant, vter eam sibi sponsam ducat, & ad summos promoueat honores; quod Deianiræ nomen nostratibus ostendit. Docti in Hermathena, Acheloi nomen principem aquarum denotare; hîc addam, proprium spiritus sancti epitheton esse, vti ex Mosis genesi liquet. Ac enim aquam notat: vnde

Amalthea cornucur capra fuisse fingatur.

Capra hieroglyphica significatio.

Cornu Amalthea quare copiæ cornu.

Achelous copiæ cornu Amaltheæ cornu permutauit.

Acheloi & Herculis certamen pro Deianira quid sibi velit.

tat: vnde Aher pro vase aquario, vt eruer ab eo deriuatur. Inter Acheloum igitur & Amaltheam non aliud erit discrimen, quàm inter Spiritum sanctum & eius gratiam; qua de re mox fit perspicuum, vnde fabula fuerit conficta. Verùm sigillatim recensere, quas sibi partes Achelous, siue summus aquarum princeps, & quas Hercules maximi draconis victor, cuius imago claris stellis in cælo notatur, sumserit in Deianira ornanda, non est huius mei instituti. Sufficiat ingeniosis viam ostendisse ad verum mysteriorum explicatum, & Græcis caussam, cur Achelous pro omni aqua ponatur; quam omnes æquè hactenus ignorarunt. Oeneus autem pater est cælestis qui Deianiram Spiritui sancto desponderat; verùm hæc culpa sua ab hoc honore excidit. Hercules igitur eam sibi copulauit. Oeneus perpetuò nouus dicitur, de quo cetera coniectes. Et hæc quidem poterant sufficere de cornu Acheloi & Amaltheæ, nisi Melissus me fauo mellis inuitasset ad sui mentionem. Aiunt hunc primum fuisse qui Ioui sacrificarit. Nos primum scimus fuisse Adamum ante diluuium, quem deinde filij sint secuti. Verùm quia illius ætatis historiam habemus valde concisam, satius fuerit è secunda ætate de prima facere coniecturam, quàm dubiam reddere eius quod quæritur caussam. Breuiter igitur. Nochus primus post cataclysmum Deo sacra fecit, & odoratus est Deus odorem suauitatis. En tibi primum post inundationem epulum, quo Nochus Iouem excepit: quod quia suaue erat, dictus est Melissus, quòd videlicet mel Ioui præbuisset. Quia verò mellitus hic apparatus è bona ipsius voluntate procedebat, dictus est domi suæ filiam habuisse Melissam, mellitam videlicet animi sui bonitatem, qua Deo conuiuium instruxerat. Deinde quoniam hac sua suauitate siue Melissa statim à Deo impetrauit eam gratiam per quam omnia vitæ necessaria affatim semper affunderentur; dictus est & alteram filiam habuisse quæ Amalthea sit nuncupata. Cùm igitur & Melissam, id est, bonam voluntatem, & Amaltheam, id est, affluentem omnium rerum copiam semper domi haberet, atque per has suas filias Ioui frequentissimum & quotidianum epulum instrueret; finxerunt posteri, Iouem adhuc infantem, id est, in ipsa secundæ ætatis infantia constitutum, à Melissi filiabus fuisse enutritum. Quod autem de Nocho scriptum habemus, idem licet de Adamo cogitare. Ex his igitur nunc ad Mem reuertamur: & quia Spiritum sanctũ siue Amaltheam, id est, ipsius gratiam ad auxilium hoc nomine precator noster vocauit, videamus quînam optimam huius vocis effigiem pingere possimus. Me sanè, quia auxilium significat, & cõiunctionis etiam vim habet, nõ potest inter pauciora quàm inter duo inueniri. Duæ igitur pingendæ figuræ; sed sic vt sint coniunctæ, pro eo ac vocis Me postulat significatio. Quæ igitur erit prior? Nempe eius gratiæ, per quam præceptor rogat, vt Lamet siue Spiritus sanctus vitæ Canopi sui auxilium ferat atque adsistat. Hinc gemina nobis offertur figura; prior ipsius Spiritus sancti, vt adiuuet rogati, quem modò demonstraui per apicem Pontificum denotari: altera eius quo gratiam & auxiliũ mortalibus effundit: quod ex iis quæ modò dixi, liquet cornu esse debere. Bene igitur cecidit, quòd non dissimiles hæ sint figuræ, sed altera alteram queat repręsentare; ita vt dum vna pingitur, vtraque picta videri queat, nec alterius effigies magnopere desideretur. Nam cyrbasia cornu, & cornu cyrbasiam

Aher.

Oeneus quis, & quid significet.

Melissus quis fuerit, et quomodo primus Ioui sacra fecerit.

Melissa Melissi filia.

Amalthea Melissi filia.

Mem littera pictura.

imitatur & ostendit. Quia tamen auxilium gratiæ potiùs habet rationem, & æquum est vt Lamet suam sibi vindicet peculiarem figuram; Cornu potiùs Amaltheas auxilium effundentis pingemus. Deinde quia omnis oratio ad vitam Canopo impetrandam tendit, vt ipsum Alef declarat; nihil melius inueniemus aut aptius, quàm illud vitæ simulacrum, quod & è scipione quem Canopus in Bembi tabula tenet, dependet, & ab Ori in loti flore considentis sinistra manu tenetur. Hinc liquet optimam ipsius Mem figuram esse, quæ Amaltheas cornu deorsum omnia effundens prius pingit, & ei connectit nudam metam infernè patentem. Talis est minor Græcorum figura, vt liquet attentius intuenti. Nec multum maiusculus Græcorum & Latinorum character à minore discrepat Græcorum; nec tantum est discrimen, vt sit animaduersione maiore dignum. Minor priore sui parte propter lineam leuiter dextrorsum incuruatam, inuersum Amaltheas cornu clarissimè ob oculos ponit: posteriore parte vel tutulum refert, vel vitæ signum quod cum tutulo prorsus idem est. Coniunguntur autem hæc ad eum modum, vt cornu, Spiritus sancti symbolum, sinistrum sit, vti honoratius, pro eo ac fieri decere prius ostendi. Iam Spiritus sancti gratia præuertit Canopi vitam, & idcirco prius cornu siue Amaltheas siue Acheloi pingimus quàm vitæ, cui auxilium petimus, simulacrum. Elegantissima igitur est ipsius Mem pictura ea quam Græci retinuerunt: cui proximus character eiusdem litteræ maiusculus apud Latinos. Est verò hæc figura tanto aptior, quòd non Amaltheas tantùm cornu & vitam designet, sed quòd duas etiam vitas queat indicare; alteram quam Spiritus sanctus singulari gratia infundit: alteram quam quisque sibi pro sua portione principiò sortitus est. Deinde eadem pictura duos montes coniunctos refert, in eorum medio vallem relinquens: qua ratione rursus ad illa quæ de perpetua effusione dixi, alluditur. Verùm cetera quantum quisque volet habeant momenti: nos in cornu Amaltheas & Canopi vita coniunctis acquiescemus; & Deum rogabimus, vt amabilis hæc coniunctio, duabus figuris connexis denotata, continuum nobis sit adiumentum ad vitam æternam consequendam. quod meum votum Oeneus, Hercules, & Achelous mihi secundent.

LIBER

LIBER XIIII.

Nun.

SPIRITVS ſancti auxilio generatim ad omnia in omnibus vitæ partibus implorato, primaria quædam additur auxilij forma, quæ illum ferè finem orationis exponit, quem Deus oſtendit, dicens, *Orate, ne intretis in tentationem*. Totius autem periodi hæc eſt ſententia: Ne connectas altum & pecus. Huius prima particula negationis vim includit, quam nos ſimpliciter citra alterius vocis acceſſionem Ne pronuntiamus. At in conſtructione orationis, dum nos denotamus quippiam nolle, paragogen ſiue ſyllabicam quandam vocem addimus, quæ per ſe poſita, coniunctionis copulantis habet notationem. Dicimus ergo hoc loco Ne-en vel Ni-en, vt alij pronuntiant: vnde facilis fuit ad Nun tranſitus, in voce præſertim ignotæ ſignificationis. Interim non inelegans dictio eſt Ne-en, eo quòd prorſam & verſam voculam videatur continere, tametſi ſignificationem nullam habeat hoc loco; ac præterea quòd conſonantis ſonum & ante vocalem, & poſt vocalem exponat. Ratio autem ſignificationis in Ne non tam videtur è poteſtate litteræ per nares tinnientis pendere, quàm è conuerſione ad contrarij notationem. In Hermathena docui, duabus his vocalibus A & E hoc præcipuum eſſe & proprium, vt litteram ſibi tinnientem adſciſcant, & id quidem ſumma ratione. Cùm enim A recti motus index ſit, & idcirco ad agendum hortetur; ſitque conuenientiſſimum naturæ, vt id quod hortatur & incitat, gratum ei quod incitatur accidat, ac ſeſe ſuauitate quadam ſoni inſinuet; optimè factũ eſſe iudicare debemus quòd ipſi A tinnitus acceſſerit, quo gratius ſit audienti. Secundæ verò vocali ob eam cauſſam tinnitus conuenit, vt fundamentum omnium in omnibus rebus audiendum ſeſe nõnihil altiore ſono efferat. Interim tamen hæc littera tinniens & ſonum per nares elidens, non eſt harum vocalium ſignificationi neceſſaria. Neque enim dum Ee vt articulo vtimur, eam addere conſueuimus, vt cuiuis ſermonis noſtri perito liquet. Nec item dum Ee pro vnione aut vinculo accipimus, eam admittimus. Dum enim legitimam coniugij copulam Ee dicimus, propter excellentiſſimam vnionem qua Deus ſibi ſponſam ſuam per æternum amorem deuinxit, nullo modo illam externi ſoni gratiam quærimus, ne vni ad ſeſe & alia vnienda quippiam deeſſe videatur. Sed hæc nos longiùs abſtraherent. Porrò præter eam quam dixi cauſſam, alia accedit ratio; & ea quidem primaria ob quam his duabus vocalibus tinniens littera nonnumquam addatur. Cùm enim ſummum linguæ noſtræ artificium non ſolùm è natura litterarum per ſe conſideratarum pendeat, ſed ex ordine etiam earum dum in vocibus coniunguntur; voluit nomenclator, vt his duabus vocalibus creberrimè vſurpandis littera adderetur, cuius beneficio ordo in ipſis qui in ſimplicibus & indiuiduis eſſe non poteſt, oriretur; & huius ratione aliæ voces ex ipſis deriuarentur per conuerſionem. Ex A enim per conuerſionem nihil gignitur, neque item ex E. At ſi litteram N addas, confeſtim ex An fiet Na, & ex Een fiet Nee. Hanc itaque potiſſimùm ob cauſſam ſermonis architectus litteram admiſit tinnientem; gratam illam quidem ceteroqui, ſed hac ratione non gratam modò, ſed pænè etiam neceſſariam ad rerum naturam & varietatem vocali pictura exprimendam. Conuerſio autem hæc ſermoni noſtro peculiaris ſic in vſum venit, vt ſignificatio prorſæ vocis per verſam clarior euadat: quod aliquando fit per oppoſitionem contrariorum, quæ inter ſe collata maiorem accipiunt lucem: aliquando per proprietates quaſdam prorſæ vocis, ſignificationem vel conſequentes neceſſariò, vel præcedentes, vel cõnexas, vel alioqui maximè facientes ad eius quod prorſa voce denotabatur aut indolem aut vtilitatem. Vt igitur vocabulorum faber aliud in alia voce ſpectauit, & ſemper id elegit quod cognitu digniſſimum putaret; ita in Een & Nee prorſus ſe præſtitit admirandum. Cùm enim videret, vocula aliqua opus eſſe quæ negationem indicaret, & negationis nulla ſit eſſentia, nec poſſit negatio cognoſci niſi per affirmationem; rerum ſibi naturam propoſuit ſequendam. Quæſiuit igitur

Nun vocis ſignificatio.

Ne.

Neen.

A & E proprium, vt litterã tinnientem ſibi ſociant.

Ee.

Cõuerſio vocum Cimbricæ linguæ peculiaris.

Neen *vocis artificium & ſtructura.*

quidnam esset summum in iis quæ de rebus affirmantur, vt eius videlicet oppositione designaret negationem. Paullatim itaque ab infimis ad superiora progressus, ad ipsum Esse & essentiam venit: vbi cùm videret, & Esse & essentiam ab Vno manare, tamquá supremo principio, vocabulo Vnius conuerso vsus est ad negationem denotandam; quoniam Vnum & nõ vnum oppositorum omnium suprema viderẽtur. Quòd si hanc conuersionis formulam plebeio more consideres, nihil fortasse quod magnopere admirari debeamus, videbis: sin cum sapientiæ studiosis & ipsum Vnum & ipsum nõ Vnum examines, tanta rerũ moles & varietas occurret, vt nesciam quis hominũ par esse queat iis vel eminus dumtaxat per visa quædam imaginaria cognoscendis. Equidem lubenter fateor, quãto Vnũ magis intueor, tanto me ignorantiã meam magis intueri; nec ingenij mei vires sufficere, vt sincerá aliquam eius mihi formem notionẽ. Deinde cùm ad Non Vnũ venio, & id rectè examino, sentio quàm principia nihil intellexerim, dũ inter Vnũ & nõ Vnum nescio quàm maximã mihi oppositionẽ somniabã. Deprehendo enim Vni nihil propinquius esse quàm non Vnum; nec magis ab eo distare, quàm binarius distet ab vnitate. Hic igitur statim velut attonitus perturbor, & tandẽ sentio, me nihil aliud quàm non Vnum intelligere, nec vllo modo posse ad vnius adspirare cognitionem. Rursus dum id rursus expendo, nescio quibus tenebris inuoluor, & dubito an non Vnum, omnino vel sit vel intelligi possit citra Vnius cognitionem. Quid multis? Nullum exitum inuenio, & tandem in eo acquiescere cogor, Vnum dumtaxat à nobis per negationem cognosci posse; & idcirco nomenclatorem nostrum admirabili artificio ex Ἓν Μὴ fecisse: & in ea versione non solùm ad oppositionem spectasse, sed hoc etiam monuisse, nos frustra veram cognitionem Vnius quærere, sed eius non aliam haberi posse quàm negatiuam; quæ videlicet nobis ostendat, non quid Vnum sit, sed quid Vnum non sit. Sic enim se habet Vnum in tota rerum vniuersitate, vt punctum in magnitudine: quod ipsum vt principium est omnis magnitudinis; ita nec linea est, nec lineæ pars; nec planities, nec eius pars; nec corporatura, nec eius pars: & simpliciter, cùm omnium dimensionum sit principium, ipsum nullam omnino habet dimensionem, atque idcirco per solam cognoscitur negationem. Eodem modo Vnum nihil est eorum omnium quæ vna dicuntur, & tamen principium est eorum omnium. Cùm enim vnum nullam admittat diuisionem, nihil est eorum omnium quæ diuidi possunt; non magis sanè quàm vnitas est vel binarius vel ternarius, vel vllus omnino numerus eorum qui ex ipsa oriuntur. Hanc autem cognoscendi methodum, quam sola nobis negatio monstrat, non inuenies alia voce, quàm hac ipsa Vnius, denotatam. Quamobrem cùm Deus sola hac via & ratione cognosci queat, cognitio vnius propria est Dei cognitio. Ens autem tametsi altissimum videatur, non includit tamen hanc formam & notionem negationis omnium quæ numeris distingui discernique possunt. Rectissimè igitur nomenclator noster ex Ἓν Μὴ fecit, id est, ex Vno negationem, supremam videlicet viam ad Deum cognoscendum; cùm nec Deus, nec Vnum cognosci queant per affirmationem. Quanto igitur plura nouerimus quæ Vnum non est, tanto propius ad Vnius cognitionem veniemus: & eadem methodo quanto plura nouerimus quæ Deus non est, tanto maiorem Dei habebimus cognitionem, quoad eius adspirare potest captus humanus. Quantum, bone Deus, gratiæ in sermonis nostri architectum effudisti! quàm largo cornu Amalthea ingenium eius rigauit! Omnes hactenus Philosophi de Vno disputarunt & Ente, sed necdum tantum lucis inuenerunt, quantum his duabus vocibus Ἓν & Μὴ continetur. Potuisset æquè ab Entis nomine ducere vocabulum negationis, nisi mens eius acutiùs rerum naturam & ordinem inspexisset, deprehendissétque summum cognitionis humanæ gradum in Vno & non Vno consistere; minimè verò in Ente & non Ente, vt quidam fortassis putarent. Verùm quia tota philosophia his duabus vocibus includitur, nec vllus finis est eorum quæ de his disputari possent, nobis satis erit sermonis nostri artificem laudasse, ac ei tantum cognitionis rerum omnium de voculis his duabus asseruisse, quantam humana potest capere natura. Ostensa modò veluti per transennam, & id quidem in obscura Platonis specu, ipsius vocis Μὴ notatione; consequens est, vt videamus quánam pictura meram negationem omnia tollentem exprimere possimus. Mihi certè ardua res videtur, id pingere quod nihil omnino sit. Ferunt fuisse pictorem, qui cùm nihil præter velum pinxisset, & ad tabulam spectandam alium vocasset,

Vnius cognitio difficillima.

Vnius cognitio, Dei cognitio est.

Dei quæ maxima cognitio.

Nun littera figura.

vocasset, dicitur rogatus fuisse, vt velo ablato picturam suam daret inspiciendam. At hic præter velum nihil pinxerat; & illud quidem tanta arte, vt ceteros falleret, credentes sub velo tabulam fuisse. Verùm quamuis post velum huius nihil fuerit, non potuit tamen hæc pictura dici pictura ipsius quod non est, fuisse, cùm velum clarè demonstraret. Diceret aliquis, Gryllos & Chimæras & id genus monstra loco ipsius quod non est, posse pingi. Id nequaquam ita est, cùm hæc dum pinguntur, esse fingantur; & spectantibus affirmantes, non negantes offerant notiones. Quid igitur reperiemus? Sis bono animo, Alphabetarius noster magister nos hac quærendi molestia leuauit. Habent enim & Græci & Latini optimam negationis picturam; quæ non solùm significat rem non esse, sed nec fuisse, nec vmquam futuram: quam vt intelligamus, oportet ad summam affirmationem adscendere, quam humana mens Deo, per analogiam ad hominem, tribuere potest. Neque enim aliter vel Deo vel Vni aliquid adscribere possumus, quam per voces analogicas à rebus humanis sumtas. Verùm ne longis tibiis hîc canamus, & rem alioqui per se prolixæ cogitationis oratione nostra reddamus prolixiorem, dicamus Deum siue Vnum purum actum esse, siue puram vitam, qua se ipse contemplatur, & sui contemplatione gaudet atque viuit. Nunc igitur si vlla vita vita est, hæc maximè vita est; & idcirco dignissima quæ per vitæ picturam intelligatur, vtpote ea per quam omnia alia quæ viuunt, tamquam è primo fonte vitam suam hauriunt, spiritus omnia permeantis diffusione communicatam. Nunc igitur vnam habemus picturæ partem, qua ipsius Vnius vita designatur, quæ suprema est Vnius analogica cognitio. Per negationem quidem propiùs attingimus ad Vnum, vt ab omnibus seiunctum; verùm analogica cognitio gratior nobis est, & sensibus & imaginationi familiarior, per quam res sub ratione cuiusdam motionis siue actus cognoscimus. Hinc Deus sæpius per seipsum iurans, vitam suam iurat, *Viuo ego*, dicens; eo quòd homines, quæ Dei sunt ad suam naturam applicantes, suauiùs de rebus diuinis cogitent, & earũ sese meditatione pascant. Sed quid? dices: Num quia vitam Vnius pingis, ex eo negationem Vnius intelliges? Minimè. Quid igitur? Audi. Dixi antè, quæ dextrorsum vergunt, ea exteriùs prodire, & à nobis discedere. Maximè autem à nobis remouentur & extra nos sunt quæ numquam ad nos redeunt: vnde bene nostrates, Antuerpiani præsertim, diem quartum elapsum Ertereergisteren vocant; quasi omnino vsus eius nobis iam sit ablatus. Quamobrem si notare velis quicquam sic cum vita dissidere & ei opponi, illud pingas quod nec parte sui anteriore, nec parte sui posteriore vmquam sit cum interiore vitæ principio coniungendum, sed semper extra Vnius vitam mansurum. Hanc pingẽdi rationem non à Protogene, neque ab Apelle optimis subtilissimæ lineæ pictoribus petemus, sed ab Euclide mutuabimur. Apud hunc enim Parallelæ lineæ ita definiuntur, vt in eodẽ plano numquam conueniant, tametsi vtrimq. ad infinita spatia producantur. Cùm igitur in vitæ figura duæ lineæ ad acutum angulum coëant; altera sinistra & interior; altera dextra & exterior, pingatur linea tertia exteriorem vitæ lineam extremo in puncto contingens, quæ sit interiori vitę lineę parallela: qua sic collocata, mox cernis necessariam sequi negationem; videlicet eas lineas tam esse disiunctas, vt numquam sint sese contacturæ.



Vli artificiosissima pictura.

Ertereergisteren.

Parallelæ linea qua.

cturæ. Viden' nunc pictam negationem ex eisdem naturæ principiis, è quibus Geometrica doctrina suas petit demonstrationes? Nunc igitur tandem quiuis agnoscet, quàm fuerit necessarium accuratè nouisse quid dextrum, quid sinistrum; quid interius, quid exterius; quid ad nos tendens, quid à nobis remotum iuxta veterum sententiam & naturæ legem diceretur. Hinc enim perspicuum, interiorem lineam in vitæ figura dignitatis plus habere; & tanto propiùs ad vitam pertinere, quanto spiritus qui intimus, ipso corpore externo magis viuere videtur. Quamobrem linea externa externam vitæ lineam exteriùs tangens, parallela facta est interiori lineæ, denotatura nimirum omnis vitæ & omnis esse negationem. Ego certè hanc picturam pluris facio, quàm quicquid vmquam tabularum Romani Græcis eripuerunt; & in ea tantùm dico artificij latêre, vt nullis codicibus, quamuis magnis, satis posset exponi. Quamobrem nos hac infinitate missa, ad alia pergamus litterarum simulacra; cauentes interim diligenter, ne infelicem hanc lineam, sempiterno diuortio ab Vnius vita, & de necessaria rerum consequentia, ab omni Esse discedentem, sequamur.

Samecht.

SAMECH Hebræi, plurium quàm trium consonantium impatientes, fine suo mutilarunt; quem Syri tamen hactenus retinuerunt, ܣܡܟ cum Tau in fine dicentes. Nobis Samecht dicendum est, quo significatur, Simul connecte. Sam enim dum verbum est, idem significat quod in vnum congregare: quod per conuersionem vocem Mas reddit, quo res multæ simul aceruatæ denotantur: vbi dignum annotatu, tempus in Sam longum esse, quod in Mas correptum auditur: qua in re insignis admonitio delitescit. Docet enim nomenclator longo tempore opus esse ad congregandum: & vbi omnia congregaris, breui temporis momento totum aceruum posse dissipari vel prodigalitate, vel furto, vel bello, vel incendio, vel aliis modis sexcentis; atque idcirco animum non esse adiiciendum vehementiùs aut ad seruili opera coaceruandũ, vel ad aceruum nimio amore complectendum. Eadem vocula Sam vt aduerbiũ vsurpatur pro simul. Hecht autem est firmiter connectere. Ab Ee enim quo Vnum notatur, fit Etich, & hinc Echt, quod est γνήσιον vnitum vel natura vel lege. vnde Hecht pro firmiter connectere; spiritu studium denotante, & laborẽ qui ad vniendum feratur. Samecht ergo magnam vim coniunctionis & vnionis declarat, quam hîc magister deprecatur. Rogat enim, ne firmo vinculo ipsum Altum & ipsum pecus in Canopo suo Spiritus sanctus connectat: quod eodem modo capiendum quo illud in oratione Dominica: *Ne nos inducas in tentationem*. Meretur certè corrupta hominis natura & ad malum semper procliuis, vt à Deo ipsi malo cui inhiat, æterno vinculo connectatur: quod sanè iustitia eius feciſſet, quemadmodum exemplo horrendo in Lucifero declarauit, nisi immensa bonitas & clementia interceſſiſſet. Quamobrem, vt huius beneficij memores simus, eo modo hanc corporis & mentis copulã deprecamur, vt agnoscamus Deum iusto iudicio nos posse cum belluina natura colligare, propterea quòd ipso relicto draconi adhæserimus, & nos sponte terrenis omnibus malis reddiderimus subiectos. Quid igitur Deo imputari posset, si nos ei quod præ ipso amauimus perpetuo vinculo alligaret? Non citra mysterium igitur rogat præceptor, ne carnem & spiritum Canopi Spiritus Dei connectat: qui non solùm Dei dons distribuendis præest, sed malos etiam castigat, dum Deus iram suam & furorem contra impios exercet. Sed quæ hæc est connexio altæ & sublimæ partis cum natura belluina? Ea nempe qua sic carni adhæremus, vt eam sequamur; & non aliud, quàm quod ipsa suadet, facere studeamus. Vbi igitur ratio siue mens sublimior pars hominis ita veterinæ carnis naturæ adstricta est, vt ei non repugnet; sed veluti pedanea in sententiam eius descendat, illic hæc est connexio: quam vt agnoscas, D. Paullum audias: *Manifesta autem*, inquit, *sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia.* Quid autem Spiritus sanctus nobis præstet, dum nos ab hoc vinculo eximit, idem eodem loco demonstrat. *Fructus autem*, inquit, *spiritus*

Samecht vocis significatio.

Sam. Mas.

Hecht. Eich. Echt.

Animus à carnis desiderio abstrahendus.

Carnis opera.

Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hæc igitur præceptor discipulo suo petit, dum eum cupit à carnis vinculis liberari. Verùm cõfirmatæ connexionis certissimum est argumentum, si quis tam profligatæ sit frugis, vt spiritus & carnis pugnam non amplius in se persentiscat, sed quò libido trahit, citra omnem conscientiæ morsum pronus feratur. Certè feruentissimis precibus Spiritus sanctus rogandus, ne nos sinat hoc vinculo veterinæ nostræ naturæ alligari. Nam si in hac vita ad hunc modum vincti maneamus, certum est, nos in æternos inferni carceres præcipitandos, nec vmquam inde solutum iri; vt D. Paullus disertis verbis iis prædicit, qui carni suæ adhærent. Nunc ad picturam. Nullius litteræ aut facilior, aut notior est figura. Quis enim ignorat, promptissimum ad ligandum vinciendumque instrumentum funiculum esse? Hunc igitur quouis modo delineaueris, Samecht satis clarè expresseris & oculis subieceris. Alij enim aliter funiculum pingunt: nec vnam Latini aut Græci habent figuram. Hebræi funiculum eo modo parant, vt alter finis oculum habere, & per hunc alter finis transmitti videatur: quo modo paratus, expeditus est ad constringendũ. Certè in nulla litteræ figura hieroglyphica ratio constantiùs est retenta. Verumenimuerò dum in eo quod cuiuis vel è media plebe obuium est acquiescimus, vereor ne non satis reconditum sollertissimi Alphabetarij magistri artificium assequamur; & ne nobis idem hîc eueniat, quod antea in Mem deprehendimus. Illud enim inter alia summæ artis est, sic artem simplicitate quadam dissimulare, vt ea vix à sagacissimo quoque animaduertatur. Expendamus ergo iterum paullò accuratiùs, an hic nihil deliteſcat quod se prima fronte non prodat. Nemini dubium est, quin huius litteræ pronuntiatio serpentis sibilos imitetur; atque idcirco ab Atticis quondam plurimis vocibus eiecta, quasi homini hic sonus indecorus esset. Scio ægrè laturos Sueuos & Allemanos, si quis eorum sibilos, quos validis lateribus efflant, vel exsibilet, vel minus iudicet quàm ipsi arbitrantur habere suauitatis. Verùm quid aut illi aut alij de sermonis lenitate & æquabili iucundi soni tenore sentiant, nostra non refert, modò sibilum sibilum esse permittant. Pergamus modò, & ex sibilo ad serpentem progressi, consideremus an serpenti nihil sit cum Samecht siue arcta copula cognationis. Et legimus apud idoneos auctores, & circa Neapolim in dorso montis Phlegræi quà lacum respicit, didicimus, arctissimum omnium nexum esse, quo se serpentes in coitu complectũtur. Nunc quis est in nostra religione, qui nesciat primum mentis & belluinæ nostræ naturæ nexum à serpẽte fuisse colligatum, & idcirco non immeritò serpentinum nexum posse nuncupari? Quando igitur hîc non de alio quàm de hoc nexu fiat sermo, an non aptissimum fuerit & congruentissimum symbolicis in pingendo sculpendóque rationibus, si serpens pingatur, ipsius de qua loquimur colligationis auctor? Adde modò & illud, serpentem & funiculum simillimos esse, & plurimos sic funiculos fieri, vt serpentis formam imitentur. In humano corpore tæniæ nascuntur ad multorum cubitorum longitudinem, sæuissimum homini malum, quæ mulieris tæniis, quibus capillos colligant, simillimæ videntur, quæ non iniuria serpentes quoque possent nominari. Sed missis his, & filici commendatis, qua malè pereant, de aliis serpẽtibus cogitemus;

Samecht litera figura.

Serpentium in coitu arctissimus nexus.

Tæniæ in humano corpore nascuntur.

cogitemus; inter quos cùm natrices, tum alij tenui longitudine funiculos non malè referre cernuntur. Quid? quòd non in hoc modò minorum anguium genere & similitudo & prona ad vinciendum natura ſpectatur, ſed in maioribus etiam quos India & Africa contra elephantos dicitur educare? Nam ſi draco vnus poſtica corporis ſui parte elephanti animalis omnium robuſtiſſimi alligare & immotos pedes poteſt continere, quam rogo vim maiorem ad vinciendum reperiemus? Profectò in his modò expoſitis ſatis cauſſæ videtur eſſe, vt pro Samecht ſerpens pingeretur, vtpote animal non ſolùm maxima ligandi vi præditum, & funi ſimillimum; ſed primum etiam & ſolum cui mentis humanæ & veterinæ naturæ nexus acceptus ſit ferendus. Ceterùm licet hæc luculenta ratione nixa videantur, & ſerpens in hieroglyphicis & frequens ſit & variis modis vſurpatus, adiiciam tamen id quod de nodo Herculano mihi perſuaſi. De huius origine & nominis cauſſa plurimos conſului, cùm veteres, tum recentiores; ſed neminem vel audiui vel legi, qui quicquam de eo quod probabile ſaltem videretur, aut diceret aut ſcriberet. Eraſmus dum adagium explicat, re quam agebat deſerta, ad Gordium nodum confugit, vt cùm nihil haberet quod de alterius diceret origine, ignorátiam ſuam huius mentione celaret. Plinius indicat Herculis nodum ſacrum habitum fuiſſe, & creditum conducere ad ſanitatem. Plutarchus ſponſæ cingulum Herculis nodo necti ſolere dicit, quem ſponſus deinde in thalamo diſſolueret. Athenæus Heracleotarum facit inſigne: verùm dum alius aliter eius meminit, nemo eſt qui cauſſam ob quam ſic vocetur, oſtẽdat. Nobis itaq. tentandum ecquid in hac antiquitate queamus inuenire veritatis; & nodũ quem nemo hactenus aut ſoluit aut diſcidit, expedire. Herculem vim maſculam mundi eſſe & verbi incarnati figuram, nõ ſemel alibi indicaui. Huic ſtatim à primis incunabulis cum duobus ſerpentibus prœlium fuit ineundum. Qui verò hi duo fuerunt ſerpentes quos verbum incarnatum ſtrangulauit? Qui alij quàm draco humani generis hoſtis, & mors corruptam noſtram naturam depaſcens, ſine caro concupiſcens contra ſpiritum, veriſſima draconis & filia & ſuccuba. Cur enim naturam noſtram corruptam à dracone in nobis generatam ſerpentem non vocemus, ſi vera ſit ſerpentis ſoboles, & eodem veneno quo ipſe ſerpens, in nobis graſſetur, ac mortem afferat; & iidem omnino fructus ſint huius & illius non de D. Paulli modò, ſed de totius etiam ſacræ ſcripturæ teſtificatione? Vt enim è pomis arbor; ita è fetibus belluæ cenſeantur par eſt. Quid? an non D. Ioannes Iudæos vocauit genimina viperarũ, & ipſe Chriſtus diaboli filios? quod cùm ita ſit, geminos ſerpentes; alterum diabolum, alterum à diabolo in nobis genitum agnoſcamus neceſſe eſt. Nec vllus vmquam aut ſerpens maſculus femellam, aut femella maſculum tam arctè complectitur, quàm diabolus carnem & caro diabolũ: qua de re factum, vt hic cacodæmonis & corruptæ naturæ nexus duobus ſerpentibus arcto nodo & difficillimo ad diſſoluendum colligatis ſignificaretur; quem idcirco nodum Herculanum vocarunt, quòd non ab alio quàm ab Hercule diſſolui poſſet. Ad hunc alluſit Horatius, in Arte poëtica dicens:

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus Inciderit.

quo loco me pudet eorum qui hactenus in hunc poëtam vel commentaria ſcripſerunt, vel annotationes. Quid enim oſcitantius, quàm hîc de vindice illo neſcio quid comminiſci, qui debitorem nexu obligatum, & iam iam à creditore ducendum, vel numerando vel pro eo ſpondendo liberabat? Atqui hæc tamen huius loci interpretatio doctiſſimo viro debetur. Præcipit Horatius, ne Deus in parteis vocetur, niſi difficultas incidat, quam non alius quàm Deus è machina expedire poſſit: quod generatim ille quidem explicare potuiſſet; ſed viſum eſt elegantius, ſi priuilegij, quod excipitur, exemplũ indicaſſet: quo fit, vt vindex hic non homo quiſquam, ſed Deus aliquis ſit intelligẽdus. Nam ſi ab homine nodus ſolui poſſet vel numerando vel ſpondendo; quid rogo hac Horatiana exceptione putidius aut abſurdius? Vindicis igitur vocabulo Hercules hîc denotatur; qui cùm Alexicacos ſit, Latina voce optimè vindex vocabitur, eo quòd ab omnibus malis totum orbem vindicaſſe dicatur, occiſis vbique terrarum & tyrannis & ceteris monſtris; remotisq. omnibus difficultatibus quibus humanæ vitæ commoditas impediretur. Quòd ſi hic Deus vindicis nomine dignus non eſt, haud video quis vindex dici aut debeat aut poſſit. Alexicacon autem alij Auerruncum, alij malorum depulſorẽ, alij alio nomine vertant: mihi ſanè nec aptius, nec ſignificantius, nec Latinius quicquam occurrit,

Serpentes India & Africa contra elephantos educare dicũtur.

Herculanus nodus.

Herculis infantu cũ anguibus duobus pugna quid ſibi velis.

Horatij locus explicatus, de nodo digno vindice.

Hercules vindex quomodo dici poſsit.

Alexicacus Hercules.

occurrit,quàm si vindicem interpretemur. Dixit ergo Horatius, *Nec Deus interſit, niſi nodus aliquis incidat dignus Hercule*; cuius cæ in orbe partes fuerunt,vt homines ab omnibus difficultatibus & malis liberaret atq. vindicaret. Vocatus ergo nodus Herculanus qui nulla humana vi, ſed ſolius Herculis viribus poteſt diſſolui. Inter omnes fabulas poëtarũ nulla vel antiquior eſt, vel latius ſe per omnes diffudit nationes, quàm ea quæ de Herculis laboribus confícta eſt: qua de re liquet, eam & ab Ogeniis illis patribus manaſſe,& maxima ſalutis humanæ myſteria texiſſe. Verùm non patiuntur hæ noſtræ elementorũ anguſtiæ,vt eam fuſius perſequamur;eoq. ſatis eſto,quis nodus Herculanus apud antiquiſſimos veræ religionis vates fuerit vocatus,indicaſſe. De hoc nodo Chriſtus in cruce triumphauit, & Spiritus ſanctus,quem Hermetis ſiue Mercurij nomine priſci denotarunt, perpetuum huius victoriæ in caduceo ſuo geſſit trophæum: quod nomen accepit à malo deprimendo. Hoc videlicet Manes euocat orco, hoc pacem adfert & gaudium,hoc animos beatos ad cælum ſubuehit; & cetera præſtat quæ de caducei poteſtate à poëtis,licet vim eius non aſſecutis, prædicantur. Ceterùm illi egregiè fallũtur, qui in ſerpentibus ſacri aliquid eſſe crediderunt, cùm contrà hi præferãtur à Mercurio tamquam lætiſſimum nuncium; quo nimirum omnibus palàm faceret,duos coniuratos & indiſſolubili nodo cõnexos humani generis hoſtes ſuperatos eſſe,& ſub pedibus veri Herculis cõculcatos iacere. Cùm enim hoc maximum illud ſit & lætiſſimum nuncium & diuinum Euangelium, à quo Mercurius Dei nuncius inter mortales potiſſimùm vocatur; quidni eius monumentum ſemper omnibus oſtendat, vt internecino bello ſubiugatis hoſtibus duobus exitioſiſſimis finito, gaudeant & iubilẽt,& Io triumphe Io perpetuò canentes, Chriſtum Imperatorem ſuum ad cæleſte capitolium ſequantur. Bene igitur Caduceum à Ca-duit, id eſt, à malo deprimendo nomẽ habet,& vt pacis ſymbolũ celebratur,& duorum hoſtium arctiſſimo fœdere colligatorum trophæum præfert: qui quòd ſemper conſpirarent, capitibus ſeſe mutuò adſpicientibus pinguntur; & id quidẽ ea ratione, vt quamuis infernè virga teneantur, ſupernè tamen colla ab ea quàm poſſunt longiſſimè retrahant,& eam eminus ſibilis impetere videantur. Semper enim diabolus & caro contra virgam Dei conſpirant,id eſt, rectæ rationi & ſpiritui,omnia ad bonum dirigenti,communibus viribus & venenato & mortifero afflatu repugnant. Virga enim quã Mercurius geſtat, eam nobis ſignificat de qua Dauid in quadrageſima quarta ode cecinit: *Virga directionis, virga regni tui.* Porrò quo primi nomenclatoris mens propiùs his in rebus inſpiciatur, videamus quî ſerpentẽ vocarit. Fortaſſis enim & huius illud fecerit nomen, è quo aliquid colligi queat quod mecum faciat, & hanc noſtram probabiliorem reddat aſſertionem. Duæ mox nomenclaturæ in ſermone nobis vernaculo occurrunt, duobus,vt videre videor,ſerpentibus ſic tributæ, vt altera domeſticum, altera externum hoſtem deſignet. Dhac enim maiorem ſerpentem vocamus,cuius maxima effigies in Septentrione duas vrſas vinculo ſuo cõnectere videtur. Hic geminam ſui nominis rationẽ habet, alteram,vt ex Der-hac vox cõponatur, quo ſignificatur, ad nocendũ lædendumq. vehementer pronum eſſe. Der enim idẽ eſt quod noceo,& hac maiorem in modũ quippiam deſidero. Poteſtne quicquam ſignificantius draconis naturã exponere; de quo Chriſtus ipſe dixit, quòd homicida erat ab initio? Altera nominis ratio eſt De-herhac, id eſt, cõmunis & publicus harpago. Trahit enim omnes ad ſe velut harpago quidam, & tractos firmiſſimè tenet,ceu validiſſimo vnco ſuſpenſos. De articulus, her publicum, hac dum nomen eſt, harpagonẽ ſignat. Duo enim eodẽ nomine denotantur, alterũ,draconem ſumma procliuitate ad nocendũ perpetuò ferri: alterum, ipſum publicũ omnium mortaliũ eſſe harpagonem,& ab ipſo tamquam ab vnco miſeritimos homines & trahi quò velit, & annexos teneri. Videor mihi, dum huius vocis ori-

Mercurij caduceum.

Caducei etymon, ſignificatio, & vires.

Mercurij virga cuius rei ſymbolũ.

Dhac.

Draconis etymon.

Der.

Hac.

De.

Her.

Hac.

ginem intueor, fœdissimo spectaculo interesse, quod Romani exhibere solēt carnifices, dum cōdemnatos ad scalas Gemonias vnco trahebant. Non possum, ita me Mercurius amet, satis admirari nomenclatoris artificium, dum sic res ipsis nominibus depictas video, vt nullo sermone, quāuis prolixo, eas oculis subiicere melius possis. Habemus modò magni serpentis nomen, & in eo fœdissimam & truculentissimam arctè quippiam retinendi rationem. Alterū nomen est Slang/quo minores serpētes vocamus: cuius symbolica ratio illud prorsus exprimit scelus, quod corrupta nostra caro designat. Quid enim aliud est Slang, quàm siel-hang? quo significatur id quod animam suspēdit ac strangulat. Hang-dief nos eum vocamus qui fures suspendit, & generatim pro carnifice vsurpamus, eo quòd nostratibus nullum supplicij genus infamius habeatur, quàm suspendio vitam finire. Serpens igitur noster domesticus siel-hang, id est, carnifex, animam mortifero nexu strangulans, nominatur: quamquam hoc æquè patri atq. soboli conuenit. Vide, quæso, duarum vocum consensum. Altera vncum publicū significat, quo homines ad supplicium trahuntur: altera carnificem denotat, qui animam ferali nodo suspendit ac strangulat. Prisci Ianigenæ aliud adhuc vocabulū vsurpabant, quod ab ipsis Latini hactenus retinuerunt. Anguis idem est ac si Hang-wis dicas, id est, funis è corticibus vel viminibus contextus ad suspendendū & strangulandum. Adspirationem compositio lenitatis gratia reiecit: & alioqui Hang ab Ang deriuatur, & significationis suæ rationem ducit. Quid hac etymologia euidentius, in qua nihil immutatum, pręterquam quòd duplex digamma, quo Latini carent, in simplex transiuerit? Vnde Hebræi נָחָשׁ deriuarint, non admodum nostra refert: mihi certè vidētur Anchis pro Anguis principiò dixisse; sed pòst, dū vocales ab initio sunt reiectæ, & perpetuo ostracismo condemnatæ, vocem aliter pronuntiasse. Sed in Hebræis vocibus omnis originis vocum inquirēdæ ratio communi illo plebiscito perturbata est, quo statuitur, vt radices tribus dumtaxat consonantibus pronuntientur. Hac enim lege nunc hæ, nunc illæ consonantes è medio sublatæ, voces ita reliquerūt mutilatas, vt natales vix agnosci queant. At bene valere iussis Iudæis, ad rem quam agimus, reuertamur. Quæsiuimus, quanam figura Samecht, id est, arctam connexionem exprimere possimus; eam, inquam, connexionem qua draco mentem nostram carni & veterinæ nostræ naturæ firmissimè copulauit. Inuenimus deinde nihil ad nexū aptius firmiusq. esse, quàm serpentem. Accessit mox & illud, hunc totum nexum, quo carni sumus deuincti, serpentino nodo colligari, atq. eum vocari Herculanum. Præterea deprehensum est, nomenclatorem nostrum serpentem tribus diuersis vocabulis notasse; quorum singulis fœdissima hæc connexio fœdissima via & ratione fieri demonstratur.

Slang.

Hang dief.

Anguis notatio.

Hang.
Ang.

Hebraicarū vocum originis inquirendæ ratio vnde perturbata.

S littera figura.

Quamobrē si Samecht ex huius excellentissimi præmōstratoris indiciis & monitis aspectabili symbolo oculis subiicere volumus, nō aliud quàm vel serpentem vnū, vel duos pingere debemus: quod dū faciemus, nō hieroglyphicæ tantū picturæ, sed ipsius etiam soni quo littera profertur, videbimur habuisse rationē. Latinorū S vel duos serpentes caudis connexos, vel vnū potest referre. Maiusculū Græcorū Sigma nodū repræsentat Herculanū: ceteræ eiusdem litterę figuræ tametsi variæ sint, omnes tamē serpentem referūt tortuosum. Quamuis igitur quæ priùs de funiculo dixi, facillima viderentur & simplicissima, sunt tamen magis vulgaria & plebeia, & longissimè remota ab illis arcanis quæ nobis cùm priscorum fabulæ, tum sermonis nostri architectus consideranda & diligenter expendenda proponit. Profectò non video quî nō vel pistillo obtusiores dici debeamus, si nec de serpentū natura, nec de Orphica theologia, nec de clarissimis vocum quibus serpens nominatur, rationibus ad eam tandē notitiam veniamus, vt serpentis figuram censeamus aptissimam ad Samecht exprimendum.

Hain.

VENIMVS modò ad litteram qua nulla eſt apud Hebræos magis dubiæ pronuntiationis. Plerique adſpirationem gutturalem eſſe dicunt. Nos, qui ſcimus ſingulis litteris ſuos eſſe peculiares ſonos, tametſi ab Hebræis & aliis pronuntiatio maiorem in modum ſit corrupta, dicimus hanc litteram gutturalem eſſe; illam quidem & reuera ex imo pectore proferendam, ſed minimè eam quam Hebræorum vulgus ſuſpicatur. Sonat enim G cum adſpiratione ex ipſo pulmone altiùs efflandum, quo noſtrates in fine maximè vtuntur; vt in Hoogh/ Oogh/ Doogh/ Boogh/ Wagh/ Hagh/ Lagh/ & ſimilibus. Nos tamen non ſemper adſpirationem addimus in ſcribendo, eo quòd ipſum G ita ferè proferatur, vt plerumque in ore plurimorum adſpiretur. Sic alij Gh, alij G ſimpliciter ſcribunt. Illud interim certum aurium eſt indicium, G in fine nobis ſemper ex præcordiis duci, atque idcirco G adſpiratum eſſe. Hinc Alphabetarius doctor huius litteræ nomen contra regulam & normam aliorum, quibus litteræ ceteræ vocantur, ſic conſtruxit, vt ſonus ipſius elementi, cuius nomen eſt, non in principio vocis, ſed in fine audiatur; quo videlicet nomen elementi naturam ſequeretur: qua re non animaduerſa, magna oborta eſt de litteræ huius poteſtate & pronuntiatione caligo. Certè hæc vna eſt illarum quæ ad orationem explendam in Alphabetum ſunt adſcitæ; cereroqui minimè neceſſaria, cùm eius loco Gimel cum adſpiratione pingi poſſet. In Geneſi עמרה hanc in principio litteram habet, & ab omnibus Gomorra effertur, nemine vmquam aliter pronuntiare molito. Eodem modo עתניאל Gothoniel proferunt. Nec quiſquam עזה aliter effert quàm Gaza. Santes Pagninus ſcribit, à pleriſque putari hanc litteram vocalem eſſe, quibus non aſſentitur; at ipſe interim pronuntiationem eius ſcripto tradi poſſe negat, quamquã in fine ah ſonare dicit. Sed quia apud Hebræorũ Grammaticos nihil certi eſt, nos altiùs è primis vocum originibus germanum eius ſonum eruamus. Primum itaque ipſius litteræ nomen conſideretur; quod Hebræi עין ſcribunt, & ab aliis Hain, ab aliis Aïn pronuntiatur. Hîc prima confuſio orta eſt ex eo, quem paullo antè commemorauí, oſtraciſmo; quo nimirum vocales excluſæ ſunt à principe vocum ſede. Nos vocalem poſtliminij iure in locum ſuum reſtituentes, Ogen legimus, puncti, quod ſub Iota eſt, nulla ratione habita; atque hac via oculos non oculum deprehendimus notari. Videmus itaque de peruerſa ipſius litteræ pronuntiatione & vocalis à principio repulſa, Hebræorum nomen à voce noſtrati corruptum eſſe, & è plurali ſingulare factum: niſi fortè per metatheſim legas עין In Og/ pro Een Og. Habent Hebræi aliud verbum quod excæcare ſignificat, עור, quod ſi vertas, Hofog/ id eſt, ſpolio ſiue orbo oculo nobis dicitur, vbi apertè Gh adſpiratum auditur. Ex eodem fonte עגב pro, amore mulieris inſamire: Oggaf/ id eſt, oculum adiiciebat ſiue dabat; è quo amoris exordium & faſcinatio. Siluoſam frondium denſitatem עבת vocant. Nos Hog wout dicimus, id eſt, altum nemus: quam etymologiam ſi locis illis applices quibus ſcriptura hac voce vtitur, non parum te ad eorum intelligentiam adiueneris. Apud eoſdem eſt מעגל pro tentorio: qua in voce Gimel ſuperfluum eſt. Eſt enim Mag-hal locus ſpatioſus, in quo ſimul cognati commorantur. Hinc Magàlia. Mag enim cognatus, & Hal locus quo vel homines vel merces ab aëris iniuria ſeruantur. Solent enim veteres ſub amplis tectis vnà cum cognatis commorari, cauſſa nimirum communis defenſionis. Mirum eſt quàm Hebræi lubenter voces noſtras retrorſum & pronuntient & ſcribant. Sic עיר pro Tuig dicunt, id eſt teſtificari, Tau in mediam litteram, quod frequens eſt, commutato. Idem verbum ponunt pro prædari, à noſtro Tog/ quo militaris expeditio denotatur. Eodem modo retrò pronuntiant עע, quod interpretantur iniquè agere. Nobis eſt Log/ id eſt, mentiebatur & fraudabat. Oblitus modò eram à Mag aliud vocabulum deriuari. Dicunt enim מעון pro habitaculo firmiore & tutiore, quod nos Mag-won/ id eſt cognatorum habitationem dicimus; quæ idcirco firma eſt, quòd numquam præſidio ſuo ſit deſtituta. Hîc Vau loco duplicis digamma poſitum eſt. Hæc etymologia non parum facit ad loca in quibus vox hæc eſt meliùs intelligenda. Rurſus aliud verbum occurrit præpoſtero ordine prolatum; & quo tribus tantùm conſonantibus abſoluatur, vna littera diminutum. עף enim pro Phlog/ id eſt, volabat, dicunt. Nos in deriuato Phogel pro aue dicimus ad diſcrimen Phlogel/ quo ala denotatur. Maluimus tamen digamma pro P adſpirato vti, vt ſit

Haïn litteræ pronuntiatio.

G littera in fine dictionum Cimbricarum pronuntiatio.

Hain ſiue Ain litteræ pronuntiatio corrupta.

Hebraica dictiones complures à Cimbricis per metatheſim, aut alio modo ſactæ.

Og.

Waut.

Magalia vnde nomen inuenerint.

Mag.

Hal.

Tuig.

Tog.

Log.

Vlog.

Voghel.

Vloghel.

Vlog & vogel & vlogel. Iam in עיר pro manè ſurgere & expergiſci, vnum Vau omiſerũt; quo addito & voce retrò lecta vrog habebis, vocem noſtratibus frequentem. עָבַר neſcio prorſum ne, an verſum legere debeam, quo ſeruire ſignificatur. Nam Go-bod bonum famulum ſignificat; & To-uog idem eſt quod accommodare & voluntati cuiuſpiam obtemperare. In עב pro craſſo, nos docent multa nobis vocabula obſoleta eſſe quorum olim frequens fuit vſus. Gof enim olim craſſum & impolitum notaſſe, Itali Gotiſantes ſatis oſtendunt, apud quos *Goffo* hactenus eſt in vſu. At עָבָה quo nubes notatur, alterius eſt originis, ab hog-wai ſiue hog-bai deriuatum, quo altus humor ſiue altum balneum denotatur: quo fit, vt mirum non ſit, vt pro imbre vſurpetur: in qua ſignificatione Prouerbiorum capite decimo ſexto vſurpatur. עָנַג pro delectari & deliciari à poſtica parte apprehendendum, à Genugt deriuatum, quo deliciæ & iucunditas denotatur, quam ipſi עֹנֶג dicunt: quod retrò lectum genog eſt. Præpoſterum etiam eſt ערב pro ſpondere & vadem eſſe & ſub pignore accipere. Nobis enim in hac ſignificatione Borg dicitur. Nec illud Hebræi ſciunt vnde עֶרֶב veſperam ſignet & Solis occaſum. Nos dicimus, Die Son bergt jhre/id eſt, Sol ſe abſcõdit. Veſpera ergo Berg dicitur, quaſi occultatio. Ab hac voce עָרַב ſua habent Iudæi deriuata, quæ nihil attinet recitare. Iam עָרַב etiam eſt protegere, à berg quod eſt protego. Hinc illud decimi ſeptimi capitis apud Iob intelligas: *Libera me & pone me iuxta te*; vbi vertendum erat, Et protege me. Eodem modo & illud in Pſalmo centeſimo decimo octauo, *Suſcipe ſeruum tuum in bonum*, intelligendum eſt. Alij verterunt, *Sponde pro ſeruo tuo*. Nos, protege, interpretamur. Eſt enim nobis diſcrimen inter borgen & bergen. Porrò עֲרָבָה pro deſerto, eſt à noſtro berg pro monte & ſilua, eo quòd in his homines ſeſe abſcondant. Sic lupi deſerti, lupi in ſiluis & montibus intelligantur Sophoniæ tertio, vbi lupi veſperæ tranſlatum eſt. Numerorum triceſimo quinto, campeſtria Moab, montana & ſilueſtria Moab de noſtra lingua agnoſceremus; aut illa ſaltem loca quæ idonea ſunt ad occultandum tegendumque, quales etiam ſunt inuiæ arenæ. Et Pſalmo ſexageſimo ſeptimo, *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum*; nos intelligeremus per montana aut ſiluoſa. Hinc Arabia עֲרָבָה dicta, quia regio ſit aptiſſima ad occultandos homines, tum propter montes, tum propter ſolitudines inuias. Inuenitur hæc littera pro Cap nonnumquam poſita, vt facilis eſt è media in tenuem, & contrà tranſitus. Hinc עֵרִיץ fortem vocant & robuſtum, quem nos ſterc nuncupamus. Eodẽ modo עֵץ pro ligno vſurpãt; nos ſter dicimus pro exigua ligni parte. Apud coſdẽ eſt לוּץ pro abſorbere, & לוּעָה pro gula: vbi clariſſimè cernis, noſtrum Gul exprimi; quod ſignificat intemperanter deuorare: vnde gulſich pro guloſo. Dicitur autem gul quaſi gat vul, per conciſionem: id eſt, foramen impleo, quæ noſtra phraſis idem valet ac ſi dicas, totam corporis cauitatem impleo. Gat enim & pro gula & pro podice vſurpamus. At verò cùm doctores Hebræi לוּץ pro loqui ponunt, ad noſtrum Logen/id eſt mendacium, & λόγος Græcorum alludunt. Verùm ne quis putet, Hebræos ſemper præpoſteros eſſe, & cancros imitari, addam & recta aliquot exempla. עָבַר tranſire ſignat: nobis ga-ouer ſiue ga ober dicitur. עָבַר pro iraſci. Geber nos dicimus pro furere ſiue clamore incondito ſæuire more vrſorum. עִין habitationem ſignificat: nobis gewon. עִיר pro hoſte, à noſtro Ger, quo bellum apud maiores noſtros notabatur: vnde German & Gerra. In עָוָה pro peccare, littera de qua agimus pro C vel Q ponitur litteris cognatis, à Cuado ſiue Quado, id eſt, malum facio. עֵז capra: nobis geit, Allemanis geis. עֵת tempus: nobis geti pro tempore opportuno. עֵט euerſum eſt à tect ſiue tecken, id eſt, noto & ſigno. qua voce ſtylus & calamus ſcribentis notatur. Hebræi hìc ſe fatigant in ratione nominis quærenda. Nec deſunt qui à עָטָה deriuent, quod ſignificat cooperire. Nihil enim tam ineptum aut abſurdum cuius eos pudeat. Eſt autem עטה miſerè corruptum à Det noſtro, quod eſt cooperio. Latini, dum Tego dicunt, Hebraiſant. Dum עוּל pro lactare dicunt, Græcis vel ſuccinunt, vel ſunt coryphæi: quorum vtrum ſit mea non refert, ſatis eſt videre; hanc noſtram litteram quam nemo hactenus bene nominauit, pro G poni, Latini lac dicunt à Let noſtrati, quod eſt lingere & lambendo ſorbere. עוּג ſub prunis, vt volunt, coquere ſignificat. Quicquid eius eſt, quiuis facilè perſpicit, verbum à noſtrati Coeg ſiue Coet factum eſſe, quo libum ſignificatur. Nec aliunde origo eſt quàm à Coc: à quo Germani ſuperiores Coch dicunt, adſpiratam pro tenui ponentes; quæ eiuſdem ſoni ferè eſt cuius littera in quæſtionem vocata. In עוּץ pro ordinare ordinem litterarum

Vlog. Gof. Goffo. Genugt. Borg. Berg. Borgen. Bergen. Stere. Ster. Gul. Gulſich. Gat. Logen. Ga ouer. Geber. Gewon. Ger. Gerra. Quado. Geit. Geis. Geti. Teec. Teecken. Det. *Lac vnde dictum.* Let. Coec. Coc.

teratum seruatunt. Nos gussen & gissen dicimus, & Metter gis, id est, cumulatè. עץ apud Iob congregatio quædam stellarum esse dicitur. D. Hieronymus Arcturum vertit. Nobis Gas plateam publicam significat, & idcirco non displiceret si via lactea hoc nomine intelligeretur, quandoquidem alia via nulla in cælo stellis consignata est. עצף pro defitio, est à nostro Gat-aph deriuatum, quo idem denotatur. עטף vespertilio dicitur, quòd in foraminibus occultis vitiat, à nostrati Gate-lef. עט autem generatim interpretantur: cuius vocis nullam inueniunt originem. Mihi non leuis suspicio est, à nostro Gier corruptum esse, & ex hac Hebraica voce Græcos vlterius γὺψ fecisse: quo fit, vt vulturem hac voce intelligam; quæ significatio optimè in ea loca quadrat in quibus huius vocis vsus est. עלה pro adscendo, à ge-hel vel ga-hel, eo in altum. Eodem verbo pro curare & sanare vtuntur: quæ notatio à nostro verbo geheel venit, quod est sano & curo: ita frequenter duorum aut trium nostratium verborum significationes in vno suo verbo confundunt; vnde tanta apud eos ex homonymia obscuritas. Significat etiam sacrificare; in qua significatione versum videtur è nostro Heilig, id est, sacrum facio. Iam עלית cubile est vel cœnaculum, à nostro Heleg vel Helag, id est, ab alto discubitu. עלח item cogitatio occulta. Vnde Ezechielis vndecimo: *Et cogitationes cordis vestri ego noui.* Hæc notatio est à nostro ge-helen, id est, occultum, ab hel, quod est occulere. Ge, vt in multis aliis, superuacaneum. Significat præterea עלה maculare, à gal nostrati, quo macula & scabies notatur. עלית femur, primi Regum cap. nono Hebræi interpretantur: nobis ha-leg id est altum crus. Leg enim crus est, Britannis hactenus in vsu. תעלה pro aquæductu ponunt, ordine præpostero à nostro hel-got, quo altus canalis denotatur, quales plerique sunt aquæ ductus. עלם occultare, celare, abscondere, ab Og-lem, quod est ab oculis celare. Mel enim aperio, Lem occulto. Quòd si magis placet ge-lem, licet dicas prosthesi nobis familiari. עולם sæculum, geholem. Vide quæso quàm litteras suas confundant. In eadem significatione dicunt, nimirum pro lætari עלז & עלץ; quasi inter x, s & st nullum esset discrimen. Origo horum in postremo verbo sese prodit, quod clarissimè cernitur in nostro gelust fieri. Lustig lætus & hilaris dicitur. Het gelust mi, id est, mihi hoc volupe est. עלץ lambere, gelec & lec nos dicimus. Quòd autē ge frequenter citra necessitatem addant, id inde fit, quòd radices suas à præterito ferè deducant, in quo gelect nos dicimus. עמת socius & proximus, gamit, id est, vnà vadens: vulgus barbarè, vade mecū, vocat: vel gemit, id est, is quem bonum sit vnà habere secum: vel fortè à gemet, per ge redundantem syllabam. Maet enim & Met Zelandico more socius est. In עמף pro herba metathesis est. Nos gewes siue gewas dicimus pro quauis crescēti planta. עשר ditare, diuitias habere. Nos Go star pro bonorū collectione dicimus. עתר orauit, significat; vnde Latinorū Rogat per metathesim; vbi G itidē clarè videtur: quod verbū videtur originē habere ab Eertog, id est, honorē ostendo: quòd princeps orationis pars sit, eum quem rogas honorare. Posset alia ratione ad linguam nostrā reduci, sed hoc hîc non agimus; satis sit ostendisse, quæ litteræ de qua quærimus, sit pronunciatio. Nihil æquè Hebræorum linguam corrupit, atque illa superstitio, qua radices suas tribus vt plurimùm consonantibus includunt: quod aliquo tamen modo tolerari potuisset, si primarias vocū sibi sumsissent: at nunc contrà res habet. Videas enim, vti modò dixi, apud eos Ge, cuius voculæ præpositæ adiumento præterita perfecta formamus, frequenter contra omnem rationem vocibus adiectum; quarum vt aliquot commemoraui, ita restant quamplurimæ, non in hac modò littera, sed in cognatis etiā Gimel, Chet & Iod, quod pro Gimel non rarò vsurpatur in hac linguæ corruptela. Sic עד, & aliquando עור idem est quod in æternū, à ge oid, siue ge-oot, id est, ad æternū, siue in æternū. Nobis hîc non est ge necessarium. Oid etiim & oot dicimus pro perpetuo. Sic in עבר pro trans siue vltra, ge superfluū est, quamuis in עבר non sit superfluum. Ga ober enim transeo est, sed ge ober nō dicimus, nisi pro, vsque ad illa quæ vltrà sunt; ad verbum, vsque vltrà. Ober solùm vltra & trans notat. Nec opus pluribus exemplis, cùm hæc corruptela latissimè grassetur. Quis non rideat dum מעבור pro idcirco audit, quod nos warbi dicimus, vel warober. Ad alia. ערן pro deliciis abundare. Nos dicimus go doen, vt, Hi is in go doen, id est, res ipsius bene habent; &, Hi heuet go doen, id est, vitam agit facilem, nullisq. difficultatibus impeditam. Sic hortum ערן siue Paradisum nos dicere possemus, den hof van go-doen. ערר erigere vertunt, alij sustentare. Etymologia manifesta. Go—doot enim idem est quod beneficium in

Gussen. Gissen. Gis. Gas. Gat-af. Gate-lef. Gier. γὺψ. Geheel. Heilig. Helag. Geholen. Hel. Gal. Leg. Hel-got. Oglem. Mel. Lem. Gelust. Lustig. Gelec. Lec. Maet. Gewas. Gear. Eertog. *Hebræorum linguam quid maximè corruperit.* Oid. Oot. Ober. War bi. Go doen.

Toog. quempiam conferre. עָרָה, pro ornare præpoſterum eſt à Toog/ id eſt, ornauit ſe, ceu dicas, ad oculum ſe parauit; vt Si heeft haer opgetoogt/ id eſt, ipſa ſe egregiè ornauit. עֶדִי & עֲדִי pro ornamento; nos Tuig dicimus & getuig. עָבַר pro tranſire, à noſtro Tog/ id eſt proficiſcebatur. Eodem verbo pro aufero vtuntur; & hac ratione eſt à noſtro Tog pro traho. Sic dicimus: Hi togt mi dat af/ id eſt, auferebat id à me. Hinc wt tog/ id eſt, exuebat. עָרַר pro priuare & deeſſe, Ge habet ſuperuacaneum, & digamma caret. Derf idem eſt quod careo. עָרַף pro excedere eſt, à noſtro God-hop deriuatum, quod ſignificat bona coaceruo. Sic Exodi decimo ſexto vſurpatur, vbi dicitur iis non maiorem aceruum fuiſſe qui plus collegiſſent. יַעַר Chaldæis lignum ſignificat: nobis Hag dumetum ſignificat, non vnum, ſed multa ligna complexum. בָּעַל pro dominari, & בַּעַל pro domino tranſlatum, à Bog-al/ id eſt, facio vt omnia ſeſe mihi incuruent & inclinent: ceu dicas, omnia genua mihi curuantur, & omnes ſeſe coram me inclinant. Hinc non malè marito attribuitur, cui ſe vxor ſummittit. Nec malè omnino dicas, ſi à Bog-al deriues; quod ſignificat omnia diſpono. Prior notatio Idolo magis conuenit quod בַּעַל dicebatur. בָּעַר pro ardere, à Blaker ſiue Blacker/ quo ſignificatur flammæ vibratio & incendij maior vis: Hîc y pro Cap ponitur, littera tenui. בָּעַר pro electione vel electo: quis dubitat quin idem ſit cum Begert/ quo deſideratus notatur? בָּעַר autem pro ſtulto; nos Wager dicere poſſumus, quo propriè temerarius ſignificatur, qui omnia fortunæ committit. Sic dicimus: Ic ſalt wagen/ id eſt, Ego rem caſui committam, ſiue periclitabor. Wager igitur qui temerè res omnes caſui committit. Wagt etiam ſignificat ſuccuſſare, & ſurſum deorſum agitare. Hinc בָּעַט pro exagitare; vt primi Regum decimo ſexto dicitur: Exagitabat eum ſpiritus. בְּעִיר iumentum vocant: nobis Be-ger congregationem veterinorum animalium ſignificat. Eodem modo Latini à Ger quod eſt congrego, Grex fecerunt, quaſi Ger-erht verterent, quo ſignificatur ipſum illud quod proprie & præcipuè inter res omnes fas ſit colligere: vel, quod eôdem tendit, Ge-rerht/ id eſt, iuſta & recta congregatio; quia nimirum fit citra ablationem, ſola procreatione numerum augente. Vide confuſionis linguarum affinitatem. בָּכָה pro lacrymari, neſcio an à Dom-og/ an ab Og-mat/ an Og-mod deriuare debeam. Illo primo denotatur, condemno oculum, vel obtundo oculum: altero, oculum fatigo: tertio, oculum humecto. Conſtat interim ab Og pendere rationem. יָדַע ſcire, noſſe, manifeſtare. Pro ſcire eſt à Dagt/ id eſt cogitabat: pro manifeſtare, à Tog, id eſt oſtendo. דַּעַת ſcientia, doctrina potiùs ſiue manifeſtatio, à Tog/ quod eſt oſtendo. Significat etiam יָדַע cognoſcere carnaliter, vt noſtri loquuntur, & in eo ſignificatu eſt à Go-doi/ id eſt bono afficere & voluptate. יָעַר conſtituere tempus Dag. Hinc principum conuentus hac voce indicatur, quòd non niſi ſtatuto priùs tempore conueniant. Sic: Ecce Reges terræ congregati ſunt: hinc præpoſito Mem de Hebræorum more מוֹעֵד pro tempore ſtatuto. Confer hoc etymon cum locis Bibliorum, & cernes quàm rectè congruat. Ponitur etiam pro feſto. Verùm יָעַד pro deſpondeo, fit à Gait/ quod eſt coniugat & matrimonio iungit. En cauſſas homonymiæ. יָעַר amouere, à Jag/ id eſt, fugo. יָעַז impudentem vertunt Chaldæi נָחָךְ & procacem. Get nobis idem eſt quod derideo: vnde get pro morione & ludione. Hinc Gets mer/ narratio illuſorum & ludionum. Hinc יָעַר Gets per metatheſim. יָעַל prodeſſe, à Gelt: ſic dicimus: Dat en gelt niet/ id eſt, nihil valet, &: Het gelt/ id eſt, valet & vtile eſt. יַעַן eo quòd, propterea: nobis Na/ & alij Nag/ id eſt, Poſteaquam, Quoniam. יָצַע ſternere interpretantur, cùm ſit potiùs exſtruere & exaltare. Hinc יָצוּעַ D. Hieronymus tranſtulit tabulatum. Græci στέγας vocant, vnde δίστεγα & τρίστεγα à noſtro ſteg/ quod eſt exaltabat. Nos pro ſtegis ſtagien dicimus. יָעֵר deficere, vacillare. Mogde nobis defatigatio eſt, & Mog defatigatus. יָעָה viſcera, venter: nobis Mag. מעט pro minuere & minus reddere, venit à Menet/ vbi y pro כ ponitur. יָעַט clamare reddunt: nobis Pog ſignificat enitor. vnde Eſaiæ quadrageſimo quarto: *Sicut parturiens clamabo*; fortaſſe vertendum: Sicut parturiens enitar & conabor. פָּעַל ex eodem fonte manat, pro Het pog/ altum aliquid molior, tametſi Hebræi originis ignari, generatim pro operari vtantur. פְּעֵרָה quidam ſcutellam vertunt. D. Hieronymus acetabulum. Ego aquarium vas fuiſſe credo, tum ad manus lauandas, tum ad vinum miſcendum. Nam maius deſcribitur, quàm vt acetabuli vſum præbeat. Appendebat enim centum & triginta ſiclos argenti, id eſt, quinquaginta libras & quinque vncias, quod pondus ſatis magno aquario vaſi ſufficit. Nos Aker dicimus. vnde hodier-

Tuig. Getuig. Tog. Tög. Derf. Yag. Bog. Bog. Blaker, Blacker. Begert. Wager. Wagt. Be. Ger. *Grex vnde nomenclaturam acceperit.* Wagt. Tog. Wag. Gait. Jäg. Ger. Gers-mer. Gelt. Na. Steg. Stagien. Mogde. Mog. Mag. Menet. Pog. Aker.

nis Gal-

nis Gallis *Begieri*, qui linguam nostram corrumpendo, propiùs ad Hebræos accesserunt. Græci tryblion verterunt, cuius pondus septem vncias & dimidiatam explet; tanto quidem melius, quanto hæc mensura oxybapho siue acetabulo maior est: sed nihil ad rem, cùm Hebraicum illud vas quinquaginta libras & quinque vncias appendens, longè maioris capacitatis fuisse fateri debeamus, nisi in maxima argenti massa exiguam capitatem nobis comminiscamur; veluti si quis in columna superne hemisphærion excauet, ad horas Solis obiectu demonstrandas: quod Numerorum capiti septimo, nec Exodi vicesimo quinto vllo modo potest conuenire. Hîc cernere licet, quanti sit, vetusta vocabula more nostro pronuntiare. Hebræi nec vocalem in dictionis exordio ferunt, nec quæ sit litteræ huius controuersæ pronuntiatio nouerunt. רעב esurire, & רעב fames, à Begget/ id est, panem desidero; quod proprium est esurientis. Non mirum igitur, pueros ablactatos in Ægypto beg siue bet poposcisse; quando omnes Iudæi dum esuriunt, se fateantur beg desiderare. רעה pascere, alere. Ge-uoer/ id est, do vel dat pabulum. Vau elisum, quo He vanissima apud Hebræos littera accederet: Cùm pro Regere ponitur, descendit à Reg/ quod est Rego. A רעע pro confringere Græci habent ῥήγνυμι à bret/ quod est rumpo, profligato Bet, quo superuacaneum He locum inter tres consonantes haberet. Mirum est quàm Græci Hebræorum corruptelam lubenter in quibusdam æmulentur. רעען virens reddunt. Groen nobis. Bella sanè metathesis. Vt autem hîc Nun vnum est superfluum; ita nescio qui Pe in locum Nun successerit in רעף, quo irrorare & stillare significatur; cùm clarum sit, verbum hoc à nostro Regen venire, quod est pluere. Credo beregen/ quod est compluo dicere voluisse, & loco Bet Pe pronuntiasse, quod non est rarum. Rursus elegans litterarum, si Mercurio placet, transpositio, dum עיף pro Gepeis ponunt, id est, pro cogitatione; & עיר, quod est formidare pro Soig. Lubenter etiam Hebræi sibilant, & ea causa in עיעים, quod est delectari & suauitate perfrui, Tau in Sigma verterunt, licet puncto suo dextro pronuntiationem corruperint. Verùm nos punctorum nullam rationem habemus. Sagt molle nobis significat. vnde Sagtig. In רעב quod abominari vertitur, Lamet abiectum, ne quatuor essent consonantes. Nobis Vlort/ Allemanis Flucht pro exsecrat. Ceterùm iam satis & plus quàm satis de litteræ huius pronuntiatione: & disperearn, nisi stomachus meus iam nauseet ad hanc stribligînem corruptissimam. Miror interim tanto sæculorum interuallo verum huius elementi sonum apud omnes latuisse; & vix tria aut quatuor in totis Bibliis extare rectæ pronuntiationis exempla. Quòd si mihi eadem in lingua Hebræorum ad veras primæ linguæ radices reuocanda libertas daretur, quanta fuit in corrumpendo confundendóque licentia; non solùm voces in quibus hæc littera reperitur, sed vniuersim omnes reducere possem ad sermonis nostri puritatem. Equidem in hac corruptela examinanda maiorem hominum opinione capio voluptatem, dum clarissimè cerno, eam non tempore & longa mala loquentium consuetudine inuectam esse, vti factum in Italico, Gallico & Hispanico sermone animaduertimus, sed prorsus diuino miraculo. Vnde enim alioqui tot præposteræ pronuntiationes, quas nulla vmquam consuetudo in illis peperit linguis quę ex gentium mistione à prisco suo nitore declinarunt? Tempus nunc est, vt litteram, quam nemo hactenus post primos illos magistros germano suo sono vocauit, germano nomini restituamus & vindicemus. Nuncupabimus ergo eam Hooghen: qua in voce, Hain/ quod posterius auditur, coniunctio est; non magis ad litteræ aut naturam aut nomen faciens, quàm Het in Dalet. Additur enim ad orationis complementum, cui hæc vocula necessaria est. Hoogh altum nobis signat, à quo Oog pro oculus. Latini ab Oog-lin/ id est, ab ocello, oculi nomen videntur habuisse. Hebræi, vti dixi, è plurali nostro numero, Oogen fecerunt, sed à plurimorum sæculorum decursu nemo vocem bene pronuntiauit. Nec maxima ratione caret, quòd ab Hoog ab alto nomenclator Oog deduxerit, & solo tenui spiritu voluerit fieri distinctionem, quæ nec ipsa quidem semper obseruatur. Quemadmodum enim Oor/ id est, auris ab Origine nomen accepit, vt moneremur, nihil audiendum nobis esse, quod non ad originem primam referatur; ita oculus ab alto nominatur, quo semper memores simus, ad hoc oculos nobis datos esse, vt excelsa perpetuò contemplemur. Crebrò tradere memini Het/ Hoo/ & Hoog eiusdem esse notationis; hîc addendum, in Hoog vim quandam significationis esse maiorem, quæ littera hac ex altis præcordiis expectoranda denotatur, ceu diceretur, excelsum ad

Beg. Reg. Bret. Groen. Regher. Gepeis. Soig. Sagt. Vlact. *Hain siue Ain littera germanum nomen.* Hoogh. Oog. *Oculi etymũ.* Oor.

quòd ſuſpirare debemus, & ſpiritu ferri ex imis viſceribus emiſſo. Verùm quando hoog in hac oratione non quamuis notat ſublimitatẽ, ſed eam dumtaxat quam quiuis homo rationis compos in ſe deprehendit, quænam hæc ſit, conſiderare oportet. Sicut nullus ſenſuum exteriorũ altiora percipit quàm viſus, ita in toto homine nihil eſt quod ſublimiùs adſcendat, quàm mens & vis intelligendi. Hæc igitur in nobis ſublimitatis nomine capienda, & vt oculus datus nobis eſt, vt altiſſimũ eorũ quæ videri poſſunt, intueamur; ita mens noſtra ſemper contendere debet ad ſupremũ eorum quæ intelligi poſſunt: & quicquid aliorũ intelligit, ad altiſſimum referre. Quemadmodum item oculi officium eſt altum ſpectare, ita mẽtis partes ſunt, vt excelſiſſimum eorum contempletur quæ in ipſius cadunt captum. Nec minus id in noſtrati mentis nomine expreſſum eſt, quàm alterũ illud vernacula oculi nomenclatura demonſtrat. Siel enim compoſitũ eſt ex Si & el, quorũ illud video ſignificat, hoc altiſſimum. Docemur itaque ipſo mentis noſtræ nomine, hãc noſtri partẽ altiſſimam eſſe, vtpote eam quæ altiſſimũ poteſt videre. Nam videre & nouiſſe altiſſimum nequiret, niſi cùm altiſſimo haberet cognationẽ; eo quòd ex Platone didicerimus, inter cognata dumtaxat notitiam verſari. Cognationem hanc ſacra Moſis hiſtoria declarat, aiens hominem ad Dei ſimilitudinem factum eſſe; quod Ouidius elegantèr expreſſit ad hunc modum:

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Decrat adhuc, & quod dominari in cetera poſſet.
Natus homo eſt, ſiue hunc diuino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo,
Siue recens tellus, ſeductaq; nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina cæli,
Quam ſatus Iapeto miſtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
Pronaq; cùm ſpectent animalia cetera terras,
Os homini ſublime dedit, cælumq; tueri
Iußit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

In his enim verſibus & oculorũ vſum, & altam mentem audimus, & vnà videmus, hominem ad effigiem Dei formatum eſſe: quæ vt mirifica in hoc vate videri queunt; ita longè maiorem facit admirabilitatem, quòd hæc omnia nomenclator noſter ſolis duabus voculis monoſyllabis & cõprehenderit breuiſſimè, & clariſſimè explicarit. Siel igitur ſiue mens illud altũ eſt, cuius hîc audimus mentionẽ, eo quòd hac ſola ipſum altiſſimum conſpicari queamus, vti nomen declarat. Nec verò quicquá altius eſt, quò homo peruenire poſſit, quàm hoc ipſum quod hoc nomine Siel deſignatur; ita vt eo ſimul & propriũ & ſupremũ mentis officium, & ſimul ſummũ bonorum clariſſimè explicetur. Nullis vmquam verbis aſſequi poſſem, quanta voluptate animus meus perfundatur, dũ de vocũ huius generis excellentia cogito. Quas ego gratias ſatis magnas, non dico agere, ſed habere queam huius ſermonis architecto, in quo vna vocula plus abditarũ rerum & ſolidæ veritatis, quàm ingentes philoſophorum codices recludit. Numquam non optarem vel Demoſthenis vel Ciceronis eloquentiam, vti pulcerrimũ hominis ornamentũ; verùm numquam tanto eius deſiderio tangor, quanto tum, cùm aliis ſignificare ſtudeo quis ſit animi mei ſenſus in eiuſmodi vocibus, qualis Siel eſt, diligenter conſiderandis. Diſpeream niſi me ferè pudeat illius admirationis, in qua Platonem & Ariſtotelẽ prius ſoleo habere quàm ad hanc vocum & rerum in qua nunc verſor, magiam admiſſus fuiſſem. Diſertè illi quidem & acutè de hominis officio, de ſumma felicitate, & iis omnibus quæ hùc ſpectant rationes colligunt, & multos libros replent; verùm ſi hæc omnia in vnam veluti maſſam conflata, vni lanci; & alteri è regione ſolam voculam Siel imponas, & vtra res altera plus ponderis habeat examines, deprehendes, ni fallor, immani diſcrimine ab hac illam eleuari. Habent Latini nomen mentis, elegantiſſimam illam quidem vocem, ſed cuius vim nemo hactenus intellexit: tametſi nõ defuerint qui quo aliquid dixiſſe viderentur, mentem ab eminentia nomen accepiſſe contenderent. Sed miſſis nugis, nos veram nominis rationem, quam ſæpius indicauimus, repetamus, quò certius conſtet, quænam illa ſit hominis ſublimitas, quam orator noſter nollet belluinæ naturæ alligari. Men idem quod duco eſt & dirigo. vnde Min amor, ſubtiliſſimũ

Oculi & mẽtis ſimilitudo, & vtriuſque officium.

Siel. Si. El.

Mentis in homine præſtãtia.

Mentis etymon. Men. Min.

omniũ eorum quo omnia ducũtur. Propriè enim dixit Maro: Illos ducit amor, vt in Iod dixi. Ab eodem men fit mein pro opinor, eo quòd vulgus hominũ à prima origine carnis impulsu degenerãtes, sese ferè sinant opinionibus duci. Ab eodẽ deriuatur man pro viro, cuius proprium officiũ est, vt & se & cetera omnia ducat. Latinis Mino ab eodẽ remanfit. Iam & homo non aliunde nomẽ in vernaculo nostro sermone sortitur. Menſch enim, quo homo designatur, idẽ est ac si dicas, men-ſich, id est ducẽs seipsum. Solus enim homo inter omnia animalia suæ spontis est & liberi arbitrij, voluntate ad nihil coacta seipsum ducens; qua in re totius moralis Philosophiæ fundamẽta consistunt, vt non malè ab Aristotele docetur. Facessant igitur hinc illi impietatis magistri, qui dũ quippiam peccatur, non homines peruersos, sed fata criminantur. Dum nomen menſch audimus, Adamũ nos audire putemus concionantẽ; immo ipsum Spiritum sanctũ vt vocabuli, ita huius sentẽtiæ laudemus auctorẽ. Vide, quæso, quàm multorum insaniẽtium hominum vna vocula obturentur ora; cuius doctrina tam est antiqua, quàm antiquũ est genus mortaliũ: de qua Plato verè dicere potuisset, hũc lucidissimũ ignem primùm à Deo ad homines venisse. Videmus itaque hominis officium proprtiũ esse & peculiare, vt seipsum ducat; è quo mox intelligitur, duo necessariò in homine reperiri; alterũ quod ducat, alterum quod ducatur. Quid igitur illud est quod ducit? Intelligentia nimirum; & idcirco hæc pars hominis suprema est & altissima, & propriè menſch vocata. Hinc factum, vt apud Latinos mens pro menſch elatum, eam hominis partem significet, cuius officiũ est, vt hominẽ ducat ac dirigat. Dux igitur hominis mens esse debet; & nisi sit, homo menſch dici nullo modo potest. Quid autẽ in homine tale est, vt veluti pecus duci debeat? Bruta enim animantia & iumenta propriè minantur, si communẽ loquendi consuetudinẽ, pro eo ac debemus, sequi velimus. Nempe ea pars, quæ haud secus ac pecudes rationis expers, est perturbationibus & cæca libidine temerè rapienda, nisi agasonẽ sortiatur. Intelligendi igitur vis hanc rectæ rationis freno minare debet, si mentis & nomen & officiũ bene velit tueri. Quòd si non minet, sed se vnà rapi sinat, veluti Phaëthon quidã, similẽ se reddit domino seruorũ imperiis subiecto: ac deinde nisi sese ab hac iniuria vindicet, & in libertatẽ pristinã asserat, perpetuis vinculis à seruis suis detinetur. Scimus igitur nũc quod sit altũ illud in homine, quod in oratione nostra Hoog vocatur: & scimus non è coniecturis, non è fallacibus Philosophorũ conclusiunculis, non è vulgi opinionibus; sed ex ipsa Spiritus sancti doctrina, quã primus homo nomine menſch consignauit; quo æternæ posterorũ memoriæ traderetur. Porrò si hoc nomen Homo, quo Latini vtuntur, ad originẽ voces, cernes item altũ quiddã & excelsum in hominis natura esse debere. Homoet enim, à quo vox Homo, altum & excelsum animũ significat; qui in illo esse non potest, qui se sinit à iumento suo, quod minari debet, superari, atque à rectæ rationis via vel rapi vel abduci. Restat nunc, vt cõgrua aliqua imagine hanc hominis sublimitatẽ oculis intuendã proponamus. Hac in re nisi nomenclatoris vestigiis hærẽtes, vocalia ipsius symbola imitemur, à recta hieroglyphicorum ratione longè aberrabimus. Cùm igitur is altũ suũ, siue hominis sublimitatẽ in oculi nomine potissimùm voluerit apparere, & omniũ auribus offerri, non rectè fecerimus, nisi & oculũ ad picturæ partes vocemus. Verùm quia oculus

Mein. *Man.* *Menſch.* *Liberum arbitrium.* *Fata non criminanda.* *Hominis proprtiũ officium.* *Mentis in homine officium.* *Hominis etymon.* *Homoet.* *Hain littera figura.*

non

non ſemper eo fungitur officio à quo nomen habet, ſic erit delineandus, vt hoc ipſum agat, à quo ſermonis architectus eum voluit nuncupare. Pingendus ergo ad eũ modum, vt aſtra intueatur, & non intueatur tantùm, ſed intueri ſe oſtendat, vt menti materiã ſuppeditet, & exordium, è quo ad altiſſimum cognoſcendũ queat peruenire. Id fecerimus ſi oculus non ſolùm ſtellas ſpectet, ſed certa aliqua ratione metiatur; quo videlicet ex earũ interuallis ſæpius animaduerſis, certior fiat motuum, & eorum quæ ex ipſis colliguntur. Hac enim via Ariſtotelem & alios Philoſophos ad vnius Dei cognitionẽ videmus adſpiraſſe; & hac parte oculorũ ductum ſecutos, ad excelſiſſimum pertigiſſe. Antiquiſſimum autem eſt & ſimpliciſſimũ ad aſtrorum dimenſionem comparatũ inſtrumentum, quod longo baculo cõſtat, cui breuis alter tranſuerſus ſic aptatus eſt, vt ſurſum deorſum volui poſſit ad lineas è ſemicirculi partibus ſigillatim acceptas in longiore annotandas, è quibus ſtellarum interualla per gradus & graduum minutias deprehendũtur. Virgilius radium vocauit; vel quia ſtellarum radios per hunc oculis excipimus, vel quia eodem modo ſemicirculo, dum fieret, fuit ineluſum, quo radij in rotarum orbibus continentur:

Radius apud Virgiliũ quid.

——cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent. Et alibi:
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

Bene profectò orbem radio deſcribi dixit, eo quòd locorũ & latitudo & longitudo radio optimè deprehendantur: quod ſi non ex aliis, at ſaltem è nauium gubernatoribus diſcas, qui ad rectum curſum tenendum, frequenter radio vti coguntur: quod dum faciunt noſtrates, ſe dicunt ſagittam in cęlum mittere, eo quòd radius relatus ad portionem circuli quam metitur, ſic ſe habeat, vti ſagitta in arcu conſtituta. Maiores igitur noſtri arcus & chordæ habita ratione, radium ſignificantiſſimè Pil vocabant, id eſt, ſagittam: atque hinc Pilot dictus eſt primarius gubernãdi magiſter, eo quòd totũ ipſius officiũ radio & bolide ferè abſolueretur. Bolidem enim nomine Loot/ quod plumbum ſignificat, intelligebãt. Itali, Hiſpani, Galli communiter hac voce vtuntur, ſed quæ vocis ſit vel origo vel propria ſignificatio, nemo eorũ explicabit; non magis ſanè quàm cur ventorũ nomina, quæ magnetis pyxidi inſcribũtur, eas habeant, quibus vtuntur naucleri, nomẽclaturas. Quando igitur radius antiquiſſimũ eſt & facillimum paratu inſtrumentũ ad aſtrorum interualla dimetiẽda, ſic oculũ pingemus, vt per hoc ipſum duas ſtellas intueatur, tráſuerſo bacillo rectos viſionis radios diſpeſcente, & duabus ſtellis vtrimq. radios ab oculo progreſſos terminantibus, atque ita infernè oculũ dextrum obliquum & limum, ſupernè duas ſtellas littera habebit, radiis ab oculo ad ſtellas productis. Non malè itaque Hebræorum figura ipſi Hoogen litteræ congruit. Apud Grẹcos Gamma minus ita pingitur, non paruo argumento, olim apud Græcos hanc litteram Gamma adſpiratum fuiſſe: quo in principio non vſi fuiſſent antiqui, ne ſemel ex imis præcordiis ſpiritu educto, ſequentes litteras minùs aptè & commodè pronuntiare poſſent, ceu expectorando fatigati.

Pil.
Pilot.
Loot.

Pe *ſiue* Phe.

Pe littera vis & natura.

QVAMQVAM de huius litteræ Pe natura & indole non in aliis modò, & præſertim in Hermathena; ſed in his etiam Hieroglyphicis commentariis tractaui, locus tamen hic vt cadẽ repetantur, poſtulat. Sermonis noſtri opifex eius vſum iis notandis aſtrinxit, quæ terræ quàm maximè figerentur. Inde Plant/ quaſi Pe-lant/ eſt quippiam terræ committere vt creſcat. Sed in Hermathena ſatis eſt exemplorum, è quibus & pronuntiationis proprietas, & nomenclatoris ſententia perſpici poſſit. Pe igitur & Phe olim pro pecude vſurpatum inuenimus, vti Latinum vocabulũ Pecus declarat. Nos, quo diſcrimẽ aliquod eſſet inter ea quæ ſpirãt, & inter ea quæ non ſpirant, Pe pro radicibus maximè veſcis; Phe pro brutis animãtibus vſurpamus: & lenioris ſermonis gratia, non rarò digãma ſimplex, cognatã omnino litterã, loco Pe & Phe ſupponimus: quod & antiquos feciſſe argumẽto eſt, Veterinũ à noſtro Vetering/ quo ſignificatur alimentũ è pecude ſiue pecus, alendis hominibus deſtinatũ. Succedit etiam nonnumquam alterũ digamma, quod Quintilianus ferinam litteram eſſe dixit, quæq. in fera exordiũ tenet. Hinc Februa, cuius Becceſelana dederunt interpretationẽ. Hoc digamma, iuxta propriam ipſius ſoni naturam, nos ad deſpuendũ vti ſolemus, vt patet dum Fi pronuntiamus: vnde arbor illa cuius vetito fructu primi noſtri parentes pecudes euaſerunt, Feig nominatur, ſiue Feig boom, quo fructus

Plant.

Pe ſiue Phe vocis ſignificatio.
Pe.
Phe / Pe.
Veterinum.
Vetering.

F, ferina littera.
Fi.
Feig.

Feig/

Ϝεῖς/arbor generis nomine adiecto intelligatur. Contrariũ ipsi Ϙε est Ερ/ipsi Ϝε Εϝ/siue cum adspiratione Ηερ & Ηεϝ: in quibus adspiratio accedens, vnius temporis locũ occupat; atque ita ex Ϙε & Ϝε longis, facit Ηερ & Ηεϝ correpta. Quoniam verò Deus ita hominẽ crearat, vt erectus cælũ intueretur, & ex eo libro diuinæ potestatis cognosceret infinitatem admirabilem, atque eo spectaculo beatissimo perpetuò animũ suum pasceret; nihil æquè contrarium naturæ ipsius & Dei volũtati accidere potuisset, quàm si supernis neglectis atque contemptis, sese terrenis affixisset & irradicasset. Atqui tamẽ hanc suam indolẽ homo minimè secutus, belluam eam audiuit, qua nulla terræ magis fixa esset, eo quòd è summo cælo ad ima tartara sua ipsius culpa decidisset: atq. huius suasu illius arboris fructũ comedit, qua nulla in orbe terrarũ inuenitur, quæ sese magis per multiplices radices, non è caudice modò, sed è ramis etiã demissas terræ infigat, vti Indoscythica nostra ad oculum declararunt. Hinc igitur illud consecutũ, vt homo & serpentis & arboris naturam æmulatus, sese non tantum terræ, veluti brutũ animal affixerit; sed etiam in eam depressus altas egerit radices, & nomen ipsius Ϙε gemina commeruerit caussa, hinc vti pecus in terram pronum; hinc vti planta terræ irradicata. Ex hoc tam miserabili, aut potiùs fœdo & exsecrãdo ipsius facto non potuit non in maximam & perpetuam incurrere Dei iram, vti totus mutatus in contrariam naturam, quàm ab ipso Deo fuisset creatus: quod vt ostenderetur omnibus Adami posteris, vocabulum Ϙϸε pro illo cœpit vsurpari odio, quod ex scelere suo apud Deum commeriti sunt. Ϙϸε enim, siue per digamma Ϙε/vel per alterũ digamma Ϝε/ magnam inimicitiam & odium contra aliquẽ conceptũ in vernaculo nostro sermone designat. Iam quò sciretur quid ex hoc odio sit effectũ, processus duplex ex ipso Ϙϸε/ id est, Pecũdis nomine factus est; prior in odiũ & perpetuam iram à Deo propter scelus conceptã: alter in dolores. Nam si digamma V quod est in Ϙε pro odio, gemines; Ϙε existet, quo grauis dolor denotatur: vnde Ϙε vt interiectio dira minantis, vsurpatur; à quo Latinis duplici digamma carẽtibus, Væ remansit; Græcis οὐαὶ, neutris caussam significationis sciẽtibus. Quo verò sciretur, quantus & quàm diuturnus hic dolor futurus esset, voluit primus sermonis nostri auctor Spiritus sanctus, vt per ichnæa conuersionis vestigia ex Ϙε in Ϙω veniretur; qua voce significatur æternum. Videmus itaque, quò ex pecudis natura, ab Adamo sponte sibi sumta, ventum sit malorum. Verumenimuerò diuina factum est benignitate, vt in homine pars diuinæ imaginis, ad quam fuerat creatus, conseruaretur; atque ita geminam naturam haberet, alteram diuinam, de singulari summi opificis gratia; alteram de sua culpa ferinam: quibus fieret, vt perpetuũ bellum intestinum in ipso arderet. Deus tamen clementia sua infinita homini concessit, vt pars diuina victoria semper potiretur, dummodo voluntas ei non deesset. Hinc igitur rationi rectæ, quæ diuinæ naturæ soboles est & imago, imperium datum est & gubernandi potestas, qua pars belluina coërceatur, si ipsemet homo suo iure vti velit. Et inde homo Μενϑϸ/vt paullò antè dixi, id est, seipsum ducens vocatur. Homines enim ex se nihil habent præter hoc quod dico, brutũ: & idcirco dum dicimus Ονϑ/id est, nostrum, per conuersionem ichnæam intelligimus, nihil nostrum esse quod non sit Ϡνϑ/ id est, prauum & malignũ. Homo igitur parte sibi per diuinam clementiam relicta, contrà ac merebatur, se, id est, prauam naturam & ferinam gubernat; atque veluti pecus & iumentum minat, dum potestate sibi concessa vtendi non deest voluntas. Quòd si pars hæc imperatrix sese demittat, & brutum, quod ducere debet, sequatur, & cum eo conspiret ad ea amplectenda quæ praua eius suggerit libido, sese mancipiũ facit, meritò belluæ vinculis alligandũ. Quamobtẽ præceptor Spiritũ sanctum orat, ne sinat Canopum suum in hanc decidere fœdissimam & abominandam seruitutẽ. Et optimè sanè id Spiritum sanctũ rogat, cuius vernaculũ nobis nomen, quod est Ϭϸεεϛ/inde factum est, quòd Spiritus omnia in altũ euehat, vt ichnæa cõuersio demonstrat; cùm prorsa vox declarer, ipsum euehere ad illud, de quo solo dici potest ipsum Εϛ. Postquàm modò satis ostẽsum quid Ϙε in nobis sit, & quantis malis & quàm diuturnis dederit exordiũ, quamque grauì de caussa Alphabetarius orator Spiritum sanctum oret, ne discipulũ suum belluæ huius, quam antea dixi domesticũ esse serpentem, vinculis astringat; non video aliud superesse quo sermonẽ in re per se latiùs patente quàm vt hîc sit persequenda longiùs extendam, nisi hoc vnum, vt declaretur, qua figura hoc pecus nostrum sit depingendũ. At in hac re minimè est difficultatis, cùm duo statim sese offerant simulacra; alterũ quadrupedis, alterũ hominis, caput suum pronũ terrã versus demittentis. Prius Græcorũ minusculũ Pi;

posterius

Ερ.
Εϝ.
Ηερ.
Ηεϝ.

Hominis primi lapsus, & qua illũ mala sint consecuta.

Ϙε.

Ϙε.

Ϙω.

Hominis partes duæ intestino odio dissident.

Ratio, diuina natura soboles & imago, in homine imperium tenet.

Ονϑ.
Ϡνϑ.

Ϭϸεεϛ.

Ϙε littera figura.

posterius Latinorum Pe oculis offert. Magnũ Pi Græcorum æquicrurũ, vt sic Isoscheles interpretetur, quadrupedem bene referret, si linea suprema dextrũ versus magis extenderetur & ad terram declinaret, quo collum & caput quadrupedis exprimere videretur. Alterum ipsorũ Pi non æquicrurũ, hominis effigiem refert, caput ad genua demittẽtis.

Vercken. Verùm nobis illud Pe magis placet quod porcum refert, qui nobis Vercken dicitur, id

Ken. est, longè remotus à notitia; quæ per Ken denotatur, voculam paruam illam quidem, sed talem tamen, vt nobis clarè significet, totum sciendi desideriũ homini à natura insitum,

Ent. ad finem spectare debere; & idcirco ad Vnum, à quo finis Ent/siue En reiecta Tau, in ver-

Porci nomenclatura. naculo nobis sermone nominatur. Quoniam verò Porcus (quod nomen à Verken siue Varken deriuatur) longissimè à notitia creatoris sui discedit, & perpetuò in cœno volutatur, prouerbiũ apud nos exstitit, quo homines erga Deum & eos à quibus beneficia ac-

Porci nomen quibus hominibus iure tribuatur. ceperunt, ingratos notamus, dicẽtes, Porcos esse qui glandes auidè deuorant, & arborem glandiferã nec suspiciunt nec honorant; immo contrà pro beneficio maleficiũ reponũt, dum radices eius fodiendo denudant. Iam homines ventri deditos, & in vitiorum sordibus semper iacentes, non nostrates modò, sed ceteræ etiam nationes porcos vocare consueuerunt. Sicuti ergo ex eo Porcus apud nos nomen habet, quòd longissimè à notitia

Nek. remotus, quæ sola nos Deo & summo bono coniungit, quod ichnæa voculæ Ken cõuersio demonstrat, ita eius figura optimè in Pe quadrabit, quando Pe id propriè significat quod terræ maximè defixum est: quo in genere non radices tantùm, sed pecudes etiam habentur. Hebræi בְּהֵמָה ex Ve fecerũt, pro quouis iumento, qua in voce si ad Ve-man allusum dicamus, nihil absurdi mihi dixisse videbimur; eo quòd quoties pecus cernimus, toties admonemur, nos in belluinam naturam culpa parẽtum nostrorũ delapsos esse, & idcirco Dei hostes & vitæ beatæ exsules remansisse. Non possum cõmittere quin addã, cacodæmonẽ siue draconem, cuius suasu atq. impostura brutam naturam assumsimus,

Behemoth Hebraicæ vocis interpretatio, & etymon. Behemoth vocari: qua de voce sic doctores scribunt, vt formulam numeri pluralis in ea seruatam esse dicant. Nobis non displicebit eius sententia, qui hoc nomine pecudum & inimicitiæ caput denotari asseret, quasi nostro sermone Veenhot diceretur. Inter cetera quæ de Behemoth in Iob scribũtur, est & illud, quo Deus iubet, *Memento belli, nec vltrà addas loqui*. Hîc non sat scio quid mandetur; id profectò video, interpretationem Veman siue Veheman/vt superiores Germani dicerẽt, indicari, quæ hostilitatis monitionẽ in Be-

Behema. hema declarat. Porrò cùm Behemoth dicitur rex super vniuersos filios superbiæ, an non caput eorum quos deus odit expressum videmus, & non aliud dici quàm Vehen-hot siue

Leueathan. Veen-hot/id est, pecudum & inimicitiæ caput? Idem dicitur Leueathan, nobis eũ signifi-

Han. cans qui dux est & caput inuidiæ contra vitam conceptæ. Han enim vt gallũ gallinaceũ significat, ex eo quòd ad opus suum strennuè aggrediendũ homines incitet, ita transfertur ad eum qui princeps in quouis genere habetur. Leue-hat-han igitur ad verbũ denotat inuidię cõtra vitã principẽ & incitatorẽ. Draco enim vitã nobis in Paradiso inuidit, & in nobis veræ vitæ odiũ plãtauit. Quoties ergo vel Leueathã vel Behemoth audiemus, memores simus belli iuxta Dei præceptũ, & belluinam nostrã naturã vincere conemur. Hîc

Belial. idẽ de quo agimus hostis Belial dicitur vulgata Hebræis pronũtiatione, cũ Ve-li-gal nuncupãdus esset, id est belluini populi delicię, quãdo בליעל sic ꝓferri litteræ y sonus postulat.

LIBER

LIBER XV.

Zade.

POST senarium secundum absolutum, quo iter ad priorem in hac corrupta vita paratur, quia nimirum catharsin siue purgationem contineat; non illam quidem Pythagoricam, sed Christianam, ad secundum binarium venitur. Et quemadmodum secundus senarius vitam exponit catharticam, citra quam ad priorem senarium non patet aditus; ita secũdus binarius catharticus est, hominem purgans ad ambrosiam illam sincero animo perfruendam, quam prior binarius exponit. Quòd autem hic binarius salutationi applicatur, id fit profectò artificiosissimè; quando post duas diuersas salutationes, æquum fuit vt tertia & vltima nonnihil esset latior, amplior & explicatior. Amplificationem autem binarij propriam esse, ipsius vernaculum nomen nobis ostendit. Adde quòd vt secundus senarius & secundus binarius ad priores viam struunt; ita hæc postrema Spiritus sancti nomenclatura ad illud iter parat quod prima designabat: & præterea secundam latiùs exponit atq. declarat. Neque enim reuelatio diuini vultus nobis contingere potest, nisi priùs ab omnibus malis simus liberati. Quid verò Lamet secundum nomen significet, tertio nomine Qua-af declaratur; atque ita gemina ratione binarius hic congruus est tertiæ compellationi; semel, vt secundam latiùs exponens; iterum, vt viam aperiens & amplam reddens ad id quod prima compellatio denotabat. Accuratè igitur obseruandum, eundem hîc ordinẽ seruari qui in oratione Dominica; cuius prior pars ad sempiternum beatæ vitæ alimentum adscendit, ac deinde catharticam vitam exponit, qua ad illa quæ priore significantur, peruenitur. Nunc igitur ad duarum vocum expositionem veniamus, quarum cõplexione tertiùm Spiritum sanctum compellat; & id quidem non minus quàm antea fausto ac felice omine; quia ipsa per se compellatio copiosæ precationis instar est. Nam si, quod modò rogatum est, ne sublimior hominis pars belluinæ alligetur, non malè congruit illi quod in oratione Dominica dicimus, *Ne nos inducas in tentationem*; profectò hinc epitheton quo Spiritus sanctus hîc honoratur, ad amussim respondet illi quod in eadem oratione Domini nostri Iesu Christi verbis concepta quotidie iteramus, *Sed libera nos à malo*. Quid enim aliud est malorum depulsor, statum nostrum in libertatem vindiciis suis asserens, quàm si diceremus, Libera nos ab omni genere malorum? Verùm quò dictio qua id exprimitur, intelligatur, quæ duarum litterarum nominibus constat, primùm vis huius litteræ quæ duplex est, examinanda. Hebræi confusionis suæ Babylonicæ tenebris inuoluti, nihil certi hîc sibi constituere possunt. Santes Pagninus eam Sadi vocat. Qui Bibliis Complutensibus imprimendis præfuerunt, Sadich nominant. Alius Sadic in Germania scripsit. Abraham de Balmis qui prolixam Grammaticam Hebræo sermone scripsit, Czade eam litteris Latinis exprimendam esse Danielem Bombergum Venetiis docuit. Sed valeant hi ceterique omnes Rabbini qui nulla certa via & ratione litterarum pronunciationem vel distinxerunt vel distinguere potuissent; quando videmus in ipsis etiam Hebræorum vocibus aliquando fieri confusionem. Nos igitur quod in Hoogen fecimus, quod illi Hain efferunt, hîc quoque faciemus: sed quia illic nobis ipsi nimia prolixitate stomachum mouimus, in hac littera paucis exemplis erimus contenti; de quibus tamen certò constare queat de vera huius litteræ potestate. Primùm igitur aliquot voces adferemus in quibus pro Samecht & Tau gemino suo sono collocatur. צץ tam clara nobis & vsitata vox est, vt in ea nihil possit dubitationis relinqui. Hanc Hebræi vertunt festinare & instanter vrgere, & alio modo ציש scribunt. Quod autem nostratis hæc vox sit originis, conuersionis formula qua ad contrarij significationem transit, declarat. Hast enim festino est & accelero. Sta verò contrarium, à quo Latini Sto habent, & Græci στάω & inde formata. Nec mireris in sta adspirationem Hast deesse quæ in Hast auditur. Id enim fit quo celeritas spiritu incitetur, quo in stando nihil opus est; nec alioquin omnes adspirationem exprimunt. Ecclesiastici decimo, vbi legitur,

Alphabetica orationis idẽ qui Dominica ordo.

Zade littera nomẽclaturæ varia.

Zade littera vera potestas.

Hebraica voces permutæ à Cimbricis factæ.

Hast.

Sta.

Sto, stas, are. στάω.

gitur, *Qui fodit foueam, incidet in eam*, vocabulum est גֻּמַּץ non ferè alibi reperiendum, sed miserè per metathesim corruptum. Latini stagnum dixerũt, iter nobis ad originem ostendentes. Stang enim idem est quod aquas coërceo & includo, à sta & ang, ceu dicas angustam iis dari stationem. חֲרוּץ non satis claræ est apud Hebræos notationis. D. Hieronymus fortem transtulit decimo, duodecimo & vicesimo primo capite Prouerbiorum. Nobis nihil apertius, quàm sterch fortem notare; tametsi sterc potiùs citra spiritum dicamus. Admonere hic debeo, pro eodem עָרִיץ apud eos dici, vt in Hoogen annotaui; vbi videas vocem versam, & y pro ה positum, & Iod pro Vau mirabili confusione; nobis tamen vtili ad litterarum affinitatem & veram pronunciationem deprehendendam. Quoniã verò robur & firmitas ciuitatis est in mœnibus & propugnaculis חֲרוּץ etiam pro muris opidorum vsurpatur. Sic Danielis nono, *A Edificabitur platea & muri*. Nos sterct dicimus pro munimento & propugnaculo, & quouis loco firmo atq. munito. Porrò quia auro nihil fortius, vel ad se seruandum vel ad alia defendenda, חֲרוּץ pro auro positum inuenitur, & id non vno, sed pluribus locis. Apud Danielem, חֲרֵץ pro lumbis positum dicunt, eo quòd nimirum in dorso maximum corporis robur est. *Et compages renum eius soluebantur*. Mihi magis arrideret si verteretur, *Et compages fortitudinis* siue *roboris soluebantur*. Starc enim robur. Vnde Starcharterus nomen proprium apud Nortwegos. Nescio qua catachresi factum sit, vt חרצן pro vinaceo ponant; cùm Chersteen siue Kersteen, quod idem est, cerasi non vuæ os designet. מִיץ premere vertunt. Stim nobis & stif est idem quod firmum reddo; & stif firmiter aduerbium: vnde Græcis στίφω. יצב constituere, erigere, verificare interpretantur: nos veste dicimus & vest pro firmo & confirmo. עֵץ lignum: nobis stoc baculus, & stec exiguum ligni frustum. עָב tegmen vel plaustrum coopertum: nobis stob siue stof quemuis locum significat in quo tegimur & calemus; vnde non malè ad coopertas lecticas translatum. עֹהַר pro fenestra, Nun & Vau abiecit, quo inanem litteram He reciperet: venster enim dicimus, à quo fenestra. צוֹאָה sordes: nos stof. צוּק angustare & coarctare vertunt: nos stic pro suffoco dicimus. צוּר oppugnare: nos sturm dicimus. Eadem voce vtuntur pro angustiare & tribulare, vt eorũ interpretes loquũtur: nobis stoꝛ est turbare & inquietare. Ponitur etiam pro forti, in qua significatione vox versa à חרוץ omissa littera Chiet, צִיר pro nuntio siue legato; nos dicimus stier pro mitto: significat & collum; nobis strot pro iugulo. צִיּוּן pro titulo vel tumulo; quæ vox nobis steen. צָפָה tegere, cooperire: nostratibus stop est tegere & abscondere. צרה resina est, vox versa à nostra herst. Habent Hebræi vocem צֵיעַ, quæ quid significet, certò asserere nequeunt. Est vsus eius Prouerbiorum vndecimo; vbi quia superbiæ videtur opponi, humilem verterunt. At Michææ capite sexto sollicitum reddunt, nec pluribus locis inuenitur. Nos neglectis punctis, vti fieri debet, streng agnoscimus; quo strennuus & diligens denotatur: Latini vocem retinent vltima littera reiecta: Hebræi Res extruserunt. In Prouerbiis igitur monemur, ne nos sic geramus, vt superbia quadam aliis suum auferamus, sed vt strennui simus in omnibus. Hoc enim sapientis esse, vt diligentia nostra rem augeamus, non iniuria aliorum. Quòd si humilitatem hic legas, sententia eneruatur, nec quicquam facit ad propositam de Iustitia quæstionem. Non male igitur sollicitum apud Michæam interpretantur. Eandem litteram pro Tau & Samecht ponũt in צִיר pro rupe, quam nos Rots vocamus. verùm hoc tam rarum est, vt eius parua ratio aut nulla potiùs habenda sit, cùm vna hirundo non faciat ver. Nec nunc enumerare placet vocabula in quibus contra omnem rectam rationem pro simplici Samecht collocatur, quæ sunt quamplurima; certissimum nobis præbentia argumentum, non à Grammaticis tantùm litterarum factam esse cõfusionem, sed eam vnà cum ipsa lingua inoleuisse. Quis enim non videt, in צָלַח, quo prosperè agere denotatur, hanc litteram pro Samecht positam esse; quando nihil certius, quàm hoc verbum à salich venire? צֵד & in plurali numero צָדִים à nostro side pro latere deriuari, cuiuis perspicuum; vbi rursus pro simplici S locatur. Est cùm pro duplici Samecht ponitur. נָצַל enim idem est quod nobis lossen, quo significatur liberare, eripere; licet suspicer Nun superfluum esse, & verbum fieri à tertia persona lost, id est, liberat. Eodem verbo vtuntur pro spoliare & diripere, sed in ea significatione fit à nostro stelen, quod est furari. Quid multis? germanus & primus huius litteræ sonus Samecht & Tau coniungit, vt satis liquet ex iis quæ adduxi vocabulis; quibus multa addere potuissem, si vel opus vel visum

Stagnum. Stang. Ang. Sterch. Sterct. Starc. *Starcharterus* Kersteen. Stim. Stif. Vest. Veste. Stoc. Stec. Stob. Stof. Venster. *Fenestra.* Stof. Stic. Sturm. Stoꝛ. Stier. Strot. Steen. Stop. Herst. Streng. Rots. *Zade pro Samecht simplici.* Salich. Side. *Zade pro Samecht duplici.* Lossen. Stelen.

visum nobis fuisset. Succurrit tamen in præsentia vocabulum quod Rabbinos & alios egregiè torsit. Quid enim מְלְצַר apud Danielem esset, plurimi dubitarunt. Mihi illorũ placet sententia qui architriclinum interpretãtur. Malstier enim siue malstur eum significat qui conuiuium gubernat, quasi Græcè sympositarchum diceres. Est & altera vox in Esdra שגבר, quam vti proprium nomen interpretantur. Mihi officij nomen videtur è prisca lingua Magorum retentum, perinde atque Malstier. Est autem שגבר nobis Schatzbestier, id est, thesauri gubernator: quod Græco interpreti videtur suboleuisse, qui Sasabar Thesaurophylacem dixit. Multa enim officiorũ nomina è Persia in Chaldæam venerunt; inter quæ & illud est in Esther אחשדרפנים, quod Satrapas verterunt. Nobis Hochs der henen, id est, supremi equitum peditumq. ductores. Hen enim nobis & hend turmas & cohortes significat. Item & alterũ æquè Hebræis & Chaldæis ignotũ אחשתרנים, quod veredarios celeres optimè versum videmus. Nos enim Hochst-ren supremi veredarium vocaremus, id est, veredarium Regis. Quòd si dicas, Hochs-der-renning, idem dixeris quod supremum cursorij officij. Nesciunt item ad quam radicem מְלִיץ referre debeant, quo interpres denotatur: nobis melt idem significat quod occulta aperit atque declarat; quod proprium interpretis officium est. Volentem me ad ea quæ instant progredi עִצַּר verbũ, quo detinere significatur detinuit, postulans, vt se quoque primæ linguæ applicarem. Id quia facile fuit, non potui negare. Reis-stat enim pro eo quod est iter differre vel tollere apertissimum nobis est: vbi Hooghen pro Cap positũ videmus. קֵץ finem & terminum significat. Nos staken dicimus dum cessare quippiam facimus: vnde reis stat est facere vt iter cesset; qua loquendi formula nihil nobis frequentius. Sed quando hæc vox nos est demorata, priusquam litteræ huius examen relinquamus, vetus quædam Latinorum commemoranda consuetudo Stlites & Stlotum pro litibus & loto dicebant, huius litteræ accessione in principio facta; qua quid sibi quæsiuerint, non intelligo. Suauitas certè soni spectata non videtur. Quamuis autem harum vocum Quintilianus, non aliarum, faciat mentionem; in pluribus tamen candem ipsis fuisse stubliginem coniecto. Quid? Succurrit & Græca vox in qua idem est Babylonismus. E Mag enim quo ventriculum notamus, fecerunt Stomachum; qua voce Latini quoque vtuntur, accersito nimirum ad principium hoc duplici elemento. Quò verò magis mireris Latinos, alibi huius duplicis soni tam fuerunt impatientes, vt alteram consonantium omiserint; vti in Sileo, à stil, & Tacco à stat-tm annotaui: in quorum altero Tau, in altero Sigma reiectum. Eodem modo è stronc nostrati, quod est arboribus capita amputare, Trunco fecerunt: vbi Hebræi duplicem quidem litteram retinuerunt, verùm bellam interim litterarum transpositionem excogitarunt. E stronc enim קצר fecerunt, quod est decurtare: qua in voce Nun repulsum, ne consonantium ternarium impediret. Nunc itaque harum quas commemorauimus, vocum originibus edocti, citra omnem epochen, citra omnem ampliationem dicimus, proprium & germanum huius litteræ sonum esse eum quem Samecht præcedens & Tau subsequens reddunt: & siquándo aliter apud Hebræos vsurpetur, id tribuendum esse Babylonismo. Quid enim absurdius, quàm duplicem hanc litteram pro Samecht, vel pro Xain, vel pro Scin collocare; à quibus in litterarum enumeratione omnino discreta est? Nomen ergo eius apud nos stades erit vel stats. in quo mirum non est, ab Hebræis, significationis & structuræ orationis ignaris, litteram postremam fuisse reiectam. Hoc iam concluso & definito, clarum est quid Stades qua af sibi velit. Nemini enim dubium, stat & stade apud nos pro statu poni: vnde genitiuus stats & stades. Cõplectimur autem hoc nomine omnes vitæ nostræ rationes, siue eæ ad corpus, siue ad animum, siue ad res externas fortunasque spectent. Quamobrem dum Spiritum sanctum dicimus totius rerum nostrarum status mala auferre, omnia summatim complectimur præsidia, quibus quouis modo opus est ad ea amolienda, quæ vel domi, vel foris incommodi quippiam molestiæque adferre possint. Siue igitur Alexicacon, siue totius rerum nostrarum omnium status vindicem, siue stades qua-af dicas, idem denotaris: & eo quidem magis mihi placet Horatius, quòd Alexicacon vindicem interpretetur; quando is propriè vindex est qui nos ab omni malorum seruitute liberat. Quàm igitur latè patet illa orationis Christi verbis conceptæ pars: *Libera nos à malo*, tam latè se hoc Spiritus sancti attributum extendit. Nec te offendat quòd idem epitheton Patri & Filio tribui consue-

Malstier.
Schatzbestier.
Hen.
Hend.
Hochst-ren.
Melt.
Staken.
Reis.
Stlites.
Stlotum.
Mag.
Stomachus vnde nomenclaturam acceperit.
Stil.
Stat.
Stronc.
Trunco.
Zade prius sonus.
Zade vera nomenclatura.
Stat.
Stade.
Status quid.
Alexicacos.

uerit. Neq. enim perſonæ in diuinis attributis diſtinguuntur, ſed habendi ea quæ habere dicuntur, modo. Liberat nos pater, vt à ſeipſo liberandi habens poteſtatem; liberat Filius, vti à Patre poteſtatem accipiens; liberat Spiritus ſanctus, vt procedens ab vtroque, & ab vtroque habens vindiciarum poteſtatem. Fit enim totius bonitatis diuinæ effuſio per Spiritum ſanctum, veriſſimum & ſolum Dei Amorem coëſſentialem, & Patri & Filio æqualem, cuius ab vtroque proceſſus rationem de voluntatis natura, quoad eius captus fert humanus, conſideramus, cùm filij geneſis intelligentiæ comparetur. Conuenientiſſimè autem orator noſter hoc epitheto vſus eſt in totius orationis concluſione; eo quòd antè docuiſſet, quo in ſtatu res humanæ eſſent, quamque miſerabili ſeruitute deprimendæ, niſi diuino auxilio contra vtrumque ſerpentem iuuarentur. Admirabile eſt vbique artificium; & tale profectò, vt fruſtra in pari breuitate id imitari ſtuderent quotquot vſquam gentium ſeſe in dicendi arte exercuerunt. Quamobrem nec nos hîc prolixiores erimus in iis quæ infinita forent perſequendis; ſatis habentes, eorum amplitudinem indicaſſe, & vocis dediſſe interpretationem. Ceterùm quod ad picturam attinet, hîc ſolliciti eſſe non debemus, cùm duplex hæc littera per duas ſimplices coniunctas voluerit pingi. Neque enim vna effigie parua, qualis litteras decet, totum rerum humanarum ſtatum exprimere fortè poſſis: quo fit, vt commodiſſimum promtiſſimumq. fuerit, vt duabus litterarum figuris coniunctis notaretur. Hebræi hoc loco laudádi, quòd non longè à vera pictura recedant. Nam ſi Samecht delinees, & Tau ipſius dorſo dextrorſum imponas, ipſorũ figuram quadam tenus expreſſeris. Latini S & T coniungunt, lineis ſuperna parte deuinctis. Sed quid ago? O me craſſum & ſtupidum! Quàm ferè me diuina Alphabetarij magiſtri ſollertia fefellerat. Quid? Egóne in tanta picturæ ſimplicitate quæ duorum elementorum figuras dumtaxat colligaret, quicquã vlterius arcani latêre ſuſpicarer? Atat, hoc illud eſt: Simplicitatis ſpecie facillimè decipimur. Verùm debuiſſem recolere ac ruminare, quæ natura eſſet hieroglyphicorum & ſacerdotalium teſſerarum; quippe qui earum in hoc Alphabetario explicatu interpretationem profeſſus eſſem. Sed quid prodeſt negligẽtiam ſupinam criminari? Satius ſit paria facere nouo ſtudio & diligentia. Dixi ſtatum rerum humanarum breui aliqua figura oculis fortaſſe ſubiici non poſſe, & idcirco commodiſſimum fuiſſe, vt hæc littera ab illis elementis è quibus conſtaret, imaginem ſibi mutuaretur. Nunc cano palinodiam, licet qui fortè dicet, nihil affirmet. Nulla figura in toto terrarum orbe vel à ſummo pictore inueniri excogitariq. poſſit, quo ſtatus rerum humanarum clariùs veriusque depingatur, quàm ſi figuram ipſius Samecht, quæ ſerpentem repræſentat, ad ſiniſtram, & Tau ad dextram proponas intuendam. Quid enim aliud tortuoſus draco homini ad ſpectandum propoſitus ſignificat, quàm perpetuum bellum, tum domi intra ciuitatis humanæ viſcera, tum foris gerendum? Quod enim certius belli ſignum, quàm hoſtis præſentis ſpectaculum? Hanc picturam Maro expreſſit ſic canens:

Zade figura.

Primus ab aduerſa conclamat mole Caicus:
Quis globus, ô ciues, caligine volvitur atra?

Ferte

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,
Hostis adest.

Draco igitur pictus certissimum est belli signum, tantisper homini dum spirabit, citra omnes inducias sustinendi. Hinc itaque clarè cernitur, statum hominis eum esse, vt semper ei sit cum præsenti hoste manus conserenda: quod Iob disertis verbis docet, vitam hominis militiam esse dicens, tantisper duraturam, dum terram calcabit. Porrò dum hostem præsentem videmus, non solùm bellum nobis esse scimus; sed illud etiam intelligimus, qua ratione optimi ducis officio fungi queamus. Bene enim Chabrias dixit, eum optimum esse Imperatorem, qui res hostium quammaximè cognitas haberet. Quid igitur melius ad sana belli consilia capienda, quàm hostem coràm intueri? Nihil sanè, si vnà omnes oppugnandi rationes possemus videre. At serpens tam callidus est, tam variis insidiis vtitur, tam multos agit cuniculos, tam varia oppugnationum genera in horas singulas machinatur; vt dum eum vides, nihil aliud videas, quàm mille præsentia pericula occultis tibi fraudibus parari. Præterea dum serpentem cernis, non externum modò hostem agnoscis, sed domesticam etiam belluam cernis, inter ipsa tua mœnia, immo intra ipsa viscerum penetralia assiduo te impetu molestantem. Heu miseram belli conditionem, quo non de aris & focis pugnatur, sed in ipsis aris & focis hostis sedet! Quid hîc remedij in domesticis copiis? Si hostilem vim mœnibus & arce excludere nequiuerunt, qua vi in ipsis templis iam sæuientem poterunt propulsare? Actum est, nisi auxilium exterius adsit, quod rebus intus periclitantibus præsenti auxilio succurrat. Et hæc quidem arcis humanæ interior facies est, quam sinistra figura designat. Consideremus nunc quis rerum status foris sit, & quid auxilij exteriùs sit exspectandum. Externa omnia dextra parte intelligi debere, non semel modò dictum. Conuertendi igitur oculi dextrorsum, & speculandum quid inde spei subsidiique affulgeat. Quid igitur hîc videmus? Nempe Tau, quo solo Draco vinci deprimique potest: de quo, quia mox ampliùs agendum, non plura hoc loco dicemus, quàm ab hoc solo omnem contra serpentem victoriam pendere. Habemus modò totum rerum humanarum statum & internum & externum, duabus dumtaxat expressum figuris; & sic expressum, vt magis ad viuum exprimi non possit, tametsi quotquot vmquam fuerunt Apelles, ingenia & operas suas in vnum conferant. Quoniam autem in hac pictura ordo ille seruatus est, vt quæ interna nobis sunt sinistram; quæ externa, dextram occupent: nec hîc vllo modo peruerti vel debeat vel possit, si veritatis ratio habeatur; voluit sermonis nostri architectus, vt in vocabulorum conuersione hæc duplex littera semper eundem partium suarum ordinem seruaret. Hinc ex Staf Fast/ non Fats; ex Sta ast/ non ats; & similia è similibus habemus sic è prorsis versa, vt duplex littera natiuum partium suarum ordinem custodiat. Licet igitur & ex hac re perspicere, litteram Stades, non Tsades, aut aliter nominandam esse. Et hæc quidem de Stades sufficiant, littera ea, cuius figura totum rerum humanarum statum oculis subiicit.

Status rerum humanarum tessera.

St pro vna littera in vocum conuersionibus habetur.

Quof.

Hvius litteræ nomen non rectè ab Hebræis efferri, non magis miramur quàm voces ab iis corrũpi, qui quid significent, aut cuius sint originis, ignorant. Nos Qua-af vocamus, quo Alexicacos siue vindex ab omni malorum seruitute liberali manu asserens denotatur: qua de re satis in præcedenti littera diximus. Docuimus in Hermathena, hanc litteram non esse necessariam, quod & Latini Grammatici annotarunt. In vocalium elementorum censu locum non habet, in quo duplex digamma numeratur. Quoniam autem in hoc Alphabeto recensetur, nec duplicis digamma hîc mentio fit, sic nobis ratio litterarum subducenda, vt dicamus, apud gentes ceteras, duplex digamma reiecto, hanc suffectam fuisse; & idcirco Hebræis & Syris & ceteris à Cadmo traditam fuisse: verùm in priore Alphabeto, ab antiquo apud Nochum & Ianigenas conseruato, loco Qua-af fuisse Wee-af; quo significatur is qui à doloribus liberat; atque ita ad eandem orationis vtrobique tum sententiam, tum structuram fuisse. Siue enim Qua-af siue Wee-af dicas, res eôdem tendit; nec alius Wee-af est quàm Qua-af/ eo quòd nullum malum

Quof litteræ nomenclatura & interpretatio.

Quof in locũ duplicis Digamma suffectum.

sit, quod non suos secum trahat dolores atque pœnas. Neque alienus sum ab ea sententia, fuisse aliquando tempus cùm Qua-af & Wee-af eadem figura pingerentur; & hinc fortasse accidisse, vt plurimæ voces quæ duplex digamma in sermone nostro habent, per Qua-af apud alias nationes efferri, vti in Werinus & Quirinus, Qui & wie, Quando & wan/ & aliis memini annotasse. Hebræis item voces sunt in quibus id apertè contigisse cernas; atque adeò in eo ipso verbo, quo accidit vel contingit apud nos denotatur. קָרָה enim pro hac notione dicunt, quod à nostro Woꝛt corruptum est, He in locum Tau substituto. Dispeream, nisi despuam sæpius superuacaneas has litteras, quæ locum necessariarum occuparunt. Iidem קָרַב pro calefieri ponunt, verbum à nostro Warm deriuatum. Est apud eos vox קַרְקַע, cuius nullam rectam queant domi suæ rationem comminisci. Semel pauimentum, semel fundum verterunt interpretes: Nobis solum & firmamentum pedum hac voce indicatur. Wag enim est sursum deorsum ferri & succussari, war custodire & defendere. Warwag igitur quod nos custodit & tuetur in firmo statu, ne sursum deorsum agamur. Nec magis norunt vnde קְשֹׁט pro firma veritate ponatur: wis vocali breui nobis idem significat quod certum & indubitatum. Hinc Wisꝛet substantiuum quasi certitudinem parum Latinè diceres: quæ vox expressa est tribus illis in קשט consonantibus. קָנַן nidificare vertunt interpretes: Nobis won idem est quod habito. קִיר pro muro dicunt: Nos wer pro defensione quauis vsurpamus. Hinc capite quarto Hieremiæ, vbi dicitur, Sensus cordis mei turbati sunt, verti posset: Muri siue defensio cordis mei turbata est; ceu diceret: Sum expugnatus, mœnia sunt deiecta, iacet omnis defensio. Iam קרקר interpretantur murum destruere: Nos wer keer dicimus pro cuerto id quod defendit. קוה exspecto: nobis wacꝛt. In קרש item, quo consecrare significatur, clara est hæc permutatio: Nos enim wide pro eodem dicimus. Sed satis horum. Crebriùs enim duplex digamma vel omiserunt, vel in Bet vel in Vau mutarunt. Quoniam tamen Qua-af & Wee-af idem ferè nobis denotant, & loco Qua-af in vocalium elementorum enumeratione est duplex digamma, probare me æquis iudicibus posse existimo, eandem aliquando figuram vtriusque litteræ fuisse. Videamus ergo quænam ea fuerit. Scio duplex digamma per duplicatá digamma effigiem & nunc pingi, & olim etiam frequenter pictum fuisse; verùm id extra hieroglyphicam disciplinam, quæ non contenta tanta significationis simplicitate & angustia, ea quærit quæ copiosam & amplam rerum offerant intelligentiam. Quamobrem si nomenclatoris industriam quàm proximè sequi velimus, iuxtà ac debemus; inuestigandum illud interea quæ oculis obiiciuntur pingiqúe possunt, in quo excellentissima vis sit à malis liberandi. Hîc si Philosophos consulemus, Sol erit accipiendus, cuius radiis vitæ beneficium, & omnium eorum quæ ad vitam sunt necessaria, adscribunt: cuius rei vel vnus Aristoteles satis magnam idoneamqúe dedit testificationem. Quid verò sermonis nostri opifex? Is non tantùm huic sententiæ suam tribuit auctoritatẽ, sed nomen etiam Soli dedit à sanando, dum eum Son vocauit. Cùm igitur Sol inter omnia ea quæ videri possunt longè sit excellentissimus ad omnia mala & omnes dolores mortalibus auferendos, facillimeque possit delineari, imaginem eius huic litteræ appingemus.

Hebraica voces à Cimbricus facta.

Woꝛt.

Warm.

Wag. War.

Wis. Wisꝛet.

Won. Wer.

Keer.

Wacꝛt.

Widen.

Q & W eãdem aliquando figuram fuisse.

Solis, in malis auferendis præstantia.

Son.

Quoſ littera figura.

Verùm

Verùm vt intelligatur, ab hominis ſtatu tolli mala doloreſque debere, hominis effigiem eam addemus, è qua ſumma infirmitas colligi poſſit. Iaceat igitur ſupinus, pedibus & brachiis porrectis, ceu mortuus ſit, nec vllas vires habens ad ſe mouendum. Sed in vtram partem, dextram'ne, an ſiniſtram pedes porrigendi? In vtram? In illam haud dubiè, ad quam cadauera pedes extendunt dum efferuntur ad ſepulturam. Audiamus ergo vocalem cadaueris quod effertur pictorem, & ab eo diſcamus picturam. Et ſit is Perſius, apud quem ſic legimus:

Hinc tuba, candelæ, tandemq́ beatulus alto
Compoſitus lecto, craßiſque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Quòd ſi in portam extendit, foràs; ſi foràs, dextrorſum; quoniam externa dextra eſſe non ſemel modò demonſtraui. Dextrorſum igitur pedes extendantur, quo mortuus eſſe intelligatur. Huius capiti Solis orbis circumſcribatur, ad eum modum, vt illud ſenſim attollat: quo facto, mox eam litteræ formam videbimus, quam Latinorum maiuſculum Q hactenus præfert. Et hac via geminæ vocis Qua-af & Wee-af pictura nobis ſit abſoluta. Nec malè tum habebat Alphabetum, cùm Wee-af legebatur, nulla ipſius Qua-af habita mentione, cùm eadem ratio ſit & ſententiæ & conſtructionis in vtroque. Wee magis ad We alludit, & illius, vt dixi, ſequitur venenum; quo fit, vt Qua-af necdum recepto, elegantior etiam fuerit oratio. Magna enim ſignificationis vis eſt, & ſumma ſummi beneficij confeſſio, dum Wee-af dicitur, propterea quòd non dolor tantùm ſimplex hac voce denotetur; ſed is dolor qui ſit futurus ſempiternus, iuxta certiſſimum documentum ichnæa regreſſione ſignatum, quæ ex Wee nos ad eew per veſtigia reducit. Multa & propè infinita de ſempiterno hoc dolore, & eius è draconis veneno conſequentia dici poſſent, ſed ea vel ſatis antè ſunt indicata, vel anguſtiis huius Alphabeticæ orationis excluſa. Satius fuerit picturam paullo meliùs conſiderare; & videre quid Sol, orbe ſuo hominis caput includens, præſtare poſſit. Hoc non ex alio faciliùs intelligemus, quàm ex ipſo ſermonis noſtri architecto, qui Solẽ mirabili prorſus vocabulo indigetauit, cuius Hermathena noſtra latiorem dedit interpretationem. Son vox eſt analogica ratione plura ſignificans. Primùm ſignificat pacem facere ſiue reconciliare: mox etiam oſculari. Deinde ſanare: ad hæc Solem: poſtremò filium: & hæc omnia ex vna eademque ratione, qua So-eew vniendi habet ſignificationem. Mirum autem eſt, hæc omnia primùm ei conuenire, qui ſic inter filios princeps eſt, vt ante mundum etiam creatum Filius fuerit. Quid dico ante mundum creatum, cùm Filius ſit ab æterna ſeculorum infinitate? Hic enim ſolus eſt & verus reconciliator. Hic princeps in oſculando, dum in ipſo pax & iuſtitia ſeſe ſunt oſculatæ. Hic verus ſanitatis auctor, non corporum tantùm; ſed, quod infinito plus eſt, animorum. Hic eſt Sol; non ille quidem ſpectabilis, ſed Sol lumine ſuo illuſtrans vniuerſa, quoniam lux eſt æterna Patris æterni, omnibus rebus & corporatis, & non corporatis lumen affundens. Huius ſpectabilis imago Sol eſt cæleſtis, quem propter quandam luminis & ſanationis communionem corporatarum rerum finibus incluſam, Son etiam vocamus. Quamobrem ſi Filij lumen, quod eſt Spiritus ſanctus, ad homines ſanandos ſe diffundens depingere velis, optimè Solem pinxeris; & id quidem ea ratione, vt orbe ſuo hominis caput complectatur, atque illud ſenſim videatur ſubleuare. Quemadmodum autem in hac pictura homo ſupinus iacet, pedibus & brachiis porrectis, veluti mortui in capulis collocantur; ita in ſequenti littera caput eius videbimus altè erectum, & ad cælum in ſublime contendens. Hæc itaque ſi diligenter expendas, & cum figura conferas; ſenties, mihi crede, nihil poſſe pingi congruentius ſancti Spiritus inſtinctui, quo nomenclatori rerum omnium iuxta cuiuſque naturam & cognationem vocabula dictauit. Diſpeream niſi in ſolo hoc nomine Son plus lateat myſteriorum, quàm vllis linguis queat explicari; tantum abeſt vt auguſtam eius maieſtatem me ſperem vllis commentariorum codicibus, nedum his Alphabeticis annotationibus, aſſequi poſſe. Quocirca locis obiter indicatis, in quibus arcana deliteſcunt, ad litteram ſequentem tranſibo.

Wee. Eew. Son. *Sol cuius rei ſymbolum.*

Res.

Alphabetica orationis epilogi artificiũ.

EXPOSVI modò tertiam salutationem, qua noster orator Spiritum sanctum compellat, arcana secundi binarij significatione ad id vsus. Restat vt ad precationis epilogum accedamus, qui ternario absoluitur; vt quæ oratio à ternario diuinæ essentiæ exordium sumsit, in eundem terminetur. Verùm quo tota precatio perfecta sit & rotunda, & in se vndique ad centrum cordis animi & mentis, vt Christus iussit nos Deum amare, contracta, & per hanc figuram euadat tutissima, nullis angulis vsquam exstantibus quos hostis arripere possit, hic secundus ternarius ita est ordinatus, vt priorem ternarium per vestigia retrò legat, & id habeat vltimum, quod in priore fuit primum. Nam vt linea quæpiam circulum definire dicatur, oportet vt ab aliquo puncto ductum suum exorsa, ad idem reuertatur. Hic igitur ternarius primo Spiritus sancti, secundo Filij, tertio loco Patris nobis offert attributum. Nunc igitur ad litteram. Eam Res Hebræi nominant, propter punctum subscriptum. Ipsæ litteræ per se lectæ Ris habent: quam vocem ipsa orationis postulat structura. Syri hodierno adhuc tempore ܪܫ Risch dicunt. Nec mirum ab Hebræis hoc nomen puncti vitio corruptum esse, cùm sola punctorum accessione ex Ion faciant Iauan. Sed quid ego hoc vnum commemoro, cùm omnes ipsorum radices longissimè à primis vocum originibus per puncta adiecta discedant? Ris itaque idem nobis est quod assurgere facio, siue iacentẽ leuo. Dixi in pictura ipsius Qua-af hominem supinum iacere, pedibus exterius siue dextrorsum, vt in cadaueribus fit, ad efferendum porrectis. Huius caput radiis suis Sol ambiebat, quo vitam rursus, quam sua culpa perdiderat, infunderet. Nunc igitur vlteriùs venitur & oratur, vt Spiritus sanctus caput hominis vitæ restitutum, & à mortis seruitute & carcere vindicatum erigat, & in altum attollat. Et hîc quidem caput orator vocat Styn/ id est, tenue lumen, aut potiùs reuerberati fractique luminis splendorem. Cupit autem vt obscurum hoc lumen, quod à Sole in hac vita accipimus, erigatur ad ipsum antiquum dierum, vt mox exponemus. Ris igitur nihil aliud est, quàm erige: quo verbo & Spiritum sanctum rogamus; & ei proprium adscribimus attributum. Spiritus enim est omnia erigere & in altum tollere: quod cuiuis de spiritus natura liquebit. Nobis spiritus hominis Geest vocatur, ceu dicas Ge-es-het/ id est, ad ipsius esse caput, siue eius, quod dat esse, caput. Spiritus enim noster ad caput totius esse fertur, quod est ipsum bonum, quo feruntur omnia. Omnis enim Esse siue actus, siue vitæ caput est ipsum bonum; quia ex bono omnia procedunt, & ad bonum omnia referuntur. Bonum autem non mouet nisi cognoscatur: quo fit, vt Filius, qui Patris mens est, præcedat in nostro captu. Ex bono igitur per Filium cognito, elicitur Amor, qui Spiritus sanctus est, à Bono & Boni Filio procedens. Spiritus igitur sanctus propriè Geest dicetur, quia per hunc ad ipsius Esse caput ferimur, & nobis caput est eius quod nobis esse dat. Quid autem proximè nobis dat esse? Quid aliud, quàm anima, quam Geest vocamus, quæ à Spiritu sancto tamquam à capite dependet; cùm is caput sit non nostræ modò, sed vniuersæ vitæ rerum omnium creatarum. Vocabuli igitur Geest origo soli Spiritui sancto primùm conuenit, ac deinde analogicôs spiritui nostro. Quòd si hoc vocabulum vertas, Steeg habebis; quod tantundem valet ac si dicas, sursum tendebat. Proprium enim Spiritus est vt ipse sursum tendat, & illa quibus inest, secum sursum attollat. Luserunt nostrates in hac voce, dum cereuisiæ fecem Gest per vocalem breuem nominarunt, quasi parui temporis spiritum vocarent. Ex hac enim, cereuisia & vitam accepit, qua velut mustum efferuescit; & facultatem eam vt homines pro tempore nouo spiritu ferat, & vltra solitum eorum animos attollat. Cùm igitur Spiritus sanctus Geest propriè & primò vocetur; nemo negare potest, quin Ris vnum sit ex eius attributis, quo erigendi hominis munus ei fertur acceptum. Styg enim, à quo steeg præteritum imperfectum, & idcirco vox omnis temporis, significatam nimirum rem perennans & ipsum Geest conuertens, idem est quod, sursum aliquid fero, vel, sursum enitor. Ris verò idem quod erigo & attollo, eodem modo quo styg vsurpatum, vel vt actiuum vel vt neutrum verbum, iuxta Grammaticorum locutionem. Quid verò fit ex homine à vitiis & morte resuscitato, & iam erecto, & nouo spiritu vitam adepto, quàm priùs haberet, altiorem? Quid aliud, quàm nouum & altum ædificium? D. Paullus enim dicit nos Dei ædificationem

Res litteræ nomẽclatura.

Ris.

Styn

Res litteræ significatio.

Geest.

Steeg.

Gest.

Stijg.

tionem esse, cuius fundamentum sit Iesus Christus. Sed quorsum Spiritus sanctus hoc nostrum ædificium erigit, & in altum attollit? Respondebit idem gentium doctor, vt templum Dei simus, & Spiritus sanctus habitet in nobis. Idem frequenter repetit, nos esse Dei siue Spiritus sancti templum. Aliàs enim Spiritus sancti, aliàs Dei templum dicit; vt clarè cognoscas, Spiritum sanctum Deum ab ipso vocari. Cupit igitur præceptor, vt Canopus à belluæ vinculis, & à mortiferis malis liberatus, erigatur in templum Spiritus sancti: & vt ipse Spiritus in Canopo sibi templum erigat, in quo colatur & adoretur. Templi nomen Latini suum esse fortasse credunt. Varro Poëticorum verborum etymologias ab hac voce auspicatur, vt videlicet originum inquisitionem in augurato tractaret. Triplex igitur templum distinguit; vnum à natura, quod cælum est; vt, *Templum triplex apud Varronem.*

Vnus erit quem tu tolles in cærula cæli
Templa:

Alterum in terra ab auspiciis, vt in Peribœa,

Scrupea saxa Bacchi templa propè aggreditur:

Tertium sub terra à similitudine, vt in Andromacha,

Acherusia templa alta Orci saluete infera.

Huius nominis originem à Tuor pro conspicor petit; quia nimirum templum intueamur. At hîc nulla littera præter primam eadem est, nec verbum hoc sic vel huc vel illuc potest inclinari, vt inde Templi vocabulum oriatur. Si hoc est rectas nominum dare rationes, nescio quid sit vel nugari, vel splendidis quempiam verbis præclara pollicitum nihil præstare. Sed adiecit contemplari idem esse quod intueri. Bene quidem, sed verbum hoc à nomine ducitur. Quia enim templa augures diligentissimè intuerentur, verbum factum est contemplor, pro accuratè inspicio. Dicimus ergo, templi nomen à Ianigenis remansisse, qui, perinde atque nos hactenus facimus, Tempel pro eo quod Latinis Templum sonat, dicebant. Huius rationem quærere proprium huius loci est. Pecudis nostræ paullo antè audiuimus mentionem, dum rogat doctor, ne sublimior pars hominis ei deuinciatur. Hoc pecus Plautus animum vocauit, dum in Trinummo hanc dictat sententiam: Si animus hominem perculit, actum est, si animo seruiuit; non sibi. Si ipse animum perculit: dum viuit victor victorum cluet. Nihil vmquam à Plauto verius dictum est. Si enim nos animo, id est, pecudi indomitæ seruimus, actum est de nostra salute: at si nos animum percellamus ac domemus, splendidissimam victoriam obtinuisse dicemur. Victor enim victorum est & Imperator Imperatorum, qui hanc belluam sibi subiecit. Nos animum Moet vocamus, eo quòd perpetuis nos afficiat molestiis, nisi freno cohibeatur. Hoc autem molestiarum remedium ichnæa conuersio demonstrat, quæ Toem nobis, id est, frenum offert, quo nimirum ferum iumentum domemus ac regamus. Illius enim naturæ est hæc fera, quam Animi nomine Latini nonnumquam vocant, vt vel domanda sit freno, vel perpetuò nos vexet ac molestet. Horatius itaque post molestias quibus nos hoc pecus diuexat, enumeratas; voluptates videlicet, auaritiam, inuidiam, iram, alias; pulcerrimam sententiam dixit: *Animus freno domadus.* Moet. Toem.

——*Animum rege: qui nisi paret*
Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.

An'ne hîc vides id expressum, quod nomenclator per vocabulum Moet nobis declarauit? Cùm ergo rogaret præceptor, ne pecori pars sublimior alligaretur, hoc etiam intelligitur rogasse, vt pecus hoc domitum haberet, quia nimirum nihil medium est, propterea quòd vel imperet vel seruiat. Sic igitur orationem intelligamus oportet, vt ea petiisse precator putetur perpetuum Canopi in belluam suam imperium: quod dum potitur, & ab illius molestiis & feralibus malis liberatus est; idoneus iam fit, vt in templum Spiritus sancti erigatur. Quid igitur sit templum ex his quæ dixi, liquebit. Tempel enim tres complectitur voculas potestate, Tem—pe—hel; quas si componas, idem valebunt ac si dicas, Domiti pecoris exaltatio. Homo enim carnem suam freno domitam ad tantam excellentiam euehit, vt in templum Dei erigatur. Verum igitur & primum in terris Dei templum est, quod Spiritus sanctus ex animo domito rationis freno sibi erigit. Sic Apostolus membra nostra Spiritus sancti templum dixit. Dometur enim antea bellua siue caro necesse est, quàm Spiritus sanctus in ea sit habitaturus. Admiranda sanè templi significatio, & ad amussim ad sacræ scripturæ veritatem quadrans; & interim *Templi etymon.* *Templa Dei hominum corpora.*

terim tàm clara & extra omnem controuerſiam poſita, vt ne poſſis quidem, tametſi velis, vocem ab hac interpretatione alienare. Stupendo certè honore Deus corruptam hominis naturam afficit, dum eam ſibi templum facit. Vide, quæſo, quanto ſatius eſt & præſtabilius carni noſtræ, quæ bellua eſt, domari & lupatis obedire, quàm efferatam, quo libido rapit, ferri. Intelligimus ergo nunc, primum templum in homine ædificari atque erigi, & ad eius ſimilitudinem externum templum, quod vulgò ſic vocatur, templum dici. Fana enim & loca orationibus cultuique diuino conſecrata, templa dicentur; eo quòd in iis domitæ pecudes, id eſt, animi hominum rationis rectæ freno gubernati in ſublime tollantur, ad ipſum nimirum altiſſimum, cui ſeſe precibus iungunt, euolantes. Quoniam autem templum non domitum modò animum poſtulat, ſed vt is etiam ſurſum ad excelſa tollatur; neque id corpore fieri aut poſſit aut debeat, ſed mente ſublimia cogitante, & eorum ſeſe ſpectaculo totam deuouente; priſci Latinorum maiores religione necdum corrupta verbum ſibi fecerunt, quo hæc attenta rerum ſublimium inſpectio ſignificaretur. Contemplari enim eum dicebant, qui vel in templo ſuo dumtaxat, vel in templo etiam externo attentus eſſet ad alta & excelſa mentis oculis conſpicanda; quaſi dicerent fruſtra templa adiri, niſi vnà cum templo mens noſtra tota ſublimibus intuendis vacaret. Verùm dum paullatim ſincerius Dei cultus & boni ſacrorum ritus à priſcis Ianigenis, & ab ipſo Nocho ſiue Saturno per manus & maiorum traditiones accepti corrumperentur, hinc ſacrificorum & ignorantia & auaritia, hinc cacodæmonis fraudulentis machinationibus, quibus homines deludebat; veræ contemplationi, quæ mentis oculis fiebat, ſucceſſit abominanda ſuperſtitio, qua in cælo templa ab auguribus deſignabantur: in quibus loco rerum diuinarum, fortuitus auium per aërem volatus notaretur, vt ex iis futurorum fieret coniectura. Bella ſcilicet hæc erat excelſarum rerum contemplatio, grauis ſcilicet, ac grauiſſimis viris digna religio; quæ animum leuibus leuiſſimarum auium pennis alligaret, ac ſurſum deorſum, quo picis vel coruis placuiſſet, raperet atque vexaret. Hæc ſemper regia via fuit ad Idolomaniam & omnes errores, res in religione bene inſtitutas & ad optimum finem deſtinatas ad quæſtum aliquem detorquere; & ex iis quærere, quod ſtolidi & peruerſi hominum animi maximè admirentur, & quod ad vitia ſua alenda & ſtultas cupiditates ſequendas aliquo modo conducere arbitrentur. Innatum nobis eſt ex primorum parentum peccato, vt omnes proni feramur ad futurorum cognitionem: quam inclinationem animorum diabolus peperit, dum illis perſuaſit, ſi vetitum pomum comediſſent, Deo ſimiles futuros. Hanc igitur inſanam cupiditatem cùm ſemper Draco promouere nititur, tum eorum vehementer auget auaritia, qui ex commentitia aliqua futura prædicendi arte quæſtum facere cõtendunt. Hinc ſacrifici, quibus templorum cura erat, parum ex vera contemplatione lucri ſperantes, religionem ſuam cauponari cœperunt, & hominibus perſuadere, aues loco rerum diuinarum eſſe contemplandas, & ſeſe poſſe ex earum volatu quid cuique futurum ſit vaticinari; neque fas eſſe quicquam omnino incipere aut moliri, niſi illis conſultis & interrogatis, an quod proponeretur iuxta Deorum fieret voluntatem. Lepidum ſanè commentum. Quid ni enim aues, quæ Diis inter volandum propinquiores eſſent, meliùs, propiùs & clariùs ea quæ Deus vellet intueri poſſent, & quæ vidiſſent hominibus nuntiare? Videmus hîc inſignem maximi lucri officinam, & quæſtuoſiſſimum mendaciorum mercatum in veri templi locum ſubſtitutum, è quo, tamquam è primo fonte, omnis auguriorum auſpiciorumque diſciplina defluxit, Romanis rerum Dominis, quicquid auibus viſum eſſet, imperatura. Templi itaque nomine monemur, vt animum noſtrum ſubiugemus ac regamus; quo in altum à ſpiritu erecti, templa Dei ſimus. Dum igitur RIS dicitur, hæc Spiritus ſancti ſubſtructio intelligatur, ad quam poſt domitam pecudem ordine peruentum eſt. Nunc inquirendum, quæ quàm optima figura ſit ipſi RIS oculis ſubiicienda. In primis perſpicuum eſt, erigendi atque in ſublime tollendi poteſtatem, & ipſam poteſtatis actionẽ ignea vi perfici, qua Spiritus ſanctus omnibus vitam infundit, omniaque ad Vnum euehit. Quamobrem non immeritò tautologiæ accuſer, ſi prolixus ſim in explicando demonſtrandoque, huic igneę poteſtati & actioni pyramidis figuram deberi.

Contemplari quid.

Auguriorum origo, & vanitas.

Idolomania cauſſa.

Futurorũ cognitionẽ omnes expetunt.

Res litteræ figura.

Pingenda igitur erit meta, ſiue ea Ægyptiarum pyramidum formam referat, ſiue propiùs obeliſcos æmuletur. Quoniam autem oſtendi, totam hanc Spiritus ſancti

erectionem

erectionem ad principem hominis partem referri ac pertinere, non potest dubiũ esse, quin capitis effigies propria sit nota ad hanc oculis repræsentandã. Cùm enim subtractio hæc quam Spiritus sanctus in homine erigendo molitur, tota ad id tendat, quò caput belluinam hominis partẽ freno suo coërceat & imperio premat, atque ita homo fiat verum Dei templum; aptissimè caput pingetur, eò quòd nõ solùm sedes sit rationis & mentis propria, sed etiam quòd ab imperio à sermonis nostri opifice Pet nominetur. Accedit huic huius picturæ rationi & altera caussa. Quando enim ad hoc vt templũ Dei simus, opus est animo domito, necessariũ videbatur, vt & freni forma & pecudis domiti imago ostenderetur: atqui hæc eadem meta quæ erectionis habet significationem, non solum frenum exprimit, sed pecudis etiam domitæ propriam ostẽdit figuram. Frenũ enim quo homo animum regit, pyramidem ad vnguem imitatur; propterea quòd intra metæ terminos omnes cupiditates & impetus quibus iumentum efferuescit, coërceat; & omnes quotquot sunt sic componat, vt ad Vnum quod Christus dixit esse necessariũ, ferantur. Hinc liquet, frenũ capitis siue mentis nihil aliud esse quàm regulam conoidem, qua veluti lupatis animus domatur, & vt se ad Vnum erigat, cogitur. Hoc cùm clarissimum sit ex iis quæ à nobis frequenter antea dicta sunt, obscurum itidem esse non potest, quæ forma sit ipsius siue animi siue pecudis rationis à Spiritu sancto erectæ imperio subiugati & per omnia obtemperantis. Neque enim Stoicorum more cupiditates & animi affectiones ex homine tollimus; sed eas, dum à Spiritu sancto erecti sumus, sic componimus, vt in metæ formam sursum ad Vnum apicẽ tendat. Commodissima igitur nobis fuit, & significationũ varietate plurimã suggerens pyramidis figura; qua nimirũ simul & spiritus erectio, & freni forma, & animi domiti imago cernitur expressa; non illa quidẽ vulgari aut plebeia pingendi ratione, sed tali, vt nemo mortaliũ quicquam possit ad viuũ magis imitari. Adde nũc his illud etiam corollarium & maximũ picturæ ornamentũ, quòd dum aptissimè ea quæ dixi oculis sunt subiecta, illud vna opera effectum est, vt templi formam & substructionẽ habeamus, qua nullã quisquã possit vel cogitando tantùm meliorẽ architectari. Cùm enim templũ esse de vocis ratione definiuerim, domitæ pecudis exaltationẽ; hæc nobis tabula omnia simul exprimit, tum ipsum caput Spiritus sancti gratia erectum, & vnà secum erigens quæ imperio suo coërcet, tum frenum quo coërcet; tum pecudis formam quam coërcet, & ad Vnum sese attollere compellit. Maiores nostri huius rei conscij, cùm ex tota fanorum amplitudine pyramidem facere difficillimum & operosissimum; & tale etiam, vt vel fieri non posset, vel si factum fuisset, plurimis iniuriis, & maximè ventorum patêret, animaduertissent; prudenter illud excogitarunt, vt omnibus templis meta cum capitis forma vel supernè imponeretur, vel ad posticam partem exstrueretur, quò totam structuram pyramidis & capitis ei imposita forma terminaret, ceu ea propria esset & necessaria forma templorum. At dum rotundo globo, quo alibi aliud, hîc caput denotatur, crux imponitur; idem fit quod in hac Alphabetica oratione factum videmus, in qua supremus & vltimus apex est ipsum Tau, quo crucem significari mox latiùs ostendam. Quis hic non miretur maximam hanc precationis nostræ & ipsius templi, in quo pre-

Pyramis quarum rerum tessera.

Templorum forma, & formæ ratio.

catio

catio fieri debet, similitudinem atq. concordiam? Nam sicut oratio Alphabetica à vita capit exordium, & ad capitis erectionem paullatim adscendit, atque deinde capiti erecto Tau imponit; ita vera templi forma substructionis suæ initium habet metam, veræ vitæ indicem; atque inde absolutæ metæ caput imponit, quo prima hominis effigies, aut potiùs secunda, quam Spiritus resuscitãs & erigens largitur, exprimatur; iuxta illud,

Os homini sublime dedit cælumq; tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Ex his modò perspicuum fit, quanta significationis efficacitate in lingua nostra illud Christi diceretur, *Domus mea domus orationis vocabitur*; cùm ipsum templi nomen, & vera templi forma, nominis vim exprimens, adamussim conueniat cum natura orationis: quod illi clarius videbunt, qui quæ de Alauda diximus, cum his conferent quæ de templo in metam erecto hoc loco docentur. Hîc illud dumtaxat peculiare est, quòd meta hoc loco ad erigendum humanum caput pingatur, & globus qui imponitur hoc ipsum caput significet. In obeliscis Pyropi aliud notant, vti antea docui: & si pictura recta ratione in Ris procedere debeat, non tam globosum corpus, quàm ouatum deli-

R littera figura. neetur oportet, quo facies hominis exprimatur. Quamobrem maiusculum Latinorum R non rotundam partem superiorem habebit, sed ouatam. Græci suum Rho ita pingunt, vt obeliscus verutum videatur, & reuera sit obeliscus, vti vocatur; cui magnũ caput desuper imponunt ad dextram prospiciens, ita vt veru ea parte caput sustineat qua spinæ medulla descendit. Hebræi, nescio cuius Genij beneficio & instinctu, in confusione linguarum huius litteræ memoriam quandam videntur retinuisse: & quia figuram eius capite insignitam fuisse recordabantur, à nomine eius caput ראש vocarunt. Chaldæi tamen conuenientius origini ℜees per secundam Latinorum vocalem productam efferunt; propterea quòd sermonis nostri anologia in vocibus formandis postulet, vt nomina à præterito verborum imperfecto deriuentur, quo nimirum ideis quæ perpetuæ sunt, respondeant. Dixi enim sæpius, præterito imperfecto tria tempora, & idcirco omnia designari; eamque ob caussam perennandis rebus conuenire, vt ab eo no-

ℜees. mina ducantur. ℜees enim præteritum imperfectum à ℜys caput denotabit, quoniam perpetuum capitis officium sit, vt & se, & totũ corpus sursum erigat. Quia autem caput in homine summum est & primarium, Rees etiam pro summo & primario apud Hebræos ponitur; & hinc Reesith principium tum ceterarum rerum, tum Bibliorum. Nec Chaldæi, nec Hebræi vocis originem norunt, vti neque ceterarum quas è primo sermone retinuerunt. Apud hos aliud quoque nomen inuenitur ab eadem nostrati radice productum, sed litteris per hysteron proteron legendis, vt origo cognoscatur. Fermentũ enim שאר vocant: quod vocabulum si vertas, ℜees habebis, tametsi puncta alia addãtur.

Geſt. Fermenti enim natura est vt panem attollat. Nobis Geſt eundem vsum præbet: quia vocula fecem cereuisiæ nominari modò dixi. Vnde cernas, quanta sit inter Geſt & ℜees cognatio; & inde quàm ℜijs & Geeſt inter se consentiant. Videtur igitur in hac littera idem Hebræis accidisse quod in Hoogen. Vt enim ex illius litteræ figura oculi nomen;

Cereris etymõ & vera pronunciatio. ita ex huius figura capitis nomen mutuatos esse opinor. Latini à vetustissimis Cimmeriis nomen Ceres acceperunt, in quo prima littera corrupta est, ob corruptam tertij apud Latinos elementi pronunciationem: quod ante E & I perinde efferunt ac si sibilans littera esset. Seres enim erat dicendum, vt vox circularis efficeretur qualis est Anna, & aliæ nonnullæ. Significatur enim hac voce vis illa diuina quæ sementem & segetem

Ser. præsidio suo tuetur. Ser enim olim pro sero nostrates dixere, à Sei-er, id est semino terram; vbi in Er Tau omissum est. Hinc Latinorum Sero, adiecta dumtaxat terminatione. Hac ætate Tau addimus vel Dalet, litteras frequenter concludendæ vocis caussa addi consuetas, sert vel serd/ non ser dicentes; verùm non pro quauis satione, sed ea quæ omnium est excellentissima, per quam nimirum homo procreatur. Ser itaque generatim acceptum cõuertitur in ℜees, quod significat Surgebat. Propterea enim semen terræ committitur, vt rursus exsurgat, & nõ exsurgat modò in mole maiore, sed crescat etiam

Cereris fabula explicata. & augeatur numero ac copia, quod eadem voce denotatur. Seres ergo, semini terræ cõmittendo & multiplicando præsidens, serpentibus vehitur; quibus & aquarum vis siue humecta terræ vligo & palingenesia denotatur. His fax accedit vitalis caloris habens significationem, quo semen alitur & in frugem ampliorem promouetur. Quærit verò

natam

natam suam; id est, semen terræ commissum caloris & humoris viribus rursus ab inferis in lucem proferre nititur. Et quia hic labor in orbem redit numquam cessaturus, nomenclator sic nomen composuit, vt perpetua hæc sementis & messis vicissitudo litterarum circulo in se redeunte notaretur. Verùm hæc naturalis est & pinguis, ne dicam rustica, fabulæ interpretatio; in qua si hæreas, parum promouetis ad arcana Cereris mysteria intelligenda. Longè altiùs Moses ascendit, dum mundi fabricam per Beresit exorsus est, cuius vocis prima radix Res est, quod vocabulum è Ser prodit, quo actus seminandi notatur: qui non aliud est quàm ipse Pater, qui mundum per Filium suum ex abditis infinitatis suæ abyssis & tenebrosa caligine, nulli nisi Filio peruia, in lucem prodire fecit; quod vocula Res designat, Re & S complexa; quorum illud Ratio est, hoc Spiritus sanctus. Porrò Seres longè adhuc profundiùs examinetur necesse est, siquis totam significationis vim perspicere velit. Nam si nomen in elementa soluas, ad Se & Es peruenies: quorum illud Patris est, hoc Filij ab æterno geniti; quæ duæ hypostases per illam hypostasim inter se deuinciuntur, quæ per litteram vibrantem denotatur. Cùm enim R ad Lationem pertinere, & eam quidem vehementem, nemo non fateatur, cui potiùs hoc elementum fuerit tribuendum, quàm ipsi Spiritui sancto, de quo dictum est: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Ser igitur & Es per litteram Res coniunguntur, & circulare constituunt vocabulum, non alij propriè quàm sempiternæ congruens Trinitati. *Beresit vocis compositio.*

Scin.

SCIN Hebræi pro duabus litteris vsurpant; altera simplici Samecht, altera duplici, vt tantundem valeat ac Samecht & Cap coniuncta. Quòd pro simplici Samecht ponatur, omni rectæ rationi repugnat. Quid enim absurdius, quàm litteram duplicem pro simplici collocare? Crebrò autem pro ea poni ipsa docet pronuntiatio, quam nobis Grammatici præcipiunt, dum Sebolet in sinistro litteræ cornu videmus. Bella profectò ratio & insigne plebiscitum. Iubent vt id peccemus, ob quod olim Iephte Galadites quadraginta duo Ephraitarum millia occidione deleuit. Legimus enim ab eo omnes ad Iordanem cæsos esse, qui pro Scibolet Sibolet pronuntiarent. Atqui nostri nunc Rabbini edictum proponùt, vt hanc litteram sæpe ita efferamus, vti illi qui ob deprauatum eius sonum à Galadita iugulati fuisse scribuntur. Profectò si non alia cædis causa fuisset, quàm pronuntiatio ipsius Sebolet, Israëlitæ quàm Ephraitæ occidione fuissent digniores, eo quòd Sebolet siue pro spica ponatur, siue pro fluctu & vi aquarum, ab ea radice surgat, quæ Samecht habet non Scin. Dum enim pro spica ponitur, idem patitur quod infinita alia vocabula, in quibus rectus litterarum ordo turbatus est. שבלת enim venit è weis-Helt siue weis-Hel / quod nobis significat id quo triticum continetur. Hebræis familiaris est Sigmatismus æquè atque Sueuis. Hinc weis pro nostro weit in hoc vocabulo videmus. Verùm dum pro fluctu & aquarum vi ponitur, à nostro See-welt deriuatur, recto litterarum ordine seruato, quo vis aquæ denotatur. See enim non solùm mare magnum significat, sed quemuis lacum & aquam latiorem: quod si mihi non credis, consule Bauariæ descriptionem, in qua quemuis lacum, licet paruum, See vocari videbis: quod item in tota Austria, Salisburgensi ditione, & generatim in toto illo Germaniæ tractu obseruare licet. Quæuis ergo aquæ latioris vis & impetus See-welt nobis dicetur. Duplex autem digamma in Bet frequentissimè apud Hebræos transit. Hæc cùm nobis sint clarissima; vide, quæso, vtri meliùs, Hebræine, an Ephraitæ Sebolet pronuntiarunt. At huic שבל vicina vox videtur; quæ tamen per duplicem litteram pro humero efferenda est. Nobis enim Scouwer est, vbi Res in Lamet per Labdacismum transiit. In hac voce variatum est sententiis inter Hebræos, aliis humerum, aliis femur, aliis plantam pedis ea significari arbitratis: quam litem vera vocis origo decidit. Eodem modo in שאף pro vastare, duplex littera sonanda, eo quòd nobis Scaën dicatur, quod est damnum inferre. Dum verò eodem verbo vtuntur pro videre aut contemplari, radix quærenda in nostro Scouw / quod significat diligenter inspicio; licet composita voce Aen-scouw frequentiùs vtamur. Vt autem in his rectè duplex littera profertur; ita eadem malè collocatur in שאט pro contemnere, despicere siue spernere: quod verbum perspicuum est à nostro Smat / id est, contemnit & adspernatur, formari, solius Mem

Scin litteræ potestas, & pronuntiatio deprauata.

Iephte omnes eos occidi iussit qui Sibolet pro Scibolet pronuntiarēt.

Hebraica voces è Cimbricis factæ.

Weis. Weit. See. Scouwer. Scaën. Scouw. Smat.

elisione; quam litteram vel adimunt vel adsciscunt Hebræi frequentissimè sine caussa. Malè item שָׂפָה pro bibere & absorbere cum duplici pingitur, cùm clarum sit, radicem

Hoph. esse nostrum Hoph, verbum Germanis in vsu nimis frequenti. Nec שָׁבַר pro frangere

Bus. & conterere bene per duplicem pronunciatur. Nos enim Bus dicimus pro in minimas partes confringo. At dum שְׁבָרִים pro fluctibus maris dicunt, vox à Se-baren deriva-

Se-baren. tur, quo clarissime fluctus maris denotantur, & idcirco duplex littera locum non ha-

Bart. bet. Rursus dum שָׁבַר pro pario vtuntur, quis non agnoscit bart, id est, parit? vbi Sigmatismus est, dum pro Tau Scin ponunt: tolerabilior futurus, si Samecht scripsissent. Pec-

Sit. cant item dum שׁוּשׁ pro Seta dicunt, cùm nos sit vel side dicamus, non sept vel seps, quod

Side. Sept. est caco. Elegans profectò & delicata permutatiõ, dum pro Seta caçare se dicunt: nec melius שֵׁשׁ pro Sex dicunt, cùm hîc omnino Samecht scribendũ esse, non nostra modò lingua, sed Latina etiam declaret; שֹׁשַׁן lilium vocant: quod vocabulũ Suson, non Scusõn dicendum, & idcirco per Samecht scribendũ. Originem ducit à Nos suet, siue Nas sues, vt Sueui dicerent, quo nasi suauitas siue deliciæ significantur. Nemini obscurum esse

Sagh. potest שָׁעָה pro aspexit idem esse cum nostro sagh, id est, videbat, & ideo Samecht fuisse pingendum. Sic שַׁדַּי ponitur pro Deo. Hebræi omnipotentem vertunt, conuenientius origini Saturnum interpretaturi. Nam Sat-di significat cum qui seminũ omnium vim

Sat. & indit, & promouet, & auget. Hinc שָׂדֶה ager à seminando, quasi Sat-di, id est, seminis

Di. Sut. incrementum. שׁוּק pro desiderare dicunt Nos sut pro quæro & desidero: vnde liquet, hîc itidem Samecht desiderari, & Scin ejici debere. Cõtrà res habet in שָׂטָן quod aduersari vertunt. Nobis scad thou idem est quod damnum adferre: quæ origo docet, hîc Scin esse debere citra punctum sinistrum. Eadem ratione in שָׂטָה Scin esse debet. Idem enim

Scatter. est quod nobis scatter, id est, exactor, & is qui vectigalia imponit populo. In שֵׁן pro dente,

Tend. & scad, vt Sueui, vt nos tend, non debebat esse Scin, sed Samecht. Item in שָׂעָה pro vide-

Sagh. bat; adspiciebat, non erat locus ipsi Scin, sed Samecht: est enim nostrum sagh, id est, vi-

Ghepeis. debat. Nec rectiùs שָׂגָה pro cogitatione cum Scin scribitur, cùm sit nostrum ghepeis per metathesim. Laudandi tamen sunt in שָׁפַט quo iudicare significant, eo quòd Scin hîc

Strept. rectè ponatur. Est enim nostrum strept, quod est res constituere: vnde strepen pro iudice.

Strepen. Aliquando superfluum est Scin, vt in שָׁקַד pro vigilare. Hoc enim à nostro wart fit, du-

Wart. Set. plici digamma in Qua-af mutato. שִׁית pro ponere, quod nos set dicimus, purũ Samecht haberet, si scriptura vel originem, vel genuinum sonum sequeretur. In שֶׂרֶק pro pulcro

Sranc. vitis palmite Scin esse debet, sed sine puncto sinistro. Est namque seo ranc vel sroon ranc, vt Nun bis sit ejectum, idem quod pulcer palmes. Sed quid ego exemplis immoror? Quid quod clarum est docere pergo? Nemo Hebræorum negat, hanc litteram geminũ sonum habere; & modò pro Samecht, modò pro peculiari sibi sono poni. Verùm hunc proprium non satis bene omnes expresserunt. Nos è primis originibus deprehendimus duplicem litteram esse, ac tantundem quantum Samecht & Cap valere. Nomen verò litteræ Scin pronunciamus, vocali nimirum producta quo splendor nobis denotatur, & metaphoricôs probabilitas quæ rebus elucet; id quidem dum nomen est. Hebræi שִׁין ab hac nostra voce acceperunt, dũ ea pro cocco vtuntur. Aquila enim διάφανον, Symmachus διαφαῦνον reddidit, teste D. Hieronymo in epistola ad Fabiolam de veste sacerdotali, propterea videlicet quòd coccineus color splẽdeat. At dum eandem voculã pro dente vsurpant, litterã Scin pro Samecht malè ponũt; eo quòd nobis sent dicantur, siue tenden.

Scin littera vera ac genuina potestas, pronunciatio, nomẽclatura & significatio.

Scin. At vt verbum, idem notat quod splendet, & quod esse videtur. Sic dicimus, het sent te sin, id est, apparet rem ita habere. Rogat ergo præceptor, vt Spiritus sanctus splendorem præsentis vitę, & ipsam nostram imaginationem erigat ad ipsum antiquum, vt videlicet eum intueri queamus; nõ eo modo quo res nobis in hoc mundo videntur, sed quo pòst sunt videndæ. In Qua-af Sol splendore suo caput nostrum ambiebat & illustrabat, & nobis splendoris sui portionem quandam communicabat. Hîc igitur petimus, vt hoc præsentis vitæ lumen quod obscurum adhuc est & imperfectum, erigatur ad illam antiquam lucem in qua Deum videbimus; non in ænigmate & lumine quodá caliginoso, sed facie ad faciem, vt Apostolus tradit. Quamuis enim in hoc mortali corpore lumen quoddam à Spiritu sancto accipimus, quo diuina contemplemur; hoc tamen longè inferius est illa luce cælesti. Nam *neque auris audiuit, nec oculus vidit, nec in mentem hominis vmquam venerunt, quæ Deus nobis in futura vita præparauit.* Quamobrem orandũ est,

vt hoc noſtrum vmbroſum lumen ad ipſum patrem vniuerſorũ à Spiritu ſancto eleuetur, quò in ſempiterna luce, omnem Solis ſplendorem vincente, ſemper & cõtinuò Dei faciem contemplemur: qua in re ſumma eſt & omnium votorum & omnis precationis. Moſi roganti, vt Deum videret, reſponſum eſt: *Non videbit me homo, & viuet.* & mox: *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Quod hîc dicitur, Dei poſteriora dumtaxat in hac vita cerni, id Scyn videtur denotare. Eſt enim Scyn ſic formatum, vt in Sce-lim ſoluatur, quod ſignificat, id quod poſterius eſt diſtinguo. Dum igitur Scyn rogamus ſurſum ad antiquum dierum tolli, rogamus vt hęc per poſteriora Dei cognitio mutetur in claram & directam diuini vultus inſpectionem. Præter verò hanc notationem, Scyn item pro imagine dicimus, eo quòd imago id cuius imago eſt eſſe videatur. Hinc magna vis eſt in hac orationis clauſula, propterea quòd Spiritus ſanctus rogetur, vt imaginẽ ad antiquum eleuet: quod quid aliud eſt, quàm vt hominẽ, Dei imaginẽ, ad eũ attollat, ad cuius ſimilitudinẽ ab antiquo creatus eſt? Æquiſſima enim hæc videtur oratio, qua rogatur vt ſpiritus eum ad Deum euehat, cuius tanta eſt cum Deo ſimilitudo. Neq. enim fieri poteſt, vt quiſquam illud non amet quòd ſibi ſimile eſſe intelligit; maximè verò ſi ſciat id ad ſui imaginem factũ eſſe. Videmus quanto amore parentes filios proſequantur, eo quòd in illis quandam ſui ſimilitudinẽ eſſe credant. Quanto igitur maiore Spiritus ſanctus amore Dei ſimilitudinẽ amplectetur, cùm ipſe omnis amoris fons ſit & origo, & tanto imaginẽ propiùs agnoſcat, quanto omnia penitiùs intuetur. Quid? quòd Deus ipſo ſpiritu imaginem depinxit, adeò vt ingẽs in hac voce pondus ſit ad beneuolentiam cõciliandam? Huic precationis artificio aliud myſterium ex eodem vocabulo Scyn accedit. Quemadmodũ enim ῞Αγιος Spiritus ſancti attributũ eſt; ita Scyn Filio propriè conuenit; qui, iuxta D. Paullum, imago Patris eſt & ſplendor gloriæ eius. Qua enim voce vel imaginẽ vel ſplendorẽ melius exprimas, quàm ſi Scyn dicas, quod ſimul vtrumq. complectitur; quorũ alterum ad Corinthios, alterum ad Romanos Apoſtolus expreſſit? Nemini igitur dubium erit, quin huius litteræ nomenclatura clariſſimè filius deſignetur, quando Scyn & ſplendorẽ & imaginem apertiſſimè cuiuis noſtratium declaret. Poſtquam de huius litteræ pronũciatione, de nominis ſignificatione, de ordine, in ſecundo ternario, qui vltimam orationis Alphabeticæ clauſulam abſoluit, dictum eſt; non illud quidẽ quantũ rei amplitudo poſtularet, ſed quantũ ſatis eſt ad capita iis indicanda qui hæc latiùs volent explicare, conſequitur vt de pictura quæramus, qua nimirũ quàm conuenientiſſimè ipſius Scin notatio oculis ſubiiciatur. Hîc in primis illud monendũ, licet Scyn ipſius Filij in Trinitate ſit attributũ, nobis tamẽ eam eſſe effigiem pingendam quæ apta ſit ſententiæ Alphabeticæ, & ad id quod dicitur in epilogo, & quod in prioribus dictum eſt, collatæ. Inuenienda igitur figura aliqua qua tenue lumen, & tale, quale hominis eſt in hac vita mortalis corporis vmbra tenebroſa, quàm optimè exprimatur. Et quia hæc vita vitam futuram tẽpore præcedit, neceſſariũ fuerit, ſi diuinis litteris conſentanea dicere velimus, vt hæc vita nox, futura dies vocetur; quãdo ſcimus in temporũ cõputatione, & ſacris litteris, & Cimbricæ antiquitati noctẽ quàm diem numerari priorẽ. Quoniam itaq. huius vitæ lumẽ nocturnũ eſt, oportebit vt pictura nocturnũ quoq. lumẽ repræſentet: quale

Scyn vocis compoſitio.

Simile ſibi quodque ſua natura amore proſequitur.



Scin litteræ figura.

reuera est quicquid luminis in hoc corpore habemus; neque aberret quisquam, qui nos dicat quodammodo in obscura Platonis specu desidere. Quę cùm ita sint, quid reliquú est, quàm vt loco Scyn lychnum nocturnum apud omnes veteres lumen exprimamus; & illum quidem non polymyxum, sed vna flamula splendentem, quæ è medio sursum ferretur, haud secus atque lumen mentis nostræ è meditullio nostri ad superna contędit.

Lychnos in sepulcris veteres quare collocarint.

Lychnos veteres Ianigenæ in sepulcris collocare consueuerũt, vt indicarent corpus veluti nocturno somno oppressum dormire, & certam spem vitæ superesse quæ flama denotabatur. Neq. enim aliud flama, quàm pyramides & obeliscí, & cypariſſi siue cupressi in sepulcris & bustis denotabat; & tanto quidem efficaciùs denotabat, quanto signatum quàm signum propiùs ad rem accedit. Metæ enim non alia ratione vitæ indices erant, quàm quòd flamæ formam imitarentur, quæ vitæ signum manifestum gerebat. Transiit hæc lychnorum in sepulcris collocandorum consuetudo ad Romanos Ianigenarũ posteros; verùm, vt ceteri ferè ritus, ad superstitionem magis quàm ad priscam religionem ab ipsis relata. Hinc illud est, vt infiniti lychni hactenus in sepulcris Romanorum reperiantur: neque verò in sepulcris tantùm lychnorum fuit vsus, sed etiam in funebri pompa, vt cernere licet apud Persium, qui funus suum sic exorditur:

Lychni in sepulcris Romanorum.

Hinc tuba, candelæ, tandemq; beatulus alto
Compositus lecto. ——— & cetera quæ paullo antè recitaui. Eadem videlicet vtrobiq. luminis significatio, & in cadauere efferendo, & in sepulcris. Quòd autẽ lychni flama vitam significet, non è ratione modò à nobis adducta cuiuis liquere potest, sed è Plutarcho etiam accipiet auctoritatẽ. Is enim in quæstionibus Romanis dicit, lychnum respondere corpori animum continenti, qui lumen est. Hinc piaculũ erat apud Romanos, lychni lumen exstinguere, at illud tinendum erat tantisper ardere, dum natura ferret: qua in re causſam quærens Plutarchus, inter alias cõiecturas & has habet: An id Romani obseruarint, vt lychnum tamquam cognatum & germanum ignis perennis & inexstinguibilis venerarentur; an verò, vt docerent animal occidendũ non esse, quia lychnus animali similis esset? Nos è Plutarcho rituum Romanorũ causſas non quærimus: id satis est testificatione eius constare, lychnũ simile esse corpori animũ continenti, & flamam quidem animum esse, cui vita debetur. In vetustissimis erat Romanorum cęrimoniis, ne lychnus auguris vmquam concluderetur, sed semper apertus maneret. Hoc cur fuerit institutum à veræ religionis magistris, sciri non poterit, nisi vltra communem auguriorũ superstitionem adscendas, & quis reuera augur dictus fuerit apud Ianigenas, intelligas. Nos inter Augur & Oogur non aliud discrimen esse scimus, quàm inter Aulam & Ollam. Germani superiores pro Oog, quo nobis sine discrimine vel acutè videre, vel oculus dicitur, Aug scribunt. Quamobrem citra longas ambages clarũ est, Augur vocem esse compositam ex Aug & Vr, & hac excellentiã perfectionis, illa acumen videndi notari, ita vt is Augur sit dicẽdus, qui ceteris ad acutè omnia videnda præstantior est. In ciuilibus magistratibus Episcopum Athenienses eum vocabant, qui ad id deligebatur, vt ciuitates Athenienſibus subditas visitaret, ac diligenter in iis, num rectè omnia gererẽtur, peruideret. Hunc nostrati lingua Augurem dicere potuissent. Romani Augurũ officium sacris alligarunt, & eos principiò hoc nomine dignati videntur, qui acutissimè omniũ sacrorum causſas viderent; & diligenter animaduerterẽt, ne quid in iis peccaretur. Atque hinc lituus illis datus, quo pascendi gregis munus indicatur. Verùm fœda superstitio corrupit omnia, & officia & sacra nomina in diabolicam transtulit officinam. Quæstui enim sacra posthabentes augures, fraudulentã & dæmoniacam artẽ excogitarunt, cuius lucrum & insignis mercatus tam latè sese mox extendit, vt totũ ferè orbem fuerit amplexus. Verùm igitur & priscũ augurum officiũ fuit, populũ pascere, & lituo ad id vti: in quo rotunda illa superioris partis reflexio non pedi tantùm curuaturam, sed oculũ etiam videtur denotasse; cuius præstantiore vsu ipsi ceteris omnibus anteirent, in diuinis nimirum & contemplandis & docendis. Vt igitur nomen Pontificis fœderum violatorũ promittit expiationem; ita Augurium scientiam & doctrinam pollicetur; adeò vt non aliud augures sint, quàm rerũ diuinarũ doctores & Episcopi; & vno verbo, boni pastores. Horũ quod fuerit officiũ, non ex alterius ore verius discas, quàm ex eius qui omniũ pastorum dux est & Imperator. Hic est Christus, qui vt ante Abrahã; ita etiã ante omnes fuit augures: ac, si verum fateri velimus, summus & supremus augur; vtpote qui solus Patris arcana

Lychnum extinguere apud Romanos piaculum.

Lychnus auguru num quam cõcludi potuit.

Augur vocis etymon & cõpositio.
Oog.
Aug.

Augur quis dicendus. Episcopus Athenienſibus quis fuerit.

Augurũ verum & proprium officiũ.

cana intuetur,& numquam aberrante aut caligante oculorum acie obſeruat. Is igitur inter alia Apoſtolos ſuos, auguratus ſui munus exponens, ſic eſt allocutus: *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrũ, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Idem docet quæ ſit lucerna corporis noſtri, aiens: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totũ corpus tuum lucidũ erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* In his ſummi auguris verbis clariſſimè videmus, quid oculi nomine in ſacris ſymbolis ſit intelligendum, quid item lucerna deſignet; & id tandem colligitur, & oculi & lucernæ nomine mentẽ noſtrã denotari, quæ verum hominis lumen eſt. Augur itaque non à corporati oculi perfectione, ſed à mentis præſtantia nomẽ habere intelligatur oportet; cuius lucerna non alia erit, quàm mens ipſa, totum hominẽ illuſtrans. Quiſquis ergo primus fuit illius ſiue ritus ſiue legis magiſter, ne Auguris lucerna vmquam abſconderetur aut tegeretur, is eodem quo Chriſtus ſpiritu videtur ductus fuiſſe. Quid enim aliud eſt lucernã tegi, quàm eam abſcondi & ſub modio poni? Voluit ergo primus Augurum & præceptor & conditor, vt Augur lux mũdi eſſet; atq. ea ſic ſemper aperta & clara eſſet, vt hominibus in primis bona auguris opera oſtenderet, ac deinde doctrinæ ſalutaris lumẽ omnibus, citra omne caliginis obſtaculum, affunderet. Videmus nunc quantũ in exigua & cõtemta ferè lege rituali latuerit myſteriorũ; quibus non officiũ modò boni doctoris atque paſtoris totũ continetur, ſed nomen etiã auguris explicatur; vt ipſe Chriſtus ad hoc nomen in Euangelio reſpexiſſe videatur; quod apertiſſimè fecit in pacificis, & pauperibus ſpiritu, & mitibus, vt antè declaraui. Quid enim aliud videtur feciſſe, dum oculũ lucernã eſſe dixit, & hanc rurſus mentem ipſam eſſe declarauit, quàm vt intelligeremus, quis Auguris oculus ſit, à quo nomen accepit, & quæ ſint auguris partes? Non eſt igitur nunc vlteriùs aut prolixiùs oſtendendũ, lychno ſiue lucerna hominis mentem denotari, quando id modò ex ipſius Chriſti teſtificatione conſtat. Eodẽ pertinet & illa de Virginibus parabola cum accenſis lychnis, quarũ quinque fatuæ oleum ſecũ non tulerunt; quinque prudentes acceperunt, ad ſupplementum nimirũ ſi priùs defeciſſet. Hìc enim lampades ardentes mentẽ ſignificant, præſenti pabulo lumen ſibi ſuum tuentem: at exſtinctæ lampades oſtendunt pabulum defeciſſe. Quod verò animorum pabulum intelligimus? Quod aliud, quàm ipſe Chriſtus intellexit dum dixit, *Non ex ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo quod procedit ex ore Dei?* Sunt enim inter Chriſtianos animæ fatuæ & prudentes; ab idolomaniæ fornicatione vtræque illæ quidem liberæ, & idcirco virgines; ſed fatuæ verbum Dei audiunt & accipiunt, & aliquantiſper eo aluntur; verùm quia verbum in ipſis radices non agit, non magis quàm in exili ſolo ſaxis iniecto, lumen ipſarum citò deſtituitur alimento. Oleum itaque ſolidum luminis pabulum, eſt verbum; copia eius & ſupplementum, eſt aſſidua verbi meditatio, & operum bonorum exercitatio, quam prudentes virgines per totam vitam continuarunt, donec ſponſus & ſponſa venirent; qua fatuæ eo tempore quo maximè erat neceſſaria, deſtitutæ, excluſæ dicuntur à nuptiis. Non eſt igitur ampliùs dubitandum, quin hominis lumen, quod Scyn vocatur, mens hominis ſit; verbo Dei tamquam oleo nutrita, atque ſurſum elata per aſſiduam meditationem & operationem, quam perpetua flamæ vibratio deſignat. Nec item dubitari poteſt, quin huiuſmodi hominis lux optimè denotetur per lucernam, in cuius medio ellychnium, velut in totius nutrimenti ſui corde, flamam ſurſum effert; qualibus penſilibus è vitro factis perpetui luminis in templo cuſtodes hactenus vtuntur, in quibus ferreum filum vel lamina ellychnium continet, cuius imago in figura Scyn videtur. Eſt autem vitrea lucerna, in medio ellychnium habens, huic teſſeræ tanto accommodatior, quanto minus vmbræ facit, & lumen ſuum in omnem partem clariùs diffundit. Nos quò vetuſtam lucernarum penſilium tum conſuetudinem tum formam ob oculos poneremus, Sigillum Heraclij Imperatoris appingi curauimus; è quo & illud Virgilianum nonnihil lucis accipiet:

Lucerna & oculi nominibus quid in ſacris litteris intelligatur.

Lampades ardentes quæ intelligantur in Euangelio.

Oleum quod in Euangelio intelligatur.

Lucernæ penſiles.

——*dependent lychni laquearibus aureis*
Accenſi.——

Certè Augurum lampades tales eſſe decuiſſet, quò lumen ſuum minùs tegerent &

Lychni etymon.

Lucht-uat.

Vur.

Vier.

vmbra ſua offuſcarent. Aptiſſimã igitur ipſi Scyn figuram inuenimus, ipſa illa præmonſtrante luce, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: atque hoc nomine Hebræis gratias habemus, quòd hanc lychni effigiem non malè conſeruarint, dum ſuũ Scyn pingunt; tametſi quid pingant, prorſus ignorent. Lychni autem vocabulũ pro lucerna noſtratis eſt originis, cùm lychnus nõ aliud ſonet, quàm Lucht-nut / ſiue Lucht-uot / quod ſignificat id quod vel vtile, vel neceſſarium eſt ad lumen conſeruandum. Campani noſtri Brabanti Lucht-uat dicunt, id eſt, luminis vas, ſiue vas ad lumen faciendum: à qua voce an Hebræi ſuum habeant לפר nec ne, parum refert; & difficile ſit iudicatu, propter ſuperſtitioſum conſonantium in vocabulis ternariuin, qui verarum originum magnam inuexit obſcuritatem, dum neceſſarias litteras ſuccidit, & frequenter loco earum ſuperuacaneas accerſit, in quibus Alef, He, Nun, Mem, aliæ frequens nobis in radicibus examinandis negotium exhibent. Nobis Vur ignem ſignificat; & item ignem facere. Alia dialecto Vier dicitur. pro eadem re Hebræi ex Vur אור fecerunt, reiecto priore Vau, & loco eius Alef ſubſtituto, prorſus ſuperuacaneo. Rurſus reiecto Aleph, & loco eius Nun ſubſtituto, ex Vur נור fecerunt, quo lucerna denotatur: & quo minus veræ originis reſtet, ipſum etiam Vau eximunt, & pro נור dicunt נר: & rurſus quaſi vocem à Vier accepiſſent, ויר etiam efferunt pro eodem. Chaldæi נור, vel נוּרָא pro igne dicunt. Et quo nihil conſtans eſſet, ניר etiam pro nouali poſuerunt: in qua ſignificatione à Ni-er, id eſt, noua aratio deriuatur.

LIBER

LIBER XVI.

Tau.

QVIS non miretur, ipsius Tau tot apud priscos exstare monumenta, cùm nemo omnino inter eos quicquam scriptis prodiderit, quod facere videatur ad mysteria eius intelligẽda? Scripsit Pierius Hieroglyphica, sed de Tau signo, in sacris Ægyptiorum litteris frequẽtissimo, ne minimam quidem fecit mentionem. Hebræi תָּוָ pro signare, & Tau pro signo vsurparũt; melius illi quidem & maiore ratione quàm quisquam eorum sit arbitratus: verùm nihil ab iis litteris traditum, cur vel vltima littera nomen hoc adepta fuisset, vel cur omnino pro quouis signo poneretur. Nono Ezechielis capite legitur: *Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius.* Et mox inde: *Omnem autem super quem videritis Tau, ne occidatis.* Ad hunc locũ Hieronymus hæc notauit: Pro signo, inquit, quod Septuaginta, Aquila, & Symmachus transtulerunt, Theodotio ipsum verbũ Hebraicum posuit Tau, quæ extrema est apud Hebræos viginti & duarum litterarũ; vt perfectam in viris gementibus & dolentibus scientiam demonstraret: siue, vt Hebræi autumant, quia Lex apud eos appellatur תּוֹרָה, quæ hac in principio nominis sui littera scribitur: illi hoc accepere signaculum, qui Legis præcepta compleuerant. Et, vt ad nostra veniamus, in antiquis Hebæorum litteris quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Tau littera crucis habet similitudinẽ, quæ in Christianorũ frõtibus pingitur, & frequẽti manus inscriptione signatur. Hæc D. Hieronymus. Verùm vt propiùs antiquitatis penetralia iustremus, videamus ecquis alius ad Tau intelligendũ iter prẽmõstret: ac primũ quidẽ Ausonium cerno, alterius illustrioris vatis ductũ nobis occinentẽ ad hunc modũ: *Dic quid significent catalecta Maronis; in his Al*
Celtarum posuit, sequitur non lucidius Tau. Virgilij versus quorum hîc mentio de Al, non exstant; at quos difficiles reddidit Tau Gallici mentione, sic legimus:

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste, iste Rhetor; namque quatenus totus
Thucydides, Tyrannus Atticæ febris
Tau Gallicum spinæ ipse malè illisit,
Ista omnia ista verba miscuit fratri.

In his licet Ausonius obscuritatem accuset, nobis tamen luculenta sunt indicia, manifestò omnem demonstratura veritatẽ, tum ex Gallica lingua, tum ex Luciani oratione, qua Sigma huic nostro Tau grauem dicam impingit; & post alia crimina & conuicia sic accusationem absoluit, vt Tau dicat non sono modò suo iniurium hominibus esse, verumetiam mortaliũ genus grauissimis lædere tormentis; atq. idcirco homines frequẽter lamentari, & Cadmum exsecrare, quòd Tau in elementorũ numerũ cooptasset. Aiunt enim Tyrannos huius corporis lineamenta secutos & formam eius imitatos, ligna tali figura fabricari, vt iis homines affigãt, & crucifixos in sublime tollant; atq. inde factũ esse, vt ab hoc mala & tristis machina & pessimum instrumentum nomenclaturam sortiatur. Quamobrem sic concludit sententiam suam, sibi videri ipsum Tau ad illud supplicium condemnandũ, quod in ipsius figura subitur, quoniam & ipsum fecerit de hac sua forma crucem; & homines crucẽ inde Tau vocarent; atq. ita æquissimum esse, vt ipsum inuento suo pessimũ pessimo scelerũ suorum luat pœnas: haud secus atq. olim Perillus & Phalaris tauri sui ignes iustissimè pertulerunt. Atq. hæc quidem est sententia tenus ipsius Sigma contra Tau accusationis conclusio; quam ex ipso licet Luciano petat, qui nobis minus fidet. Ego certè ex iniquissimo Christiani nominis hoste & cane impudentissimo, cõtra Christũ inani latratu sæuiente, hoc mihi lucri feci, vt nec de crucis posthac figura, nec de ipso Tau in Christianorum frontibus de antiqui oraculi memoria, quod Verbũ incarnatũ impleuit, signari consueto, amplius dubitare quispiam possit. Verùm cur Virgilius crucem Gallicũ potius Tau, quàm vel Græcũ vel Hebraicũ vocauit? Sæ-

Tau pro signo apud Hebræos vsurpatum.

Tau, crucis figura à Samaritanis pingitur.

Tau Gallicũ apud Virgilium.

Sigma aduersus Tau accusatio apud Lucianum.

penumerò de hoc poëta dubitandi occasio oblata est, an non fuerit Gallici sermonis peritus, cùm Gallus fuerit natione. Vtut tamẽ id habet, hoc saltem pro certo mihi semper putaui tenendum, maiorem in Marone quàm in vllo alio Latino scriptore cognitionem fuisse rerum vetustissimarũ: nec id sanè mirandũ, cùm non solùm ea perquisiuerit quæ vel Græci vel Latini auctores de sapientiæ & antiquitatis studiis memoriæ prodiderũt; sed ad illa etiam sacraria penetrarit, ad quæ non quibusuis, sed iis dumtaxat qui sollemni ad id ritu electi essent, licuit adire. Nec satis ipsi fuit ad hæc adyta irrepsisse, sed quæ furtim ex Sibyllæ foliis suppilauit, ea palàm carmine suo in vulgus prodidit, vt cùm ego alibi, tum Eusebius in Constantini vita satis declarauit. Sic igitur existimo, Maroni alicunde suboleuisse, vel etiam à quopiam Druida indicatũ fuisse, apud Gallos prius quàm apud Græcos eas litterarum figuras, eaque figurarum nomina, in quibus Tau est, fuisse in vsu; atq. idcirco crucem Tau Gallicum vocasse; tametsi & supplicij genus idem, & eadem elementi tum nomenclatura, tum figura eodem tempore Græcis fuerit nota, & in Alphabeto ipsis pueris à teneris vnguiculis iam olim semper ab omni vel Græcorum vel Latinorũ memoria inculcari consueta. Crediderim item Ausonium non tam dubitasse, quid Tau Gallicũ esset, quàm cur Gallicum à poëta fuisset nuncupatum. Meritò itaq. videatur dixisse, parum lucis Virgiliũ in Tau Gallico ad posteros transmisisse, licet res quam sic vocasset, plurimis maiorem sui, quàm bono ipsorũ fieri posset, daret cognitionẽ. Possumus itaq. dicere, Tau Gallicũ à Virgilio Gallo vocatũ, vt priscam litterarũ inuentionem veteribus Gallis, qui cum Iano auo suo in Iapygiam primi mortalium appulerunt, vindicaret. Verùm quamuis hæc coniectura non leui ratione niti videatur, & reuera cum prisca cõsentiat historia, quam nos è Boccho, Plinio, aliis in lucem eruimus; maius tamen mysteriũ sub hoc cognomine latère cerno. Neq. verò solum Tau Gallicũ iuxta illam sententiam, sed quæuis aliæ litteræ Gallicæ poterant vocari. Quid enim vetat, quò minus Aleph quoq. & Beth Gallicũ nominetur, quando & hæc elementa & figura & nomine tenus Gallicæ sunt inuentionis? Aperiam itaq. rationẽ, qua solum Tau Gallicum vocari mereatur; tametsi ceteræ quoque litteræ à Gallis ad ceteros mortales transiuerint. Gallos dici populos placẽtes, in Gallicis latè fuseq. demõstraui. Atqui nihil est aliud quod omnes mortales Deo reddit placentes, quàm vnicũ Tau: quo fit, vt Gallicum suo iure dicatur, nec vllũ aliud signũ in cognominis admittat communionẽ. Admirandus fuit Virgilius sacrorũ perscrutator, & idcirco plurima in lucẽ protulit ex ipsis adytis oraculorũ; inter quæ & hoc vel primariũ habebo: & id quidem eo magis, quòd è Gallicæ religionis arcanis videatur profectũ. Insigne profectò ipsius Tau præconiũ poëta indicauit, & dignũ quod omnium ore celebretur. Nos interim sedulò annitamur, vt crucis præsidio gratus Deo populus simus. Sed quoniã hæc clariora ex iis quæ mox addentur, fient, ad hieroglyphicũ ipsius Tau properemus explicatũ. Tantã profectò dignitatem maiestatemq. hîc cerno, vt imbecilles obtusæ mentis meæ oculos immensa sua luce perstringat, & nescio quomodo tenebris inuoluat; adeò, vt haud sciam vnde mihi tam augusti spectaculi narratio sit exordiẽda. Tau id Cimbris notat (vt obiter quæ alibi docui in memoriã reuocem) quod ad tenendũ quippiam est accõmodatum, ceu Tehau, quod est ad retinendũ, diceretur. Hinc vt nobis pro fune vsurpatur, ita priscis pro cruce fuit in vsu, eo quòd instrumentũ esset, cui firmissimo nexu cõdemnati affigebantur, tantisper retinendi, dũ supremũ spiritũ efflarent. Quòd si vocẽ ordine verso legas, Vat habebis, quod idẽ est quod apprehende: quo monemur, vt crucẽ apprehendamus velut sacram quandã ancoram, qua aduersus omnes tempestates atq. procellas seruemur. Hoc præceptũ in sacris Ægyptiorum figuris cuiuis licet intueri; in quibus cernitur, diligenter ipsum Tau apprehendi atque retineri, velut amuletum quoddam omnium malorum. Neque verò in ænea tantùm hieroglyphicorũ tabula incomparabili sacrosanctæ antiquitatis monumento Tau cum ansa, qua teneatur, cernitur; sed in plurimis etiam aliis vetustissimis Ægyptiorum lapidibus, Romam olim transportatis, inuenitur. Et ne longo labore antiquitatum studiosos fatigem, ad Capitolium rectum iter tenere iubeo, in quo mox obuiam habebunt Sphingem vittatam è durissimo basalte mollissimè expressam, cuius sedes ex eodem marmore efficta, in limbo litteras sacras Ægyptias complectitur, inter quas confestim ab initio Tau cum ansa exsculptũ spectatur: quod deinde sæpius clarissimis lineis repetitum est. In obelisco item qui est ad portam Collinam, excisam

Virgilius vetustatis & arcanorum sacrorum peritissimus.

Tau cur à Virgilio Gallicum cognominatum.

Tau homines placentes Deo reddit.

Tau vocis significatio.

Tau. Vat.

Tau in vetustis monumẽtis frequẽtia.

excisam manum videas, quæ Tau funiculo siue ansa comprehensum tenet: & quò clarè perspicias, ansam ad partes Tau non pertinere, animaduertas in eadem saxea mole Tau etiam citra ansam effictum. Liquet itaque, quàm priscæ hæ scalpturæ in Ogeniis antiquissimorum monumentis deprehensæ adamussim linguæ Cimmeriorum respondeant. Ichnea vox est Tau, cõuersione clarè demonstrans, omnibus hanc figurã esse apprehendendam, vti apprehensa videtur in vetustissimis Ægyptiorũ monumentis. Sed quid? nũ crux seruorũ supplicium & funestũ corporis vinculum tanti faciendum, vt illius imaginem manibus gerere debeamus? Certè si de vulgari Gallorum Tau agatur, nihil minus optandũ, quàm infamem hanc & abominandam notam præferre. Furciferos quis non legit apud Latinos? Quis non nouit despuendũ hoc nomen? quis nescit nullum mortis genus apud Romanos olim aut crudelius aut turpius fuisse, quàm cruci affigi? Quid ergo sibi voluit nomenclator, cùm vocem Tau sic composuit, vt versa moneremur, ipsum Tau esse apprehendendũ? Singulare nempe quiddam fuit quod designauit, & minimè ad quamuis crucem referendũ. Quid furum, latronũ, aliorumq. scelestissimorum tormenta ad sacras faciunt scalpturas, quid cõmune habent cum arcanis sacrorũ mysteriis? Nihil sanè: & quia res ita est, necessariò cogitandũ, aliud quiddã in hac imagine latêre, cuius gratia & ipsum Tau hanc acceperit nomenclaturam, & hos in sacris litteris honores: quod vt magis perspiciatur, prius explicandũ, quid crux significet, & vnde nomen sumserit, quo exposito, confestim se causa prodet totius venerationis ipsi Tau attributæ. Cur ritum sacrũ notare alibi docui, à verbo Ceur, quod est deligere; propterea quòd maximus delectus habendus sit in omni diuino cultu peragendo. Est autẽ vox hæc magno desiderio ipsum perfectũ implorantis propria, vt in Hermathena ostendi. Cùm ergo in omni electione mens nostra ingenti impulsu ad id quod perfectissimũ est, tum verò maximè in ritibus & cærimoniis ferri debet. A Ceur/quod alij Coer pronunciant, citra notationis discrimen, cærimoniarũ nomen deriuatur; velut si quis Coer-man diceret; quod nihil aliud est quàm, moneo vt ipsi summo & perfectissimo arctissimè hæreas. Cur itaq. longè aliud nobis quàm Latinis denotat. à quo vocabulo Curam illi quidẽ acceperunt, sed significatu multo latiùs patẽte; ad omnẽ videlicet sollicitudinem. A Cur Curetes dicti, capita nimirũ & principes cærimoniarũ, quos hactenus nostrates Aduatici Cureiten vocant: à qua item voce Cimmeria Curati, populi pastores dicuntur, minimè quòd, vt prima fronte videtur, sint bene curati. Verùm ne frustra hic repetam quod in Hermathena explicatũ, satis sit hæc in mẽtem reuocasse. Iam si Cur per litterarũ vestigia retrò legas, inuenies Ruc; quo significatur, vehementer & valido impetu traho; quod propriũ est rituum sacrorũ munus. Quæcumq. enim in sacris fiunt, eò tendunt, vt animos nostros pertrahant ad ipsum diuinũ auxilium totis viribus implorandum. Frustra canitur, frustra candida vestimenta induuntur, frustra aqua spargitur, frustra cruces signantur, frustra genua flectuntur, brachia frustra in altum leuãtur, nisi mens nostra horũ monitu tota ad Deum rapiatur. Vide quò nos vocet vocula Cur, quamque egregiè exponat omnem proprium cærimoniarũ vsum, qui totus in eo est, vt valido ductu rerũ externarum ad supremam perfectionem pertrahamur. Quemadmodũ autem ex Car & Ruc, Carc compositum, Amazonica nostra demonstrant; ita ex Cur & Ruc prorsa & versa vocibus, admirabile componitur nomen per cõcisionem, quod Cruc effertur; tamquam Cur ruc diceretur, pro eo quod cærimonias & sacros ritus omnes, vt etymologia dictat, ad se trahit. Cruc nobis in frequentissimo vsu est, pro scipione eo qui superna sui parte transuersario ligno terminatur; quod axillis subiectum, homines vel claudos, vel pedibus imbecilles sustentat, ne collabantur. Verùm quid huic scipioni cum ritibus sacris, vt hos ad se trahere meritò dicatur? quasi verò ægroti caducique hominis baculus primas teneat cærimoniarũ. Sunt hæc prorsus absurda, non dictu modò, sed etiam cogitatu; cùm ea quæ manca sunt & mutila, à diuinorũ perfectione longissimè sint remota. Vt enim externa sacra prætereamus, in quibus ne verbum quidem mali ominis ferebatur, tantum abest vt ad claudorum columen cuncta fuerint relata, videamus quid Mosaicæ habuerint cærimoniæ, in quibus hæc leguntur: *Locutusq; est Dominus ad Mosen, dicens: Loquere ad Aaron, Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius; si cæcus fuerit, si claudus; si vel paruo vel grandi, vel torto naso; si fracto pede, si manu; si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo;*

Crucis apud Romanos ignominia.

Tau vnde hanc nomenclaturam acceperit.

Cur. Ceur.

Cærimoniæ etymon.

Cura, Curetes, Curati, vnde nomenclaturam habeant. Cureiten. Cur. Ruc.

Cærimoniarum proprius vsus.

Crucis etymon. Cruc.

Sacrificiorum ministri quæ debuerint esse integri & omnibus numeris perfecti.

in oculo; si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel hernioſus: Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo. Hæc & id genus complura in ſacrorum rituum delineatione inuenimus, è quibus quid efficiatur, quis non cernit? Qua ergo ratione dici poteſt, omnes ſacros ritus ad Crux tamquam ad ſummum faſtigium trahi, ſi claudos Deus à ſacrificio ſuo prorſus excludat, ne dum ſcipionem claudicantium pro ſcopo voluerit cærimoniarum collocari? Quid ergo? non credemus nomenclatori? non credemus ſacris Ægyptiorum litteris? dicemus vanas eſſe hieroglyphicas notas? Abſit omen. Propiùs igitur inſpiciamus figuram ipſius Tau, quò intelligatur non aliter olim apud primos litterarum pictores hoc elementũ ſcribi ſolere. D Hieronymum hîc cogimur laudare; cuius verba modò citata apertè teſtificantur, Tau in vetuſtis litteris quibus Samaritani tũ temporis adhuc vtebãtur, crucis figurã habere: cuius teſtimonij grauitate ſumta, vlteriùs de crucis figura quærendũ. Hanc facit antenna è malo ad angulos rectos ſuſpẽſa; facit & auiũ volatus alas extendentiũ; natatus itẽ hominis, cuius brachia trãſuerſariũ crucis lignũ imitantur, ſi eidem auctori credimus. Eſt apud Suidam, crucem eſſe ligna ad rectos angulos deuincta atq. cõnexa: quo locó memoriæ proditum, dum Theodoſij principatu tẽpla gentiliũ euerterentur, in Serapidis fano hieroglyphicas litteras inuentas fuiſſe, in quibus crucis figura cerneretur; quá hieroglyphicorũ periti dicerent futuræ vitæ habere notationem: quæ ipſorum opinio à primis hieroglyphicorum magiſtris ad poſteros deriuata, perſpicuum reddit oraculũ apud eos fuiſſe, tempus tandem fore, quo per hanc figuram vita mortalibus daretur. Nobis de vocis ſignificatu clarum eſt, omnes cærimonias ad crucem trahi, & in ea ſummum myſteriorum contineri. Bene tamen cecidit, id Theodoſij principatu annotatum proditumq. litteris fuiſſe, quo ex eo clariùs euadat, nos non primos eſſe eorum qui apud Ægyptios crucis ſignũ inter hieroglyphica reperierunt, tametſi primus nominis Latini inuenerim rationem; quæ figuram crucis hanc, quam D. Hieronymus ceteriq. deſcribunt, omnino confirmat. Nos enim pro ſcipione cũ ligno tranſuerſario alas ſuſtinẽte Crux dicimus. à quo crucs-wps, & per cõciſionẽ Crups, id notat quod fulcri eiuſmodi imaginẽ præfert: vnde Latinis quoq. Crux dicitur, natalibus & nominis ratione prorſus ignota. Differt itaque Crups à Crux, q. in Crux pro ſcipione axillas fulciente ſupernè nullus exſtet index, in cruce verò ſuperiùs id exeat quod rectos angulos æquè ſuperiùs faciat atque baculus cum tranſuerſario ex parte inferiore. Rectiſſimè ſane nobis Crups dicitur, eo quòd hæc figura ſit verè crucwps, id eſt, demonſtrans ſuſtentaculum & fulcimentum collapſi generis humani: qua de re perſpicuum fit, hanc vocem Crux ſic à nomenclatore factam, vt primum ſummo ſuſtentaculo conueniret; quo humanum genus ſe totum debet ſuſpendere atque ſuſtinere, coque meritò hoc fulcrum ab omnibus ritibus ad ſe pertrahendis nuncupatur; cùm nullum fuerit apud antiquos legitimum ſacrificium, quod non ad victimam in cruce immolandam referretur, & ex ea quicquid virium haberet, nanciſceretur.



Crucis figura.

Crucis figura hieroglyphica in Serapidis templo auerſo reperta.

Crux vocis compoſitio. Crucswps. Crups.

Crux & Crups quo diſtinguantur.

Cùm

Cùm ergo Tau & Crux eandem ſignent figuram, fueritq. ea integra apud Samaritanos conſeruata, cernamusque in Ægyptiis figuris eandem prorſus notam manibus apprehenſam atque detentam; quid eſt cur amplius ſit hæſitandum, & Tau & Crux, vnde Crux, noſtratia eſſe vocabula, & eam notare figuram, licet diuerſa ratione, qua Græcorum & Latinorum Tau hactenus pingi videmus; quæ ad vnguem quadrat cum eo fulcro quo claudicantes & infirmi ſeſe ſuſtentant? Apprehendamus ergo pro eo ac nomen monet, & hieroglyphicæ figuræ demonſtrant, ipſum Tau; non illud quidem quo corpus hoc fulciamus, ſed quo mentem à caſu leuemus, & nos tandem totos corpore & animo cælo inferamus. Amplectamur ipſum firmo funiculo, quò ex eo ſalus noſtra perinde atque è facta ancora tota pendeat: Faciamus, inquam, vt quod dicitur, verum nobis ſit Tau, id eſt quod nos ſeruet: at ſeruare non poteſt, niſi apprehendatur, & firma mentis manu retineatur, haud ſecus atque hieroglyphicæ imagines nobis demonſtrant; in hoc prorſus cum voce Cimmeria conſentientes, quæ verſa veſtigiis ſuis eodem deducit. Caſtoris & Pollucis fabulam, ad D. Ioannem Baptiſtam & Chriſtum referri, alibi indicatum: hîc addendum, apud Lacedæmonios ſimulacra eorum δόκανα fuiſſe, teſte Plutarcho in libello περὶ φιλαδελφίας, quæ fuerint duo ligna parallela, duobus aliis lignis parallelis ad angulos rectos annexa: qua figura quatuor cruces coniunctas videmus, ita vt interna parte quatuor anguli ſint: exteriùs duodecim in omnem mundi partem porrigantur. quæ ſi ad numeros Cimbricos examinentur, quaternarius ignem primùm denotans, primamque pyramidem conſtituens, vitam intra Tau ſiue cruces collocatam deſignat, & vnà ex ignis natura ad ardentiſſimi & flamantis amoris cogitationem deducit, quo Chriſtus verus Pollux fratrem ſuum Caſtorem & omnes homines fratres itidem ſuos ſic amauit, vt vitam ſuam ipſis impenderit: quæ tamen crucibus vndique ſepta nemini prodeſt, niſi per crucem aliquam ad eam peruenerit. Iam duodecim externi anguli geminam vitam nobis per crucem dari declarant. Vltra enim illam vitam quam Adamo in paradiſo Deus dedit, perfectior quædam vita homini per Chriſti ardentiſſimum amorem comparatur. Sed hæc vt ad numeros Cimbricos & prima eorum nomina relata, ſatis ſunt manifeſta, ita neſcio an ab iis qui in illis non ſunt exercitati, intelligi poſſint. Miror interim cuius indicio Plutarchus ad amorem fraternum hæc ligna ita collocata pertinere intellexerit: certè maximus amor & omnium flamantiſſimus, & qui ſolus fratribus vitam dat ſempiternam, hoc ſymbolo denotatur; ſimul inſtrumento etiam expreſſo, per quod amoris ignis vitam operatur. Duodenarius Herculi ab omni antiquitate ſacer habitus, geminæ noſtrates vitæ, dum Twelfen vocatur, commonefacit, quam ſolus Hercules omnium monſtrorum domitor per crucis clauam mortalibus conceſſit. Quaternarius autem tam clarè nobis ignem pyramide ſua deſignat, vt eodem nomine ignis & quaternarius apud Cimbros nuncupẽtur, admirabili profectò numeri ſymboli naturæ, & eorum quæ naturæ fines egrediuntur, cõſenſione. Quatuor itaque internis angulis numerus ille indicatur; qui ſi corporatus intelligatur, vt in hominum carne conſtantium ſalute intelligẽdus eſt, primam nobis pyramidem oſtendit, verum veræ vitæ ſymbolum; vt ex iis liquere poteſt quæ de metarum ſignificatione à nobis tradita ſunt. Quid? quòd eadem prima pyramis cum nobis offert agnum, qui ceu conus omnis poteſtatis ſupremæ primæque triadis fundamento innixus, viam nobis ad cæleſtem vitam ſtruxit; quique adeò ipſiſſima vita eſt, ſpiritu ſuo vitam omnibus ſuis præbens? Iam ſi quatuor pyramidis primæ ſuperficies in plano ſic extendas, vt ſe omnes in cono tangant, & è cono cathetis lineis ad rectos angulos demiſſis plana ſeces, quatuor Tau videbis vni puncto inſiſtentia, & quatuor catheti ad rectos angulos coëuntes crucẽ conſtituent, ex omni parte Tau oculis offerentem. Rurſus ſi ternarius prima figura omnium figurarum, ipſam triadem oculis quodam modo ſubiiciens, corpus fiat, pyramis exiſtit: in quo quis tam hebetem habet mentis aciem, vt non quandam verbi ter maximi incarnati ſimilitudinem agnoſcat? Noſtræ linguæ architectus horum numerorum ternarij & quaternarij naturam & cognationem ad ſymbolicam accommodans rationem, ſic duo vocabula conſtruxit, vt in iis litteræ hos nobis numeros proponerent conſiderandos. Dei enim nomen, quod eſt Got, trilitterum fecit: Verbum autem quod corpus aſſumpſit, Wort nominauit, quatuor litteris primum corpus imitatus. Sed de maximis horum nominũ myſteriis vt non pauca à nobis alibi perſcripta ſunt; ita nullus ingenij,

Caſtoris & Pollucis fabula, & eorũ ſimulacra apud Lacedæmonios δόκανα explicantur.

Duodenarius Herculi ſacer.

Quaternarius ignis ſymbolum.

Got.

Wort.

ingenij, quamuis magni, captus satis multa, satis ardua, satis diuina cogitare possit.

Ternarius Spiritus S. tessera.

Quoniam verò ternarius, dum distinguendæ in diuinis hypostaseon diuersitati numeri applicantur, Spiritus sancti tesseram gerit, stupendus quidam arcanorum abyssus aperitur, dum hac ratione ternarius quaternario comparatur. Quemadmodum enim (si diuinis mysteriis humanas cogitationes applicare fas est) è ternario superficiem metiente, existit meta quaternario designata, quæ omnium corporum primas tenet; ita de Spiritu sancto natus est agnus, multò magis inter omnia corpora & cælestia & terrestria primogenio sibi iure vindicans principatum. Quòd si deinde ternarium in quaternarium ducas, duodenarius existit, numerus verè Herculanus; vtpote totam rerum vniuersitatem, quam duodenatius itidem designat, ab omnibus monstris & ab omni vitio purgans: atque hac ratione mundo, qui totus vitium fecerat, geminæ vitæ auctor; illius nimirum, quam primum peccatum inquinauerat; & huius, quam agnus non purgauit tantùm, sed multò etiam quàm ante peccatum primum fuisset, reddidit perfectiorem ac diuiniorem. Duodenarius ergo è ternario in quaternarium ducto existens, duplicis vitæ generationem repræsentat, & totam totius vniuersitatis absoluit perfectionem atque integritatem; nomen apud nostrates inde sortitus. Huius rei cùm Pythagorici tenuem fortassis aliquam famam vel in Ægypto à sacerdotibus Phrygij sermonis peritis, vel ab Abari hyperboreo accepissent, mirum in modum sese in numeris exercuerunt: & cùm vitæ generationem iis contineri audiissent, animam è numeris crearunt; quòd ab ea videlicet omnem vitam procedere existimarent; nihil interim minùs cogitantes, quàm de iis quæ ad veram vitam pertinerent, quo omnia duodecim numerorum arcana, duodecim diuersis Cimmeriæ linguæ nominibus denotata referre oportuisset. Omnem ergo operam suam & omne oleum perdiderunt, dum humani ingenij, non Spiritus sancti, ductu in numeris ea quærebant, quæ ad totius vniuersitatis tum generationem, tum regenerationem spectant. Atque hæc quidem de Docanorum apud Spartanos simulacro, quo fraternus Castoris & Pollucis amor, teste Plutarcho, denotabatur; tametsi nec hic auctor, nec quisquam post Cimmerios illos antiquissimos intellexerit, qui Dioscori sint; quis ille esset amor, quo mortuo fratri vita data; quid sibi Docana vellent, cur è quatuor angulis duodecim exteriùs producerentur. Totam vetustissimorum sapientiam numeris duodecim & eorum inter se collatione comprehendi, tam vellem doctissimos quosque scire, quàm clara eius in Teutonicis numerorum nominibus indicia cernuntur. Verùm qui sic de numeris egerunt, quasi in caussarum efficientium aut formantium rationes continerentur, longissimè à veterum sententia aberrarunt. Nec equidem tam malè vel de Pythagora, vel de Empedocle, vel de Platone sentiendum mihi reor, quàm Aristoteles eos siniſtrè interpretatur, sophisticis quibusdam elenchis nuda ipsorum verba, non sensa insectatus; quo nempe maiorum scriptis inuidè apud imperitos eleuatis, sua soliusin manibus hominum versarentur. Neque enim numeros rerum caussas ptisci putauerunt, sed notas caussarum, & eorum quæ ab illis efficiuntur ordinem naturæ ratione præditæ indicantes. Quamobrem diligentissimè in his notis homini versandum, quarum principia menti ab ipso opifice inditæ sunt ad omnem rerum inter se ordinem ac cognationem distinguendam: quas primi parentes nostri acutissimè intuentes, nomina illa fecerunt, quorum monitu eorum significatio accuratè contemplantibus aperiretur. Nisi ergo deuij à naturæ ductu ferri velimus, totam mentis aciem ad numeros intuendos conuertamus, & in iis illa maximè consideremus, quæ sola sunt homini ad salutem necessaria; quando impium est cogitare, hæc non primùm à Deo menti per hæc innata signa, aliqua saltem tenus, fuisse indicata. Sed de his suo loco latiùs: in quo rursus fortasse de Docanis erit agendum. Quî verò hæc figura à solis Cimmeriis intelligenda ad Spartanos venerit, admiratione dignum videtur; sed ea tolletur, si ex Amazonicis meis cognoscatur, ipsum Spartanorum nomen, quod Phiditia interpretantur, à Cimbris ipsi genti positum principiò fuisse. Nunc itaque vidimus, quo simulacrum illud è quatuor trabibus contextum, & multa simul Tau è quatuor angulis prodeuntia ante oculos ponens, oporteat referre; & quàm insignia mysteria rudis hæc, qualis prima fronte videri non iniuria queat, figura designet. Haud facilè verbis consequar, quàm Plutarchi diligentiam & miret & exoscules & deamem, cùm de ceteris omnibus antiquitatis monumentis vndique magno studio conquisitis,

Duodenarius rerum totius vniuersitatis symbolum.

Pythagorici quare se in numeris exercuerint.

Aristoteles siniſtrè veteres philosophos interpretatus.

Numeros non esse rerũ caussas, sed caussarum notas indicare.

quisitis, tum de prisco hoc Philadelphias simulacro ad posteros opportuna cõmemoratione transmisso. Diuino certè afflatu factum mihi videtur, vt, licet quæ sacra tractaret ignoraret, amorem fraternum tamen ab ipsa summa fraterni amoris idea exordiretur. Supremum enim amoris exemplar est, omnem hominis captum infinito spatio excedens, quo Verbum carnem assumsit, vt frater hominis factus, fratrem suum ab æterna morte sua liberaret: morte, inquam, sua, non aliqua aut illustri aut facili, sed ea qua nulla vel durior esset vel infamior. Quod enim ipso Tau ignominiosius supplicium, si non alij eo quàm serui consueuerint necari? Verumenimuerò videor mihi iam mox auditurus, nimis hæc, quæ de Docanis dixi, subtiliter esse collecta; nec verisimile esse, primos huius symboli auctores è quatuor angulis primum corpus intelligi voluisse: & si id voluissent, magnæ eos accusandos esse obscuritatis. Equidem minimè nego, maxima caligine prisca humanæ salutis mysteria tecta fuisse; & ea profectò tanta, vt ipsam etiam serpentis perspicacissimi effugerint calliditatem, tametsi sciret caput suum ab homine tandem conculcatum iri atque protritum. Quò tamen clariora iis quæ modò exposuimus, addamus indicia veritatis, breuiter trabalium signorum caliginem luculenta vocum earum expositione, quibus illi nuncupantur quorum hæc simulacra dicuntur, discutere nitemur. Castoris nomen D. Ioanni Baptistæ, cuius aduentus ante multa sæcula promissus fuerat, conuenire, me alibi declarasse modò dixi. Idem vt hîc repetam ad lucem obscuris inferendam, fuerit necesse. Ca & Ac contraria esse, & illo malum, hoc bonum notari, Hermathena mea de natura litterarum, & conuersionis Cimmeriis in vocibus vsitatæ analogia demonstrauit. Steor & Roest eodem modo Teutonicus sermo per contraria interpretatur: & per priorem quidem vocem idem significat quod Latinus per turbo, & turbor, & in agendi & in patiendi notatione verbum vsurpatur: per posteriorem verò vocem quiesco & quieti trado designat. Nec alia ratione in vsum veniunt, quando vt nomina vsurpantur; vt dum dicimus, De hennen gaen te roest/ id est, gallinæ se conferunt ad quietem. Sed pro Roest nunc ferè dicimus Rust: quod conuersum facit Stur. Verùm quamuis Rust pro quietis notione vsurpetur, Stur tamen pro guberno dumtaxat vsurpatur; eo nimirum quæsito artificio, vt per conuersionem intelligeretur, omnem gubernandi rationem ad quietem ceu finem sibi propositum referri. Stur ergo in hac notatione relinquentes, Stor vocali longa pronuntiamus pro turbo. vnde Castor idem est quod ipsum malum turbo & è sede sua depello. Sic enim vulgo pueri dicunt, De vogelen storen/ pro eo quod Latini dicerent, aues è nidis depellere. Videamus itaque nunc, quàm aptè nomen hoc Castor D. Ioanni Baptistæ conueniat, quamque insigniter partes eius & officium, ad quod diuinitus erat destinatus, ante oculos ponat: quod quale fuerit, D. Matthæus Euangelista explicat his verbis: *In diebus illis venit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto; parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Hæc ille. è quibus perspicuum est, eum in mundum legatum fuisse, vt viam Domino pararet. Qui vias parant, ea omnia tollunt, quæ aditum prohibere possunt. Qui ergo Deo viam parare velit, ei necesse est vt mala omnia, & malorum omnium auctorem diabolum ex animo suo depellat. Pellitur autem pœnitentia, qua malum semel in mentis sedem admissum odio prosequimur, & exsulio perpetuo condemnamus, quo Deus hospitio apud nos excipi dignetur. Cùm enim nemo queat duobus dominis inter se hostili odio dissidentibus seruire, non potest Deo aditus ad nos nec via parata esse, nisi draco cum tota sua supellectile & sarcinis antea exturbetur. Odio igitur mala omnia & omnium malorum patrem persequamur necesse est, si viam velimus bonorum auctori paratam. Odisse autem mala, quibus semel fores aperueris & pectoris penetralia reseraris, & iis renuntiare, nullum hospitij locum apud te illis posthac fore, nihil aliud est, quàm pœnitere, & hoc ipsum est viam parare. Hinc liquet, nomine Castor ipsius Pœnitentiæ naturam explicari, ad quam prædicandam tota Ioannis Baptistæ legatio spectabat. Sed non fuerit abs re, si monstremus quàm conueniens Pœnitentiæ vocabulum nostrates, de quorum sermone Castoris nomen interpretamur, vsurpent. Rauw enim nobis pœnitentia est: cuius vocis multæ sunt rationes, diuersitatem suam è varia analyseos via sortitæ. Ac idem nobis est quod paratum Aw antiquum & venerandum: quod fit, vt Ac-aw idem

Castor vocis etymon. Ca. Ac. Steor. Roest. Rust. Stur. Stor. *Castoris nomen D. Ioanni Baptistæ optimè conuenire.* *D. Ioannes Baptista cur in mundũ venerit.* *Pœnitentiæ natura, munus, & effecta.* Rauw. Ac. Aw.

idem sit quod venerandus quidam & antiquus præparandi modus. Modus autem omnium antiquissimus & maximè venerandus is est, quem omnes, qui se patri suo conciliare volunt, sequantur necesse est; vt videlicet se malum ante commisisse doleant, & eius doloris patri suo certam dent significationem: quæ recta est via ad reconciliationem. Quid igitur aliud dicit vocabulum תשוּבה quàm pœnitentiam esse venerabilissimam & antiquissimam præparationem? Atqui nulla præstantior præparatio cogitari potest, quàm ea qua humanus animus ad Dominum hospitio excipiendum præparatur. Quamobrem idem D. Ioannes in deserto clamat, quod sermonis nostri architectus per vocem תשוּבה denotauit. Idem intelligas per aliam quoque vocabuli solutionem, qua, ceu ex תה & בוא compositum sit, exponitur pro eo quod Latinus diceret, Paratum seruat: quod proprium munus est pœnitentiæ, quæ cacodæmone & omnibus eius sarcinis reiectis & expulsis, hospitium Domino paratum seruat. Porrò ex eadem vocula intelligas, per pœnitentiam iter nobis esse ad ipsum antiquissimum, quem Daniel antiquum dierum vocauit. R enim littera fluxum & vehementem motum magna linguæ vibratæ celeritate imitatur: cui si שׁוּ/ quod antiquum significat, iungas, mox intelliges תשוּבה celerem motum esse ad ipsum antiquum dierum, patrem nempe nostrum, ad quem per pœnitentiam maximo nisu contendere debemus. Et hæc quidem & alia, quæ breuitatis causa omitto, vocula תשוּבה recto litterarum ordine designat: versa verò nobis

War. demonstrat, cui sit hospitium præparandum. Cùm enim War idem sit quod Verum, per ichnæam intelligendarum vocum viam deprehendimus, nos paratos esse per pœnitentiam ad Verum ipsum suscipiendum: quo simul & Christus: & cæleste eius regnum continetur. Quemadmodum itaque D. Ioannes dixit. *Parate vias Domini, quia appropinquat regnum cælorum*; ita in nostrati nomenclatura intelligimus, pœnitentiæ Christum & eius regnum tam propinquum esse, vt solis vestigiis trium litterarum retrò obseruatis, ad ipsum monstretur ingressus. Quòd si iam vlteriùs quæras, quid ipsum verum tibi sit præstiturum, rationem nominis inuestiges; quæ inuenta, demonstrabit

Veri præcipuũ donum. ipsius Veri proprium esse ac præcipuum donum, vt eum quem sua præsentia fuerit dignatum, ab omni malorum genere securum tutumque seruet: quod War/ dum vti verbum vsurpatur, designat. Habemus itaque in nostrati Pœnitentiæ nomine, pœnitentiam esse excellentissimam præparationem; quam nemo potest abea præparatione separare, quam diuus Ioannes in deserto prædicauit: Habemus, hac præparatione ad antiquum dierum accessum patere: qua in re vltimus totius paraseues finis continetur. Mox inde si vocem retrò legamus, videbimus quàm propinqui simus Veritati, quæ regnum cælorum sola moderatur ac gubernat: tandem ex eadem versa vocula ad originem ducta cernemus, omnem custodiam nostri à Veritate proficisci: quæ omnia quàm cum Castoris nomine quadrent, quod omnis mali significat depulsorem, quis est tam hebes vt non intelligat? Nunc igitur ad Pollucem transeat oratio. Frequens

V Cimmeriũ Latini & Græci in P frequenter conuertunt. est Græcis & Latinis, vt V digamma in Cimmeriis vocibus repertum in P commutent: qua via è Voet/ illi πόδα, hi pedem fecerunt: è Vroom illi probum, Herodotus πύρωμον: è Visch Latini piscem: è Vinnen pinnas in pisce dixerunt. Quod nostris Vater est, Græcis πατὴρ, Latinis pater. Eodem modo ex Vol-luts/ Pollux nomen accepit; quod Romani fidelius quàm Græci conseruarunt. Et est alioqui V consonans leui discrimine à P adspirato seiuncta: ita vt si quis nostratibus scriberet Phol-luts/ non aliud notare di-

Pollucis etymon.

Pollucis nomẽ Christo optimè conuenire. ceretur, quàm si Vol-luts pinxisset. Est autem Vol-luts non aliud apud Cimmerios, quàm apud Latinos plenum felicitatis, diuinitùs homini citra meritum aut prudentiam suam oblatæ. Quis verò est inter omnes eos qui sunt è mortalibus feminis in lucem editi, cui potiùs hæc conueniat nomenclatura, quàm ipsi Christo, qui solus & ipse plenus est gratiæ & veritatis, & solus omnes homines plenos reddit integræ felicitatis, iuxta illud: *De plenitudine eius accepimus omnes?*

Luc. Est quisquam mortalium qui aptius nomen Christo queat comminisci? Cùm enim Luc illa felicitas vocetur, quæ diuinitùs hominibus affluit, omnisque homini felicitas per solum Christum à Patre pleno copiæ cornu affundatur, profectò nihil veritati congruentius, nihil ad hominum vota, plenum sibi gaudium optantium, exprimenda significantius, quàm si eum à quo hoc nobis dari cupimus, à prosperitatis felicitatisque plenitudine nominemus. Nec magni refert, plenum ne Pollucem felicitatis, an felici-

tatem omnia plena reddentem, an plenam felicitatem interpretemur; quando omnia hæc & ex eodem nomine intelligi possunt, & æquè Christo conuenire cernuntur, qui non modò plenus est omnis felicitatis, sed ipsa etiam plena felicitas, omnia plenitudine sua complens. Quoniam modò perspicuum est, nihil sacris litteris magis consonare, quàm eum qui viam Domino præparauit, Castorem; & eum qui felicitatem omnem absoluit & explet, Pollucem indigetari; non possum committere, vt non & fabulam Castorum leuiter attingam; quam licet alij aliter tradiderint, doctissimi tamen quique poëtarum in eo concordarunt, quòd alter mortalis de mortali patre genitus, alter immortalis sit ex ipso Ioue natus; & quòd hic illi immortalitatem communicarit. Fuerunt qui Geminorum sidus his nominibus designari putarent; cui tamen illa ortus & occasus vicissitudo, quam plerique somniarunt, nullo modo quadrat. Homerus ἐπιρημίεους eos vocans Virgilio præiuit canenti:

Castorum fabula explicata.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itq; reditque viam toties.

Verùm hoc commentum nulla ratione vel cum Geminis, vel vlla omnino Theologia conuenit; originem tamen inde accepit, quòd ab antiquissimis Orphicis accepissent, Pollucem Castori mortuo vitam reddidisse; & vt vitam redderet fratri, ipsum mortem oppetiuisse, ac ambos deinde à morte liberatos ad cælum subuolasse. Castor enim priùs ab Herode occidi iussus, ad inferorum limbum descendit, quem Christus crucifixus & ad inferos post mortem descendens, in cælum transtulit, ac sempiterno immortalis vitæ gaudio beauit. Dioscori dicti sunt, quòd Iouis filij essent, alter gratia, alter natura; & eodem modo gemelli vocati. Alter enim natura Zachariæ filius, Christi per Dei gratiam frater adoptiuus: quo fit, vt non sine graui caussa Ioannes, id est, Iouis gratia vocaretur. Quòd autem dicantur homines è maris ventorumque procellis liberare, id mirum non videbitur ei qui intelligat hunc mundum non aliud esse, quàm vastum pelagus perpetuis tempestatibus exagitatum; in quo Castoris & Pollucis præsidio tuti erimus, si illius monitu atque demonstratione intelligamus, atque viua fide credamus, hunc esse agnum Dei qui tollit peccata mundi. Quamobrem rectissimè Soteres siue Seruatores sunt indigetati, eo quòd hominum genus ab omni malorum impetu seruent; alter quidem ad pœnitentiam hortando; alter omnem labem, omnem vitiorum fœditatem per sanguinem suum eluendo. Hinc ille cecinit, quisquis fuit, qui se Orpheum dixit:

Dioscori cur dicantur Castor & Pollux.

Soteres vnde dicti Castor & Pollux.

Καὶ μεγάλους σωτῆρας ὁμοῦ διὸς ἄφθιτα τέκνα.

Neque porrò citra magnam rationem factum, vt Pollux solum Castorem dicatur à morte liberasse ac vitæ restituisse, propterea quòd neminem omnino vitæ munere Christus dignetur, nisi is se Castorem præbuerit, id est, nisi claro iudicij actu in conscientiæ suæ foro malum malique patrem exsulij condemnet, atque ex hospitio suo exturbet: quod verum est pœnitentiæ munus, vt à D. Ioanne prædicatum, ita nomine Castoris expressum. Adde quòd pileatos in antiquis monumentis plerumque videamus: cuius rei caussam, licet alij eam è fabuloso Ledæ ouo sorbere malint, hanc fuisse videmus, quòd pileus olim libertatis signum haberetur. Quando enim in hominum libertate asserenda hi tenent primas, meritò libertatis & principis vindictæ signo sunt adornati. Solent & stellæ siue flammæ superiùs affingi, quibus notabatur, vindictam eam qua homines in libertatem asserebant, non ad hanc communem & ciuilem vitam, sed ad cælestem & perennem pertinere. Nec caret item suo mysterio, quòd Castor equorum domitor, Pollux pugil dicatur. Quid enim indomito pullo similius, quàm animus humanus per omnes perturbationum ac cupiditatum variarum campos effrenato impetu ruens? Rursus quid hunc promptiùs & efficaciùs domat, quàm malorum depulsor, clamans, *Pœnitentiam agite, & viam Domino parate?* Pœnitentia enim efficit, vt Deus animis nostris, ceu equis quibusdam freno obedientibus, vti dignetur; quos alioqui non esset adscensurus. Sed de his latiùs in Veneticis: quibus si illa quæ in Croniis à me dicta sunt addantur, ingens lux arcanæ Castoris & Pollucis notationi adferetur; & simul clarissimum euadet, ea quæ de Docanis à me dicta sunt & ad Tau applicata, prorsus consonare veritati Christianæ. Verumenimuerò non deerit fortasse qui dicat, indignum me commentum Ogygia Ægyptiorum antiquitate protrudere; dum

Castor & Pollux cur pileati in antiquis monumentis pingantur.

Castor eques, Pollux pugil quare fingantur.

Græcorum vel Deos vel heroës heri aut nudiuſtertius è Regis cuiuſpiam filiis poſt mortem cælitum numero ab adulatoribus mendiciſque poëtis adſcriptos, ipſius Tau, inſigni omnium vetuſtiſſimi, inſigniis accommodarim. Huic, quiſquis erit, breuiter reſpondebo, me Ogygia Ogygiis contuliſſe, atque nihilo vetuſtius eſſe Tau, quàm ea quæ de Caſtoribus ſunt relata. Quamuis enim mendax Græcia, & ſemper ab exteris antiquitatis ſuæ petens ornamenta, Caſtores apud ſe natos dicat; atque inde videri queat fabula hæc recens, ſi cum antiquitate Hieroglyphicorum conferatur; docebo tamen non apud Iones tantùm, ſed apud Phœnices etiam claram ſacroſanctamque Caſtorum memoriam exſtitiſſe; & id quidem eius auctoris teſtificatione, qui omnibus ad vnum Græcis ſcriptoribus tanto eſt antiquior, vt ipſis illis Heroicis, quæ vocant, temporibus floruiſſe dicatur, non paullò ante quàm Troia à Græcis euerteretur. Is eſt Sanchuniathon Phœnix, qui Philonis Biblij beneficio Græcè loquens, qui eius hiſtoriam è Phœnicum ſermone tranſtulit, dicit Dioſcuros filios eſſe ipſius Sedec: cuius nomen ſi Latinis interpreteris, iuſtum denotabit. Hebræis צדק vocatur. Viden' modò quiſquis es, qui Dioſcuros Græcorum dumtaxat fabulis celebratos exiſtimas, antiquiſſimam eſſe apud Phœnices etiam horum religionem; & illam ipſorum geneſin exſtare, de qua confeſtim quiuis intelligat, ea quæ de ipſis & ipſorum Docanis dixi, ne ad latum quidem vnguem à veritate receſſiſſe. Deus enim Pater, vt iuſtus & ipſiſſima iuſtitia, volens primorum hominum & omnium ex iis natorum ſcelus expiare, ſuum ipſius filium in hunc mundum miſit, vt homo factus, pœnas lueret humanæ peruerſitatis: & vt agnoſceretur, angelum miſit, qui populo ipſum coram indicaret. Quamobrem non iniuria Phœnices ipſius Iuſti filios, Dioſcuros dixerunt; quia nempe ipſius Dei iuſtitiam exercentis filij eſſent; alter per gratiam adoptiuus, alter etiam ex ipſa natura. Verùm quo apertiùs cernas, omnia inter ſe conuenire; adde & illud, eoſdem Cabiros etiam à Byblio ex auctoritate Sanchuniathonis vocari: qua voce, à Græcis numquam intellecta, illi nominantur, qui malorum ſunt depulſores, quique homines à malis omnibus & eorum patre cacodæmone tuentur. Nam Ca—weren idem eſt, quod defendere à malo, ſiue malum amoliri & arcere; quod noſtratibus notius quàm vt opus ſit maiore explicatu. Litteram autem W nobis peculiarem, Græci in Beta verterunt, quo vocabulum ad ſuam incudem formarent: cuius tamen loco ἀλεξικάκους dicere potuiſſent. Eoſdem alio nomine, de Cimmeria item lingua petito, Corybantes vocarunt: cuius vocis ea primùm offertur notatio, vt electos ad cuſtodiendum tuendumque apparitores intelligamus, quaſi Coz-hu-wanten audiremus. Want enim idem eſt, ac ſi dicas quemquam à manibus eſſe; non eum quidem adſcribendum, vt conſuetudo tenet Latinorum, ſed ad tuendum: vnde Trou-wanten fidi ſatellites vulgò nominantur; cuius ſignificationis ratio ex Wi-hant cognitu facilis eſt. Dic modò quos magis fidos ſatellites & apparitores inuenturi ſimus, quàm illos, quorum alter manu nobis ſalutis omnis auctorem demonſtrat; alter demonſtratus crucis ſuæ claua nos defendit, & ab omnibus aduerſis tuetur. Allemani Verwant pro cognato vtuntur, eo quòd cognatorum manibus latè ſe porrigentibus noſtra defendere ſoleamus; & quot cognatos habemus, tot nobis manuum paria habere videamur. Elegans ſanè eſt ipſius Want notatio, eo quòd Wi-hant vtrumque nobis indicet, & manus nos longè lateque eius beneficio quem ſic vocamus habere extenſas; & præterea aliorum manus nos procul abercere. Iam quia W & B eam habent cognationem, vt alterum alterius loco quandoque ponatur, ſuggeritur & illa nominis ratio, qua in Wihant diſſolui poſſit, ad id notandum, quod manui auxiliatur. Fieret inde quidem Want; verùm quia hæc vox vinculum denotat, & omne id quod ad ligandum in vſum venit, diſcriminis cauſſa pro Beta duplex digamma vſurpatum, non iniuria dicere queamus. Cernitur verò etymologia clariùs in Want dum pro chirotheca venit in orationem, cuius vſus eſt tum vt manui ſit adiumento, tum vt ea quæ manum offendere poſſunt, procul arceat. Eadem aut ſimili ratione Want pro pariete ponitur, propterea quòd & hîc nobis ſit manus & apparitoris loco in propulſandis externis iniuriis. Corybantes igitur dicentur, qui ſunt ſatellites ad cuſtodiendum delecti, quales vt ſint & alij complures, tum illi præcipuo quodam ſuo iure & inſigni prærogatiua ſic vocabuntur, qui à patre Sedec, ſiue iuſtitia æterna, electi ſunt ad totum humanum genus ab omni hoſtili impetu defendendum. Quòd ſi quis Coz pro Cur ſiue Cur interpretetur,

Caſtorũ memoria apud Phœnices clara, iam olim ante Troiam euerſam.

Sanchuniathon Phœnix, hiſtoricus.

Dioſcuri filij Sedec.

Dioſcuri Cabiri dicti.

Cabirorum etymon.

Dioſcuri Corybantes dicti.

Corybantum etymon.

Want.

Trou-wanten.

Verwant.

Wihant.

Want.

Want.

Corybantum etymon aliud.

tetur, vt cærimoniæ hac voce intelligantur, Corybantes illi vocarentur, qui cærimoniis & ritibus sacris tamquam defensores assisterent: quæ notatio vt Idæis Corybantibus non malè conuenit; ita meliùs illis tribuetur, qui omnem cærimoniarum vsum absoluerunt. Certè nulli sacri ritus vel veritatem vel vsum suum tueri possunt, nisi ad ea tendant quæ à D. Ioanne & Christo seruatore nostro gesta sunt. Ceterùm vt hæc sic exposita cuiuis perspicuam habent veritatem, ita illud quod de Samothracibus à Philone adiectum est, non æquè facile fuerit expeditu. Ait enim hos itidem eosdem esse cum Diis Samothracibus. Nitemur tamen & hoc explicare, vt plurimarum antiquitatum consensione nostra stabiliantur, tum vt quæ ratio sit nominis Thracum, intelligatur. Tracht idem nobis est quod subtiliter excogito: & dum nominis loco ponitur, subtile & callidum inuentum denotat. Allemani Be-tracht dicunt pro eodem, facta syllabica adiectione ad significationis augmentum. Quemadmodum verò è Recht fit Rex, & à Le-echt Lex, à Merct Merx; ita è Tracht fit Thrax, mutato videlicet Tau in Sigma, quo littera fiat duplicata. Quisquis igitur is fuit qui primus hoc nomen posteris suis dedit, hoc optasse cernitur, vt ingenij subtilitate ceteris mortalibus antestarent; & id vnà monuisse, vt rebus in omnibus magno cogitationum acumine quid verum, quid falsum, quid fugiendũ, quid sequendum, expenderent. Id autem diligenter priscos olim Thraces fecisse, Orphica theologia, & ea quæ de Strymone, vnius Musarum mariti, memoriæ prodita sunt, satis demonstrant. Thraces autem olim nostra lingua vsos esse, quæ hactenus in Taurica Cherroneso apud vetustos Cimmerios seruatur, in iis quæ de Getis scripsi, ostendi: quo fit, vt eorum nomenclatura ad sermonem nostrum referenda sit, & ex eo ad originem vocanda. Porrò Sami nomen si ad eundem dicatur pertinere, à congregando deducetur; quia Sam idem sit quod in vnum redigo, siue multa simul connecto. Hinc insula à conuenis habitata è diuersis gentibus in vnum collectis, rectè Samos vocabitur; ita vt minimè mirari debeamus, si pluribus insulis eadem data sit nomenclatura. Hinc videas, quàm Iunoni connubiorum Deæ conueniat, vt in Samo colatur; eo quòd hominibus copulandis dicatur præsidere. Samothracia igitur vel Samos Thracia dicetur, quia Thraciæ sit obiecta: vel Samothracia à Samothracibus Diis. Qui verò sint Dij Samothraces, vt ab omnibus ferè video quæsitum; ita neminem legi qui quicquam verius quàm Philo Berytius prodat, tametsi Varro refragetur, nescio quæ Samothracum citans initia. Castor itaque & Pollux reuera sunt Samothraces, nec vllis vmquam ab orbe meliùs ea potuit nomenclatura applicari. Per hos enim Deus admirabili consilio, quo nullum vmquam fuit subtilius excogitatum, diuersas gentes in vnum corpus congregauit, & ex omnibus vnam sibi constituit ciuitatem. Callidissimum Draconem fuisse sacris litteris proditum habemus; cuius impostura homines primi decepti, à Deo sunt distracti: at illo longè sollertius consilium Pater æternus excogitauit, quo coniugium dissolutum rursus est redintegratum, & homines in meliorem statum, quàm ante diuortium fuissent, restituti. Quoniam igitur ad maximum hoc & occultissimum consilium exsequendum D. Ioannes & Christus à Patre cælesti sunt destinati; ille vt index, hic vt perfector; rectissimè Samothraces nuncupantur, eo quòd inuentione subtilissimè excogitata, homines in vnum corpus redactos, Deo rursus copularunt, nullo ampliùs diuortio distrahendos. Samothracum mysteria atque initia occultissima fuisse, à multis annotatum; sed nulli vmquam in mentem venisse credo, tantum in illis latuisse arcanorum, vt ipsum etiam callidissimum serpentem fallerent, & insidiarum contra ipsum structarum tantisper inscium tenerent, dum ipse sese in laqueum induxisset. Castor ergo & Pollux nõ Dioscouri modò sunt, sed veri etiam sunt Cabiri, veri Corybantes, veri Samothraces; tot denique nominibus aliis honorandi, quot illi qui & veri sunt depulsores omnium malorum, & omnium mortalium, diuersis erroribus per totum orbem vagabundorum, vnam constituere ciuitatem. Quamobrem nihil absurdi feci, immo nihil feci quod non ipsa veritas facere coëgit, dum Docana ad Tau dixi pertinere, & eorum apud Spartanos venerationem ab eisdem quondam initiis primùm cœpisse, à quibus Tau ad Ægyptios venit. Hinc non exigua mihi suspicãdi ratio, ipsum etiã nomen Docana non minùs Cimmeriũ esse, quàm nomen Spartæ, tametsi à δοκὸς, quo trabs notatur, deriuatũ esse videri possit: quam opinionẽ ij sequantur licet, quibus hæc formandarũ vocũ analogia placebit. Si trabes tantùm nomine hoc desi-

Castor et Pollux dij Samothraces.

Thracum etymon.

Tracht.

Betracht.

Thracum ingenij subtilitas.

Sami nominis notatio.

Sam.

Sami nomen quare insulis compluribus tributum.

Samothracia vnde nomen acceperit.

Samothracum initia & mysteria occultissima.

Docana nomen esse Cimmerium.

gnari volebant, cur non δοκοὺς potiùs vocabulo ab omnibus intelligendo nuncupabant? Qui Græcis etymologias scripsit, sepulcra interpretatur, ambiguus hærens, à δοκὸς ne, an à δόκησις vocis ratio sit petenda. Suidas quia Tyndaridarum sepulcra hoc nomine signari existimat, non dubitat, quin à δόκησις vox sit accepta. Hoc interim cerno, nusquam alibi gentiũ in tota Græcia huius vocabuli pro re quapiã vsum fuisse, quàm apud Lacedæmonios, & apud hos non pro vlla alia re, quàm pro Castoris & Pollucis monumento. Hinc fit, vt sic existimem, vocem Cimbricã fuisse à primis rituum magistris ad posteros transmissam, ad solum illud Castoris & Pollucis signum denotandũ. Exosculor profectò cùm alibi semper, tum hoc maximè loco Plutarchi diligentiam, viri omnibus ceteris de antiquitatũ cognitione longè præferendi; cuius auctoritate fretus, Grammaticorum iudicium hîc contemno. Rimanti itaque mihi linguæ nostræ penetralia, statim in ipso vestibulo ea nominis ratio sese obuiam tulit, cum qua fraternus amor ille quem à Chæroneo acceptum explicaui, ad vnguem quadraret: & ea quidem talis, vt geminam eisdem litteris, per solius temporis in prima syllaba mutationẽ, intelligentiam ostendat. Quid, rogo, magis eius votis conuenit, qui æternam futuri sæculi vitam, quæ per Tau denotatur, apud Hieroglyphicos exspectat, quàm Deum perpetuò feruidis precibus orare, vt eam quamcitissimè largiatur? Nónne quotidiè, immò semper orare iubemur Deum Patrem nostrum cælestem, vt regnum nobis suũm sinat aduenire? Quid si nunc doceam, hoc ipsum per Docana denotari? Doc idem nobis est quod citò do vel da; quod in hac notatione breui tempore pronunciatur, quo festinatio indicetur. Ana perpetuum nobis notari, alibi crebrò expossui. Videmus ergo nomen hoc vel ipsis trabibus per cruces deuinctis tribui posse, vt ipsum signum dicere intelligatur, do æternitatem: vel ipsi inspicienti accommodari, vt videlicet dicat, Da citò perpetuam vitam. Confer modò id quod de symbolo Tau in Serapidis templo inuento, & ad vitam futuram à sacrarum peritis notarum relato antea commemoraui, cum hac huius vocis Doc-ana notatione; & examina, an non vox Docana ipsius Tau exprimat notationem. & est hæc quidem integri vocabuli vt trisyllabum sit, & vocali prima breui pronunciatum, significatio: at si primam producas, alterius rei notio offeretur; diuersa illa quidem à priore, verùm sic coniuncta, vt & eam sequatur, & ipsum modum exprimat, ad quem munere eo quod oramus, sit vtendum. Duc vocali longa, est idem nobis, quod sub alicuius rei tegmine summisse lateo ad iniuriam & vim declinandam: vnde doc præteritum imperfectum cum ana compositum faciet vocabulum, quo æternum latibulum & tegumentum contra omnia malorum tela comparatum denotatur. Nos pullos sub matris alis tegi dicere volentes, hoc verbo dulken vtimur: & dum significamus quempiam se debere tutelæ maioris alicuius submittere cum omni humilitate, idem verbum vsurpamus. Quisquis ergo Docana hoc accentu pronunciabit, is sic intelligendus, vt dixisse videatur, nobis magna animi summissione perpetuò sub cruce latitandum esse: quod quàm Euangelio consentiat, rectèque cum omnibus sacris litteris quadret, neminẽ Christianorum puto latêre. Nobis enim crux perpetuum scutum esse debet aduersus omnem cacodæmonis impetum; sub quo tam submisse nos debemus occultare, vt nihil ab imbelli puerorum innocentia differamus, si protegi quidem ab ea velimus; quandò superbos & suis viribus vel minimũ fidentes Deus ab alis crucis suæ repellit; nec quemquam securissimo hoc tegmine dignatur, qui non totum sese deuouerit humilitati; virtuti illi quidem nulli Philosophorum cognitæ, immò apud eos in vitiis habitæ, verùm tali, vt per eam solam vnicum iter ad crucis tutelam patere cùm Prophetæ, tum Christus ipse & exemplo & præceptis frequenter repetitis ostendit. Rectè igitur Docana sic sunt vocata, vt nõ suam modò in breui tempore habeant significationem; sed mutato etiam accentu illam nobis suggerant viam, qua ad æternitatis donum peruenitur. Quòd si litteram mediam è tenui in mentem vocemus, Dogana virtus erit æterna, ea videlicet quæ in cruce perpetrata, omnibus vitam meruit sempiternam; eo quòd Dog idem sit quod virtute præditum esse. Vide vt alia recta pronunciatione designentur, alia cognatione quadam ex eisdem elementis moueantur, & vt omnia tamen eodem tendant. Iam & illud monemur, vt optemus Doch-an, id est, vtinam tandem adsis; ceu is qui inspicit & vitam æternam symbolo notari intelligit, dicat: Rogo vt tandem properes & adsis; quo quid aliud dicitur, quàm, *Adueniat regnũ tuum*,

Docana vocis etymon.

Doc.

Ana.

Duc.

Doc.

Crux perpetuum scutum aduersus cacodamonis impetum.

Humilitas virtus philosophis incognita.

Dog.

fraterno

fraterno tuo amore nobis comparatum. Plura sunt quæ vel accentuum mutatione, vel litterarum cognatione nobis indicantur, quæ enumerare nihil attinet, cùm hæc sufficiant ad aperiendum, vocem ipsam non minus ad Cimmerios, quàm simulacrum pertinere. Et hæc quidem plura fortasse quàm satis de Docanis, fraterni amoris inter Castorem & Pollucem symbolo, duodecim angulos exteriores è quatuor internis egressos delineante; qua figura totius mundi duodenario designati salus & gemina vita, à pyramide quatuor angulis absoluta, & principe omnium corporum proficisci denotatur. Quòd si pro rei amplitudine & maiestate per omnia nobis Docanorum mysteria discurrendum esset, atque in singulis cum sacris litteris symphonia annotanda, maxima commentaria colligere oporteret. Duodenario autem totius mundi plenitudinem designari & geminam vitam; alteram priorem à patre datam; alteram posteriorem, quam à Filio corporato mundus accepit, & aliàs indicaui, & suo loco latiùs explicabo. Magnas gratias habeo Cimmerij sermonis auctori, cùm ob alia infinita diuinitatis arcana nobis communicata, tum ob duodenarij apud nos nomen, sic expressum, vt duplicem hanc vitam clarissima compositione designet: quam vt semper maiorem in modum veneratus sum; ita longè vehementiore me captum sensi admiratione, dum eam cum Docanis conferrem, videremq. numeri nomen adamussim cum eorum quadrare notatione, quam insigniter auxit illud testimonium: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quid enim conuenientius, quàm duodenario mundum denotari, cùm numerus sit plenissimus, quinque partes complexus; quæ sic eum reddunt exsuperantem, vt quaternario seipse excedat, quem Docana in medio complectuntur. Quis est autem hic quaternarius? Id indicat Cimbricum nomen quo quaternarius & ignis notatur. Accessit enim mundo vltra omnem suam mensuram Pollux, qui est corpus igneum, infinito ardens amore; quod in meditullio Docanorum inclusum, duodecim angulos excludit, & toti mundo depurgato geminam confert vitam. Ventum nunc est paullatim eò, vt totius mundanæ machinæ figuram in Docanis expressam fuisse intelligamus: & quemadmodum hæc duodecim angulis rectis designatur; ita in Herculis fabula duodecim eius laboribus, quibus totum orbem ab omni monstrorum genere liberauit, insignitur. His connexam cerno alterius cuiusdam simulacri interpretationem; è quo Ægyptiorũ idolomania ex omnibus sacris vel symbolis vel nominibus falsos sibi deos fingentium, magnum illum Serapin somniauit; quem insanus Porphyrius Plutonem esse commentus est. Nostra non refert quid delira hominum deos de somniis suis fabricantium ingenia de priscis id genus vocabulis vel confinxerint, vel sese de cuiuspiam vetustioris auditione accepisse dicant; quando nihil mihi certius est, quàm eos omnes qui hisce in rebus versati sunt, nihil prorsus eius linguæ nouisse, è qua prisca hæc nomina manarunt. Ritus tamen antiquos diligenter obseruo, vt eorum nimirum ductu ad prima exordia superstitionis adscendam: quod cùm aliàs semper, tum in hoc celeberrimo Serapidis idolo faciendum mihi putaui. Crebrò repetere cogor, cacodæmonum fraude & mendacium antistitum auaritia factum olim fuisse, vt nomina vel diuinis oraculis pandendis destinata, vel sanam aliquam de rebus sacris sententiam complexa, ad immundos spiritus detorquerentur; atque ita pessimus dæmon boni nominis prætextu miseris mortalium mentibus se velut Deum quendam insinuaret. Hinc è symbolis sacris dij facti, hinc exstitit Harpocrates silentij custos, hinc Canopus spes omnis eruditionis, hinc denique omnes tum Ægyptiorum, tum dij gentium ceterarum. Annotaui modò è Suidæ commentariis, in Serapidis templo signa inuenta fuisse, crucis figuram exprimentia: qua de re quid Rufinus memoriæ prodiderit, recitare non grauabor. Is enim magnificentissimum eius in Ægypto templum ita describit, vt centum gradibus ad illud vndique aditus patêre dicat; monte nimirum altis fornicibus exstructo, ad pauimentum & reliquam substructionem sustinendam; in quibus diuersorum vsuum cellæ per diuersos mæandros adeundæ occulebantur. Iam superiora spatiosæ exedræ & pastophoria & domus in excelsum porrectæ occupabant, in quibus vel æditui vel ἀγνεύοντες, id est, castitatẽ seruantes, habitabant. Porticus deinde totum ambitum interiorem quadratis ordinibus distinctæ decorabant. Medio spatio ædes erat pretiosis columnis in altum educta, quam ingens Serapidis simulacrum ita occupabat, vt dextra alterum, alterum parietem sinistra ferè contingeret: quod ex omni genere metallorum

Duodenarij numeri significata & mysteria.

Idolomaniæ origo.

Serapidis in Ægypto templum & simulacrum.

lignorum que in vastam corporis molem conflatum fuisse ferebatur. Huius capiti modius impositus erat. Quid verò vel toto simulacro, vel modio denotaretur, non satis inter Ægyptios constabat, vt facile inde coniectemus aliunde & nomen & symbolum olim inuectum fuisse. Et hæc quidem de templo & idolo: quibus inter alia Rufinus adiecit, hæc verba. Sed & illud apud Alexandriam gestum est, quòd etiam thoraces Serapis, qui per singulas quasque domos in parietibus, in ingressibus, in postibus etiam, ac fenestris erant, ita abscissi sunt omnes & abrasi, vt ne vestigium quidem vsquam vel nominis appellatio, aut ipsius, aut cuiuslibet alterius Dæmonis remaneret; sed pro his crucis Dominicæ signum vnusquisque in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque depingeret. Quod cùm factum esse hi qui superfuerant ex paganis, viderent, in recordationem rei magnæ ex traditione sibimet antiquitus commendata venisse perhibentur. Signum hoc nostrum Dominicæ crucis inter illas quas dicunt ἐγκύκλια, id est, sacerdotales litteras habere Ægyptij dicuntur, velut vnum ex ceteris litterarum, quæ apud illos sunt, elementis. Cuius litteræ seu vocabuli hanc esse asserunt interpretationem, Vita ventura. Dicebant ergo hi qui tunc admiratione rerum gestarum conuertebantur ad fidem, ita sibi ab antiquis traditum, quòd hæc quæ nunc colunitur tamdiu starent, quamdiu viderent signum istud venisse in quo esset vita. Vnde accidit, vt magis hi qui erant ex sacerdotibus vel ministris templorũ, ad fidem conuerterentur, quàm illi quos errorum præstigiæ, deceptionum machinæ delectabant. Hæc Rufinus: quæ adieci, quo quiuis cerneret, antiquitus Tau in Ægyptiorum notis fuisse pro vitæ venturæ tessera: quo dato, nõ iniuria quærat aliquis, quid rei cacodæmoni fuerit cum Tau, & quæ communio diabolo cum signo crucis, quo fugari, non allici scitur. Hic apertè cernas, Serapidis simulacrum priscis ad aliud spectasse, quàm ad idolomaniam. Hieroglyphica Bembi tabula quot dat nobis sacras effigies ipsum Tau funiculo tenentes, quas si cacodæmonum formas esse dicas, explica nobis, quis vmquam fuerit inter has pestes cui crux ita placuerit vt eam sibi erupi nollet? Vt inter se symbola concordent, necesse est sic has imagines interpretari, vt ea referantur significata quibus crux vitæ venturæ nota sit amica. Hinc nos elicimus, id genus figuras oraculorum occultasse denotationem; quam maligni spiritus contra se comparatam cernentes, insigni fraude in rem suam verterunt; & miseris mortalibus eum errorem instillarunt, vt è picturis sacris falsos sibi Deos comminiscerentur. Quamuis ergo Serapidis tum nomen tum simulacrum ad cacodæmonis cultum hac via sit prolapsum, prius tamen apud priscos ad longè diuersam notationem referebatur. Quoniam ergo Tau frequentissimum est in notis hieroglyphicis, sitque modò expositum, vitæ venturæ habuisse notationem; stupidi prorsus simus, si cogitemus sacras has picturas principiò ad cacodæmones mortis auctores colendos inuentas fuisse. Quin contrà omnino rem habere cernimus, totum nempe hoc picturæ genus ad veram vitam pertinere, si ad priscas suas origines referatur & examinetur. Videamus itaque quid Serapis, in cuius templo Suidas cruces inuentas scribit, ante idolomaniam denotarit. Malchus ille Tyrius, acerrimus Christianæ religionis hostis, quem Græci Porphyrium nominarunt, plurimum ad eam rem diligentiæ contulit, vt quæ veterum Ægyptiorum opinio de Diis fuisset, exploratum haberet. Is in libris responsorum scriptum reliquit, se certò comperisse, Serapin eum Deum vocatum fuisse, qui malignis dæmonibus imperaret, atque eorum insanam vim, qua miseros mortales impeterent, coërceret. Hac de caussa symbolum ab ipso hominibus commonstratum, quo malignæ furiæ expellerentur. Quòd si hæc ita habent, eaque à priscis accepta opinio; quem, rogo, alium inueniemus cuius hæ præcipuæ sint partes, quàm ipsum Dei Filium incarnatum? Percunctemur prophetas, consulamus omnia diuina oracula, & expendamus in illis, cui omnis potestas data sit in cælis & in terra, & apud inferos; certè non alium quàm Christum reperiemus. Audiamus Danielem hac de re loquentem: *Adspiciebam*, inquit, *ego in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna; & regnum eius quod non corrumpetur.* Hæc ille, & plura. Iam quis nescit Draconem cum toto suo exercitu pedibus Agni subiectum esse, & ab eo solo victum? Si quis ergo hoc honore

Crucis Dominicæ signũ inter sacras Ægyptiorum litteras, & eius interpretatio.

Serapidis simulacrum priscis ad aliud spectabat quàm ad idolomaniam.

Porphyrius, dictus Malchus.

Serapis quis Deus priscis fuerit.

dignus

dignus quem Serapidi priſci tribuerunt, certè non alius dignus quàm is cui antiquus dierum eam dedit poteſtatem, vt totum mundum à Draconis tyrannide liberaret. De hoc Sibylla:

Te duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

Et mox:

Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet.

Veriores itaque Porphyrius quàm ipſemet ſcire poſſet, duces ſecutus eſt, dum de priſcorum ſententia Serapidi eam dedit poteſtatem, qua dæmoniaca rabies, in humanum genus ſine intermiſſione ſæuiens, coërceretur. At quod'nam ſymbolum illud eſt auerruncum, quod hominibus ab ipſo commonſtratum eſſe dicit? Quod? Ipſum nempe Tau; quod vt manu ſua tenere in ænea illa Bembi tabula Regina omnium antiquitatum clariſſimè videtur; ita in eius templo inuentum eſſe, tum cùm ſtatua deiiceretur, veterum ſcriptorum teſtificatione confirmaui. Nunc igitur cernimus, quid vero Serapidi cum Tau, & quàm inſigni impietate & nefando ſacrilegio ſacrum Serapidis ſignum ad neſcio quem dæmonem ſit tranſlatum. Sumſit perfidus ſerpens eius ſibi inſignia à quo erat conculcandus atque proterendus; vt hos ſaltem quoad poſſet furtiuos & impios præriperet honores. Sic miſeri mortales ab hoſte ſuo decepti, qui ſemper aſtu & dolo graſſari conſuetus inter alias fraudulenti conſilij machinas & hanc ſibi impoſturæ arripuit occaſionem, vt Serapidis, cuius erat, dæmones omnes depellere ac coërcere, ſigna præferret; atque in hac ſua inſidioſi belli officina tam callidè verſatus eſt, vt Deus omnia myſtica humanæ ſalutis ſymbola iam ab hoſte occupata & fœdo ſacrilegio polluta exſecrarit, & vltricibus flamis deuouerit; vtpote iam non ampliùs ad honorem ſuum, ſed ad aduerſarij vſum in hominibus decipiendis relata. Plurimas Maternus, vir in primis & doctus & pius, id genus cacodæmonis fraudes eleganti libello indicauit; infinito plures in medium prolaturus, ſi linguæ noſtræ ductu altiùs in mendaciorum patris officinam penetrare potuiſſet: quod quamuis facere nequiuit, illam tamen apud Chriſtianos veritatis inquirendæ aperuit viam, vt quiuis clarè cerneret, maximam idolomaniæ partem à pietatis ſupellectile furtim ſublata acceptam auctamque ſemper fuiſſe. Huius igitur iudicium teſtificationemque ſecuti, ſic in idololatriæ domo diſcutienda verſabimur, vt ſemper omnes notas diligenter examinemus; quo hinc propria mendaciorum inſtrumenta, hinc furtiua cognoſcas: & in his quidem de priſcis ingenuæ indolis ſignis procedamus ad vetuſtum vindiciarum ius, quo ea quæ quondam Dei fuerunt, liberali manu in antiquum decus aſſeramus. Videamus iam nunc, an nomen quoque cum his quæ à Porphyrio prodita ſunt, concordet. Complures quid eo notaretur quæſiuerunt, ſed in hoc perinde atque in aliis Cimmeriis vocabulis egregiè ſunt hallucinati. Nobis non difficile eſt videre quis Serapis ſit vocandus, ſi litterarum ſequamur cognationem. Ser vocali longa omne id notat quod dolore cruciat; & hinc pro ſcabie frequenter vſurpatur. Aſ-wis idem eſt quod abſtergo: & ſi Aſ-wies per diphthongum pronũties, idem dixeris quod Latinus efferret, Abluebam. Hinc mox cernas duplex W, quo Græci cæterique carent, exemtum; & F quod ſono ipſi Phi reſpondet, in P litteram tenuem tranſiiſſe: vnde ex Ser-aſ-wis Serapis factum, nomen eius proprium, qui dolores noſtros & ſcabiem abſtergit. Animaduertis'ne hîc duo indicari, & ablutionem, & abſterſionem, exiguo vnius litteræ diſcrimine: & rurſus non dolores modò in cogitationem vocari, ſed ſcabiem etiam, qua totum corpus fœdatur? Quòd ſi quis nolit Ser ſyllabam longam eſſe, quia apud Græcos breuis efferatur, is ſciat non ſemper in exteris vocibus accentum ſeruatum fuiſſe: & alioqui, ſi placeat, Ser ſic interpretabor, vt ſemen deſignet: vnde apud Latinos Sero, & apud nos verbum, venerei congreſſus habens notationem: qua via cùm Serapis is erit qui ſemen ſuum abluit atque mundat, tum indicabitur, eundem omnino eſſe & eum qui genus humanum ſeuit, & eum qui abluit eius ſordes. Intelligis'ne hîc tribus ſyllabis exponi quod D. Ioannes in principio Euangelij ſui expreſſit, vbi apertè dicit: Verbum, quo cælũ & terra creata ſunt, carnẽ aſſumſiſſe, & in mundũ ad hominũ peccata abluẽda veniſſe? Sed hæc cuiuis obuia. Nũc igitur quia in vocabulis Cimbricis alia recta via explicãtur, alia ſoni quadam cognatione monentur,

Dæmonis fraus & aſtutia.

Maternus, ſcriptor libelli de Cacodæmonis fraudibus.

Serapis etymon.

Ser. Aſ-wis.

Ser.

monẽtur, geminã in tota Serapidis nomẽclatura habebimus significationẽ; alterã dũ prima syllaba breui accẽtu, alteram dũ longo proferetur; & vtramq. vni soli Christo conuenientem. Ex hac modò nominis solutione perspicuũ fit, qua de causſa prisci illi sacrorũ rituum magistri Serapidis simulacrũ ex omni genere materiæ cõgesserint ac coagmentarint; quod Rufinus & alij memoriæ prodiderunt. Conueniebat enim omnium rerum satori, vt eo simulacro fingeretur, in quo omnium seminalium rationum siue idearum vestigia cernerentur: & rursus par erat, vt is qui toti rerum vniuersitati nitorem suum & decus esset restituturus, eam haberet effigiem, qua ab eo omnes totius mundi res purgatum iri commoneremur. Viden' iam, vt omnia inter se concinna quadam harmonia quadrent, & ad eiusdem mysterij referantur significationem? Totum mundum in Docanis, Castoris & Pollucis agnouimus duodenario expressum: hîc eundem materiæ diuersitate indicatum habemus. Vnum reliquum habemus in Serapide antiquitatis monumentum; modium videlicet capitis vertici impositum, cuius & Rufinus & Maternus fecit mentionem. Quibusdam hinc occasio data, vt Serapidem Iosepum existimarint, eo quòd is Ægyptiis frumenta per modios sit dimensus, atque prudentia sua in extrema annonæ angustia famelicis hominibus dederit alimenta. Sed hoc commentum longè recedit à vetere hieroglyphicorum consuetudine; quorum, vt nihil ad historiam rerum à quopiam gestarum pertinet, ita totam disciplinam ad sacra spectare ipsum nomen profitetur. Vellem profectò quisquam scriptis tradidisset, quo nomine hoc capitis ornamentum apud sacerdotes olim fuerit nuncupatum. Nam qui modium vocant, similitudinem potius quandam mensuræ, quàm cuiusquam veterum auctoritatem secuti videntur. Ærea Bembi tabula vasculum hoc quale quale est, & quocumque tandem nomine vocandum, sic depingit, vt modiolus esse videatur ansatus, quo nimirum ex maiore aliquo vase vel frumenta vel liquores hauriantur: quod si nostrati sermone ab vsu sit nominandum, Stepper dicetur. Verùm eadem tabula in alia effigie ansam omisit; qua ratione non Stepper nobis, sed Mathen vocaretur. Agnosco sanè in vtroque nomine insigne notationis arcanum: & illo quidem video exprimi creatorem; hoc verò totius iustitiæ fundamentum. Stepper enim ambiguæ significationis est ad creatorem & ad capedinem qua de maiore vase haurimus; ita vt si notam hieroglyphicam creatoris quæras, nullam queas, quàm hæc sit, commodiorem inuenire. Cùm igitur hanc capedinem Serapidis capiti imponebant, denotabant se eius dare effigiem, qui & homo esset, & omnium creator; quo quid potest verius de Christo dici? Cur autem creatorem Stepper vocemus, alibi me puto tradidisse: hîc obiter repetam, step idem esse quod ex maiore vase depromo: vnde is qui id facit, stepper nuncupatur. Deus ergo ex infinitis Patris sui abyssis totam machinam mundanam certa quadam mensura depromens, Stepper à nostratibus indigetatur: qua voce nihil potest significantius excogitari ad creationis modum ob oculos ponendum, de rebus in quotidiana consuetudine notissimis. Numa suas habuit capedunculas, quibus thus ex arcula depromebatur; quarum formas in vetustis cùm marmoribus, tum numismatis frequenter vidisse memini; minores illas quidem quàm vt capitis amplitudinem æquarent, sed alioqui non prorsus Ægyptio Serapidis ornamento dissimiles. Nunc ad modium eum cui vt ansa deest; ita hostorium potest adhiberi. Minimum hoc mensuræ genus Mathen hypocoristicôs nominamus, quasi mensurulam Latinus vocaret. Huius igitur inspecta similitudine, & nomine in memoriam vocato, statim in mentem venit vt mensuram cognoscamus, eo quòd vox diminuens Mat contineat, & præterea ken addat, quod idem est, dum vt verbum vsurpatur, quod nosco vel nosce. Iam Mat conuersum, Tam profert, quo decorum in genere denotatur. Monemur ergo vt mensuram eam cognoscamus, qua sua Deo & generi humano iustitia constat; quæ non alia est quàm meritum Christi, per quod solum & iustum & decorum mortalibus cõtingit. Quid hîc primùm miremur, breuitatémne in significando, an copiam mysteriorum tam exigua nota indicatorum, an conuenientiam vocabulorum, cum iis quæ de figura intelligenda offeruntur? Fruſtra hieroglyphicorum interpretatio quæritur, vbi nomina signorum ignorantur; eo quòd semper notæ cum vocabulis sint conferendæ ad veram intelligentiam eliciendam. Nunc itaque quis verus sit Serapis, & quæ sint eius symbola, & quomodo capienda, & quem Tau interea habuerit locum, breuiter indicaui:

Serapidis simulacrũ cur ex omni materia genere congestum.

Modius in Serapidis simulacro quid notarit.

Stepper.

Mathen.

Step.

Numæ capedunculæ.

Mat. Ken.

Tam.

dicaui: è quibus coniecturam facere licet de tota reliqua hieroglyphicorum disciplina, quam de vera veræ religionis significatione ad horrendam idolomaniam & insanas stultissimarum superstitionum nugas detortam videmus. Quemadmodum verò Serapis nostras est vocabulum à priscis Cimmeriorum pueris apud Ægyptios relictum; ita & cetera nomina in sacris vsitata. Apis enim idem est quod Ab-wis / id est, is qui abluit & deterget: quo nomine bos vocabatur, magnæ victimæ typus, cuius sanguine mundi peccatum esset abluendum. Quod ita esse facilius credes, si scias Pontifices maximos Romæ ita creari solere, vt bouis mactati sanguine conspergerentur; quo intelligeretur, omnia cærimoniarum genera ad magnam victimam referri debere, cuius solius sanguine tum ceteri omnes, tum Pontifices etiam maximi essent expiandi. In Api Ægyptij Lunæ signum quærebant, propterea quòd quemadmodum Luna de suo lumen non habet, sed à Sole mutuatur, ita & sacrificia, quamuis magna, nullam adferunt ex se salutem; sed quicquid habent sancti, id ab vna victima accipiunt in cruce immolata. Quamobrem Ægyptij antistites in arcanis suis habebant, tantisper cærimonias duraturas, dum illa vita veniisset, cuius Tau signum gerebat: quod alia ratione, & illa quidem prophetica, dicere potuissent, tantisper ritus vmbratiles mansuros, dum transiisset Luna: qua de re plura in Gallicis annotaui. Habebat Apis in pectore Tau quoddam exiguum è tænia suspensum; quod Cælius quoque Rhodoginus è nescio quo scriptore, in antiquas suas retulit lectiones. Varia sunt & pæne infinita de Api & Serapi veterum commentariis prodita, sed ex iis nihil certius colligas, quàm de tanta opinionum diuersitate liquidò constare, nihil sani in vulgus cognitum fuisse; & eorum maximè sequendam sententiam, qui Serapin, Apin, Isidem, Osiridem, Anubin eundem faciunt Deum, aliis & aliis modis consideratum. Qui quid sigillatim quisq. dixerit, scire volet, is sibi Deorum historiam à Lilio collectam in manus sumat; è qua tamen tota nihil ferè eorum intelliget, quæ nos è tenebris protraximus; non alterius magis quàm ipsius Tau adiumento; quod tum prisca sua figura, tum vera nominis ratione luculentissimum facit iudicium, omnes sacras Ægyptiorum figuras ad hoc vnum excogitatas fuisse atque depictas, vt tandem agnosceretur, omnes veterum sacrificiorum ritus ad Christianam spectasse religionem. Addamus nunc succinctè quis fuerit Osiris: qua in re nihil opus est longa inquisitione, cùm confestim vox nobis indicet, cui verè tribuenda sit. Nos enim pro Domino nostro dicimus Ons heer. Hinc Osir, mutato E longo in I longum; quod in Lilio quoque & multis aliis vocabulis euenisse cernimus, vt in Francorum insignibus annotaui. Osiris ergo, dum sic redditur, vt vltima etiam terminatio de Cimmeria lingua manasse dicatur, idem ad verbum denotabit quod Latinus verteret, *Noster Dominus est*. Eadem via Isis idem significat quod, Est Est, apud Latinos: quo geminato, Est sapientia, per quam Pater mundum creauit, indicatur, binario æternam Filij genituram exprimente: quod mysterium in numeris Cimbricis explicatum. Vt igitur Filius aliàs Verbum, aliàs Sapientia, aliàs aliis nominibus nuncupatur; ita ab Ægyptiis sacerdotibus significantissimè vocatur, Est Est. Hinc mox magna significationis efficacitas in eo deprehenditur, quòd Deus Mosen in Ægyptum legaturus iussit vt diceret: *Est misit me*; ceu id Pharao & sacerdotes mox essent intellecturi, vtpote qui scirent, Deum in arcana lingua illud nomen habere, quo Est designatur. Quòd autem Osiridis membra à Typhone discerpta disiectaque veteres finxerint, illud non aliud denotat, quàm miseros mortales, qui Dei membra tantisper fuerunt dum se diuortio turpi non separassent, variis erroribus fuisse disiectos. Quæsiuit autem Isis siue Sapientia diuina, vt membra rursus in vnum corpus coirent, quod per masculam Christi virtutem & leoninum robur tandem consecuta est. Typhon autem draco est, ceu De-hup-hon diceretur, id est, is qui fraude sua fecit, vt nos attollere, & ad supera adscendere nequeamus. Quòd si mauis à Tup-hon vocem venire, eandem propè habebis expressam notionem. Tup enim & Put ad contrariorum significationem conuertuntur; & Tup quidem supremum apicem notat: Put verò id quod contrà in profundum est depressum. Tup-hon ergo is erit, qui nos ab apice, ad quem adscendere debuissemus, defraudat, & in puteum præcipitat omnium miseriarum. Quid hîc opus est longis logis & variis errorum ambagibus, per quas Plutarchus & ceteri in Typhonis natura perscrutanda feruntur; cùm luce clarius sit, hæc quæ de Osiride, Isíde & Typhone dico,

Apis nominis etymon.

Luna in Api cur quæri solita.

Apis in pectore Tau habebat.

Osiris quis & vnde dictus.

Isidis etymon.

Osiris cur à Typhone discerptus fingatur.

Typhon quis, & vnde nomẽ acceperit.

Tup.

Put.

non

non cum vocibus tantùm, ſed cum ſacris etiam litteris adamuſſim conuenire; nec frequentia crucis ſigna in Hieroglyphica tabula imaginum manibus ſtudiosè comprehenſa permittant, vt alio quàm ad Chriſtum Ægyptiæ figuræ pertinere dicantur? Anubis porrò exitioſiſſimus dæmon à Porphyrio per craſſam ignorantiam vocatus, nomine ſuo nobis oſtendit, ſe Spiritus ſancti geſſiſſe typum. Quid, quæſo, odore ſubtilius, quid cane ſagacius? Rurſus, quid cane homini fidelius? Quod animal ignorantiam magis exhorret? Num'ne aliud animal eſt ad hominem fida ſua cuſtodia tuendum magis idoneum? Interroga Socratem, ecquid magis vel regium vel philoſophum quàm canis agnoſcat. Quid ego hîc Mænam commemorem? quid Vlyſſis canem ex Homero repetam? quid cetera exempla ſigillatim enumerem; cùm nemo ſit ſenſus tam obtuſi, vt non immenſam canis ſagacitatem ſubodoretur? Fingunt Anubin Oſiridis & Iſidis cuſtodem fuiſſe; alij toti rerum vniuerſitati cuſtodiendæ ab illis ipſis præfectum. Nos de ſymbolorum natura, & iis quæ de Anubi prodita habemus, nihil dubitamus, quin Anubis Spiritus ſancti hieroglyphicum fuerit ſignum, qui totam mundi machinam, & quicquid in ea continetur, in eſſentia & natura ſua cuſtodit. Hinc illud: *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Sunt qui animam mundi apud Platonem eo modo intelligant, vt vis ſit ſpiritus, totam rerum vniuerſitatem in agitatione ſua perpetua continens, atque ſuas cuique partes cuſtodiens. Huc Virgilius reſpiciens ſic facit Anchiſen canentem:

Principiò cælum & terras camposq́; liquentes,
Lucentemq́; globum Lunæ, Titaniaq́; aſtra
Spiritus intus alit; totamq́; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Non malè igitur illi qui vel Oromaſde, vel neſcio quo alio duce ſcribunt, cælo & terræ & aſtris fabricatis, Anubin præfectum fuiſſe cuſtodem; atque idcirco optimè diuinam eius vim canis figura denotari; eo quòd nec ad ſentiendum ſagacius, nec ad tuendum fidelius, nec ad propellendas iniurias animoſius aliud animal inueniretur. Videat ergo Malchus magnus ille, vt videri vult, myſtagogus, quæ'nam pernicies, quæ peſtis è canis figura coniectari debeat. Nobis perſpicuum eſt, nec priſcorum hominum auctoritatem, nec eximiam in cuſtodiendis hominibus animalis indolem, nec ſacras Ægyptiorum figuras ad cacodæmonis alicuius ſignificationem nos vocare; ſed contrà monere, vt cuſtodiam tutelamq́; noſtri ei committamus, qui hac teſſera voluit denotari. Exponatur ergo vocabulum, quo cernamus num & hoc eiuſdem rei habeat notationem. An-hu-wis idem nobis eſt ac ſi Latinè dicas, Ad cuſtodiam ſum præmonſtrator. Nec mirum, è duplicato digamma Beta factum fuiſſe, cùm illo Græci ceteræq́; gentes, præter Cimbros, carerent. Admirabilis huius nominis eſt compoſitio, quæ nimirum ſic tres ſyllabas complectatur, vt & omnes ad vnum Spiritum ſanctum poſſint referri; & præterea ſic numerari, vt ſingulæ ſingularum hypoſtaſeon oſtendant proprietates; & vltima quidem propriè ad Spiritum ſanctum dicatur pertinere, vtpote cuius ſit, præmonſtrare omnia quæ nobis ſunt ad ſalutem neceſſaria: qua in re vera eſt cuſtodia; & ea quidem tam propinqua, vt in arce noſtra excubias agat, ſi nos quidem ipſi præſidium eius non eiiciamus. Hunc ſpiritum Deus perpetuum & vniuerſæ eccleſiæ, & ſingulorum hominum voluit eſſe cuſtodem. Quia verò Wis vocali longa, non præmonſtro tantùm denotat, ſed pro ſapiente etiam ponitur, fit vt Anubis ſic accipere queat interpretationem, vt ſit, ſapiens ad cuſtodiendum in vnione. Sic enim dicimus, De ſcapen an huen / pro eo quod eſt oues ita cuſtodire ne diſpergantur. Eſt profectò erga homines ea præcipua Spiritui ſancto virtus, vt eos in vnione cuſtodiat, & in vno corpore cæleſtis gregis contineat: cuius vnionis conſeruandæ ſapientia Anubis nomine deſignatur, ſi poſtremam ſyllabam pro ſapiente capiamus, vt paſſim apud nos vſurpatur. Iam vt ſacrorum nominum rationes copioſæ ſunt, licebit & aliud eâdem voce intelligere. Nam ſi wis breui accentu efferatur, eum denotabit qui cuſtodiæ, qua in vnum colligimur, certus eſt: quod æquè commodè Spiritui ſancto applicatur, in quo ſolo certa eſt cuſtodia, neminem vmquam quem ſuſceperit tuendũ, fruſtratura. Sed quod crebrò aliàs monui, id hîc rurſus monendum, ſic plurimas rerum diuinarum nomenclaturas contexi, vt alia & alia iis vel denotentur, vel vicinia quadam ſyllabarum

Canis præſtantia.

Anubis Oſiridis & Iſidis cuſtos.

Anubis Spiritus S. ſymbolum.

Anubis etymon.

Wis.

Wis.

labarum moueantur. Anubis enim licet nihil eorum quæ modò exposui, significaret, cuiuis tamen sermonis nostri non imperito clarum est quid designet Ain-hu-wis, quo quiuis intelligit, vnam solam esse custodiam quæ certa sit; quasi diceretur: Hæc vna sola custodia numquam fallet, quæ symbolo hoc denotatur. Videsne quàm nullo modo sic deuij in etymologia assignanda ferri queamus, vt à tutela fidaque custodia in Anubis nomine abertemus? Nec mirum, si in An vel een vel ain vel ein intelligamus, cùm omnia hæc pro dialectorum varietate Vnius habeant notationem. Sed hoc minutius. Quamuis ergo quæ prius dicta sunt in Anubis nomine non incommodè intelligi cernamus, postrema tamen hæc expositio mihi in primis arridet, vtpote quæ pulcerrimam conuenientissimamque symbolo complectatur sententiam, qua videlicet omnes commonefiant, in Spiritu sancto vnicam esse salutis tutelam; à qua si excidamus, frustrà eam alibi simus quæsituri. Quamobrem si Osiridem & Isidem nobis adesse velimus, necesse est vt hos in animis nostris Anubis custodiat. Conferantur modò hæc nostra cum illis quæ vel à Plutarcho vel ab aliis variis somniis sunt inuoluta, & ad nullum sanum exitum deducta; & mox cernetur, simplicem esse & per omnia sibi concordem sermonem veritatis. Nihil tamen est quod clarius habeat indicium & luculentius argumentum, hæc ad Christianam religionem pertinere, quàm simulacra illa, Tau manibus tenentia; quæ de hieroglyphica Bembi tabula bona fide Æneas Vicus, me sæpius præsente, depinxit. Vt enim alia à doctis viris sic oratione ornari queant, vt aliquam saltem probabilium rationem habere videantur; illud tamen Tau toties repetitum, & tot diuersorum manibus apprehensum nullo modo potest vel historiæ, vel naturæ, vel sapientiæ primæ applicari. Quamobrem magnum de Tau apud hos illustres philosophiæ magistros silentium; adeò vt ne ipse quidem Porphyrius voluerit explicare, quodnam esset illud symbolum quod Serapis hominibus ad cacodæmones repellẽdos ostendisset; veritus, ni fallor, si confessus id fuisset, ne compelleretur & illud confiteri, totam hanc ænigmaticã hieroglyphicorũ disciplinam ad Christianam vitam pertinere, cuius nimirum crux esset insigne. Nostrates è media plebe homines Tau peculiari nomine crucem sancti Antonij nuncupant, eo quòd D. Antonius semper ita pingatur, vt non Tau modò manu gerat, perinde atque hieroglyphica simulacra; sed eo pænulam etiam habeat insignitam: quod equidem non dubito quin id factum sit, quòd D. Antonius Ægyptius esset, ac ea quæ de Tau ferebantur apud falsorum numinum sacerdotes, audiisset; eoque hoc signo prælato doceret, vitam illam quam venturam exspectauerant, iam adesse; & ea, si modò vellent, perfrui licere. Miror profectò hanc in hoc diuo pingendo constantiam hactenus ab antiquo apud nos manere; nec quemquam repertum qui caussam crucis ad eum modum formatæ explicaret. Ceteris enim sanctis cruces dantur cum indicibus superiùs exstantibus, ita vt quatuor recti anguli crucis figura exprimantur: soli D. Antonio ipsum Tau vera crucis figura appingitur, cui nullus superiùs index, quem Pilatus affixerat, adhæret. Nusquam mihi pictores æquè atque in hoc signo pingendo grati fuerunt; & eò quidem gratiores, quòd cur hanc figuram D. Antonio facerent peculiarem, prorsus ignorarent: quo nomine fides eorum magis exosculanda. Quamuis enim non alio vllo indicio quæ vera crucis antiquæ fuerit forma sciremus, attamen de hac diligentia imitationis videremus, & crucem apud antiquissimos Tau fuisse, & hoc ipsum signum illud esse quod Ægyptij sacerdotes venturæ vitæ notationem habere asserebant. D. autem Antonium honesto loco in Ægypto natum fuisse, & maximam vitæ partem in Thebaide egisse, D. Athanasius te docebit, qui admirabilem sanctissimi hominis vitam descripsit; inter cetera hoc etiam commemorans, eum crucis signo diaboli impetus frustrari solere. Verumenimuerò dicet hîc aliquis, Quæ de Tau tradis ita sunto. Quid inde? Num idcirco tu falsorum deorum, aut potiùs cacodæmonum nomina Deo accommodabis, & Osiridem & Isidem & Anubin Christianis obtrudes? Licet crebrò responderim huic obiectioni; rursus tamen idem repetere cogor, & palàm clamare, me & antè semper, & nunc iterum negare, cacodæmonum hæc principiò nomina fuisse, sed ab illis sacrilega impostura ad cultum suum detorta. Cùm enim ipsi diuinos sibi honores postularent, nec eos veris nominibus possent adipisci, proximum fuit, vt cuius honoribus insidias tendebant, eius sibi titulos

Anubis aliud etymon.

Tau D. Antonij Crux à vulgo appellatur.

D. Antonius cur Tau habuerit & in manu & in pænula.

Diui Antonij natales & patria.

Idolomania principium.

titulos sumerent & affingerent; quo illis honestati, aras omnes & sacrificia Deo soli debita occuparent. Sic cacodæmon Delphicus non Apollinem tantùm se voluit nominari; sed sic etiam ab iis qui templum intrabant voluit salutari, vt ei tamquã vero Deo Ei, id est, Es dicerent: quod vt ab omnibus audiret, templi foribus inscribi curauit. Si tam impudens fuit mendacissimus hic dæmon, vt verbum omnibus notæ & apertæ significationis sibi sumeret, quanto facilius nomina ignotæ notationis potuit vsurpare? Sed satius fuerit ipsum furem audire, plagium suum confitentem. Difficile fortassis id existimetur in tanta veteratoris calliditate: faciam tamen vt manifestò teneatur ipsa cacodæmonum confessione. Panis nomen vnum de veris Dei nominibus esse, demonstrabo, tametsi impio sacrilegio iam olim fuerit eius possessio à dæmonibus arrepta; & tanto pluribus ludibriis inquinata, quanto id quod nomine significabatur magis erat dæmonibus displiciturum, tum cùm esset ab eo cui nomen reuera conueniebat, absolutum. Referam itaque historiam commemoratu dignissimam, qua non hoc tantùm quod dico demonstrabitur, sed vna etiam aperietur, quàm sollicitè Deus gentes omnes monuerit, Christum venisse, non solùm naturæ portentis ad id vsus, sed ipsis etiam spiritibus malignis nunciis & præconibus. Plutarchus nihil minus cogitãs, quàm se religionem Christianam, à qua non minus quàm Ammonius, Plotinus, Porphyrius, & ceteri eiusdem farinæ philosophi fuit alienus, testimonio suo iuuare; hæc sententia tenus in iis quæ de Oraculorum disputat defectu, prodidit, in quibus transcribendis Latinis Xylandri verbis vtemur. De morte autem, inquit, Geniorum narrationem audiui, viri nequaquam fatui aut vani, Æmiliani rhetoris, quem & vestrûm nonnulli audiuerunt, pater fuit Epitherses, ciuis meus & Grammaticæ doctor. Is aiebat se aliquando in Italiam nauigare intendisse, & conscendisse nauim quæ & mercibus & multis vectoribus esset onusta. Sub vesperam verò, cùm iuxta Echinadas essent, ventum posuisse, nauimque incerto cursu prope Paxas delatam. Vigilasse tum vectorum plerosque, multos etiamunum à cœna potasse. Tum subitò ab insula Paxis auditam fuisse vocem, quæ Thamum quendam nominatim cieret, non sine admiratione hominum. Erat autem Thamus iste Ægyptius gubernator, paucis vnà vehentium de nomine notus. Hunc bis vocatum siluisse, tertio vocanti se dedisse, eumque contenta voce dixisse: Vbi ad Palodes veneris, annuncia magnum Panem esse mortuum. Perterritos aiebat Epitherses, hoc audito, vniuersos; ac inter se disputasse, præstaretne exsequi hoc mandatum, an verò omittere, neque quicquam curiosè agere. Thamum autem statuisse, si ventus spiraret, tacitum se præteruecturum: sin malitia ad eum locum peruectis existeret, expositurum quod audiuisset. Postquam ad Palodes peruentum fuit, cùm neque ventus esset, neque fluctibus mare exagitaretur, Thamum è puppi versus terram prospexisse, & quod inaudiuerat dixisse: Mortuus est magnus Pan. Vix dum conticuisse illum, & gemitum magnum exauditum fuisse, non vnius, sed multorum admiratione mixtum. Quod autem fieri solet cùm euenit aliquid multis testibus præsentibus, statim rei famam Romæ fuisse diditam, Thamumque à Ti. Cæsare fuisse accersitum, ac Cæsarem ita certò credidisse, vt de Pane illo diligenter inquisiuerit. Doctos verò, quos ille multos secum habebat, conieciisse eum esse qui Mercurio & Penelope fuisset natus. Hæc Plutarchus. quæ vtinam quàm diligenter exposuit & testibus confirmauit, tam bene in rem suam vertisset, ac tandem quis magnus Pan esset, se ipsum diu multumqua sui temporis homines rogando reddidisset certiorem. Nequeo profectò satis demirari illorum crassam & supinam ignorantiam, qui apud Ti. Cæsarem magnum Panem Mercurij & Penelopes filium iudicarunt; eo quòd hic, si vllus vmquam fuisset, omnium minimus meritò haberetur, & longè illi Pani postponendus, cuius Euander, Herculi æqualis, sacra ex Arcadia in Italiam dicitur transtulisse. Quid? an ignorarunt, quanto ille & maior & antiquior esset, qui Titanes Panico terrore perculsos deuicit? Numquam apud Herodotum legerant, Panem vetustissimum inter primos Deos apud Ægyptios habitum fuisse? Supinam profectò agnosco negligentiam, dum magnus Pan ad Penelopes partum refertur. Videndum ergo quis Pan Tiberio imperante mortuus sit, ad cuius nuncium dæmones & admiratione fuerint perculsi, & magno gemitu littora complerint. Expostulat diabolus cum Christo, quòd ante tempus possessione sua vetusta

Dæmon vocabula ignota significationis facilè potuit sibi vsurpare.

Plutarchi locus de Pane magno Deo mortuo.

Pan magnus mortuus.

Pan magnus quis iure dicendus.

vetusta expelleretur: & cùm iam se sibi laqueum in morte Christi præparanda nexuisse deprehendisset, sera pœnitentia ductus, Pilati vxori suggessit, vt maritum à condemnatione sanguinis iusti prohiberet. Verùm frustra. Cùm igitur iam mortuus esset Christus, cuius solius morte cacodæmonum imperium est euersum, meritò gemuerunt & eiularunt quotquot vsquam diaboli fuerunt. Christus igitur magnus Pan est; tantum abest, vt de dæmone quopiam maligno mors hæc ad Palodes nuntiata sit intelligenda. Neque enim Dæmones vlli tum tandem mortui sunt, nec pòst etiam in mortem inciderunt, sed statim ab initio cum superbia & inuidia æterna morte sunt condemnati. Consideremus ergo quis Pan dicatur fuisse. Inter omnes conuenit Deum esse pastorum. Quis verò alius Deus pastorum, quàm Christus? Iam & illud quòd totius mundi imaginem gessisse scribatur, soli itidem Christo conuenit, qui solus verus Deus erat & homo, solus opifex vniuersorum, & in iis factus homo corruptioni obnoxius, totum mundum Deo Patri conciliauit, & humanum genus à morte liberauit; λυτήριος ob id nuncupatus. Romani Lupercum nominarunt, eo quòd lupos à gregibus arceret: quod quàm in Christũ quadret, quorsum multis explicẽ? Nec alia causa Lycæus apud Arcades; tametsi id perperam ad montem pleriq. retulerint, cùm religio montium, non mons Deo fecerit nomen. Sic & Nomios, à lege quam tulit æternã, & Lampeus. à splendore mortaliũ tenebris illato, vocatus est; non à nescio quibus montibus, vt Græci crediderunt, cùm hi potius ab ipso nominandi fuissent. Quòd autem ἄγριος dicatur, non mirum, cùm inter agrestes maximè sit versatus, & inter asinum & bouem in vitam editus, pro mollibus cunis præsepe nactus. Quoniam porrò cum piscatoribus ferè versaretur, ἁλιπλαγὴς vocatus est: quæ nomenclatura quàm aptè in Christũ cadat, quis non videt? Quis præterea magis διαρκὴς dicendus, quàm Christus; in quo solo totius vitæ est plenitudo; qui paucis panibus & piscículis multa hominum millia satiauit, qui vinum ex aqua fecit, cuique semper plus supersit quàm mundus totus capere possit? Qui de parentibus huius vetustissimam sequuntur sententiam, aiunt eum è cælo & terra genitum; & meritò quidem, eo quòd pater eius sit cælestis, mater terrestris. Quæ de Panis ortu fabulantur alij, delira sunt anilium nugarum somnia, & nihil ad verum Panem, qui Tiberio imperante mortuus est, spectantia. Dictus autem est Pan, non Græco nomine, sed Cimmerio, à Paien/ quod est contentum reddere & satisfacere: à quo Pai-han/ & contractè Pan/ id est, strennuus satisfactor; ceu in hoc satisfactionis certamine gallus quidam gallinaceus, quo nihil est ad regnum suum defendendum animosius; adeò vt vitam potiùs amittat, quàm de imperio cedat. Hæc igitur vox Pan vel nemini, vel Christo maximè tribuenda, qui, quò Patri suo cælesti pro mortalium genere satisfaceret, sanguinẽ suum & vitam effudit. Longum sit omnia examinare: quorũ quæ mẽdacibus cacodæmonis figmẽtis corrupta non sunt vel inquinata, per se satis clara sunt, his modò iactis fundamentis. Vnum reliquum est inuestigare, qua nimirum de re Syrictes dictus sit, & septem fistularum compactor. Id breuiter expediam. Septenarius Sapientiæ diuinæ sacer est siue Mineruæ: qua de re vel ea quæ alibi docui legito, vel consulito Philonem. Sapientiam autem fistulæ sonanti accommodare nihil aliud est, quàm Sapientiam efficere, vt omnia in toto mundo concinant, cessante omni vocum in regno cælesti, quam inuidus Draco excitarat, discordia. Diuinæ igitur sapientiæ Musica toti mundo, iam multis numeris dissono, per Verbum Patris incarnatum restituta, septemplice Panis fistula denotatur: quam vt hic primus inuenit & absoluit; ita suis pastoribus perpetuò docendam reliquit; cuius auditione omnes cacodæmones veluti Panico terrore perculsi obstupescunt. Quia igitur hæc Syrinx in morte Christi prorsus fuit absoluta, ad eum modum insonuit non hominum solùm auribus, sed ipsis etiam elementis, & toti cælo, vt omnia veluti attonita, consueta sua munia desererent, Sol lumen suũ, nullo Lunæ aut alterius corporis obiectu, omnibus terris subduceret, ipsa terra multis locis dehisceret, & imos manes aperiret, ipse etiam barbarus miles & hircosus centurio clamaret, Deum mortuum esse: Cacodæmones præterea magno suo dolore idem testarentur; & ita vi veritatis cogente, non sociis modò spiritibus, sed hominibus etiam nuntiarent, Magnum Pana obiisse. Totum igitur mundum hæc fistula acuto suo sono, tum demum omnibus obstrepens stupefe-

Magnus Pan Christus.

Pan Deus Pastorum & eius varia nomina.

λυτήριος. Lupercus.

Lycæus.

Nomios.

Lampeus.

ἄγριος.

ἁλιπλαγὴς.

Διαρκὴς.

Panis parentes.

Cælũ & Terra.

Pan vocis etymon.

Paien.

Syrictes.

Pan cur septẽ fistularũ compactor fingatur.

Septenarius Mineruæ sacer

Fistula Panis, cuius rei symbolum.

Christi mortem quæ miracula subsecuta.

cit, & Panico terrore concuſſit: mox inde harmoniam ſuam omnibus cõmunicatura, qui modò aures haberent ad audiendum. O admirandam Dei benignitatem, cùm erga omnes, tum erga gentes! quibus vt vim ſuam & ſummum imperium oſtenderet, per Dæmones ipſos à ſe iam per agnum deuictos nuntiauit, magni draconis caput à magno Pane mortuo eſſe contritum. Et è quo tandem loco nuntiauit? Nempe vnde fama non ad Imperatorem tantùm, ſed ad omnes gentes mox eſſet peruentura; non illa quidem tum demum intellecta, verùm teſtificationem ab ipſis hoſtibus Chriſtiani nominis confirmatam perpetuò inter doctos conſeruatura. Quàm omnibus votis optandum, ne apud quempiam mortalium hoc teſtimonio Chriſtiana religio ſit ſuadenda, tam ego contrà vereor, ne paullatim plures exiſtant, apud quos id genus argumenta pluris ſint, quàm ſcriptura diuinitùs inſpirata. Sed eſto, non opus erit: num inde efficitur, vt malum ſit mirabilia & ſtupenda Dei opera conſiderare, quibus humani generis ſaluti variis modò ſuccurrere molitus eſt? Vel ingratiſſimus ſit oportet, vel iniquiſſimus beneficiorum æſtimator, cui hoc ſingulare & numquam aliàs auditum miraculum indignum videatur vel diligenti examine, vel copioſa & frequenti commemoratione. Vt autem ad id veniam cuius gratia hiſtoriam hanc expoſui, vide ipſum hîc cacodæmonem fateri, Panis nomen non ſibi, ſed Chriſto conuenire; tametſi eo miſeros mortales multis ad illud vſque tempus ſæculis variè luſiſſet. Ait igitur magnum Pana, id eſt, magnum pacificatorem mortuum eſſe; id eſt, ea ratione qua & mortalis erat, & ad ſatisfaciendum pro hominum peccatis de muliere natus. Ratio igitur nominis Cimmeria eſt, non Græca, nec à Græcis intellecta; vti & res ipſa & cognomina declarant, & multo magis falſi Panes. Quia enim Panis nomine ſatisfaciendi placandiq́ue notio quædam deſignatur, ſpurciſſimæ belluæ, quo plus ignominiæ ſacris inferrent, ſe Panes & Ægipanes eſſe perſuaſerunt; quòd videlicet arrectis membris muliebri prurigini ſatisfacerent: quo ſuo commento vt impietatem ſceleris auxerunt; ita nobis hoc attulerunt emolumenti, vt luculentam nominis rationem in ſermone noſtro inueniremus. Nunc itaque perſpicuum eſt non illud modò, quis verus & magnus Pan ſit, ſed & hoc, cur Pan Inuus & Incubus & Ephialtes, & neſcio quæ alia ſit vocatus: qua in re manifeſta cacodæmonum fraus deprehenditur, qua veræ pacificationi turpiſſimam libidinis ſatisfactionem ſuppoſuerunt, ſeſe gallos & ſtrennuos ad inſatiabilem feminarum cupiditatem explendam ſacri nominis prætextu profeſſi. Quemadmodum itaque hoc nomine turpiſſimè abuſi ſunt & humani generis & totius religionis hoſtes; ita de ceteris quoque cogitandum: & ſicuti hîc quid à Dæmonum mendaciis, quid à priſcis pietatis magiſtris & ſalutis vatibus profectum ſit, facilè dignoſcitur; ita in aliis etiam promptum fuerit iudicare, quid Dei ſit, quid à malignis ſpiritibus poſtea corruptum & inquinatum, & ad mendacia detortum: quo tamen in foro parum felix erit illius induſtria & ſollertia, qui veræ nominum interpretationis ſit ignarus. Cùm ergo nunc de ſymbolo Tau inter hieroglyphica frequentiſſimo docuerim, priſcam Ægyptiorum religionem, quæ pòſt in idolomaniam tranſiuit, ad vera Chriſtianæ fidei oracula totam ſpectaſſe, videor mihi ſatis magnum & validum argumentum oſtendiſſe, quo vera & perennis ſapientia diuinitùs hominibus data demonſtretur, nec aliunde quàm è noſtra religione pendere, nec ad alium ſcopum quàm ad Chriſti crucem ſpectare: quod ſola vocis Crux ratio examinata ſic ante oculos ponit, nihil vt clarius eſſe poſſit. Quoniam verò ex Ægypto aduerſo flumine in Æthiopiam iter patet, & magna olim inter illas regiones commercia fuerunt, non dubito quin in religione quoque vetuſtiſſima, magna in multis fuerit concordia. Nuſquam certè gentium maior eſt crucis ſimulacrorum vel in manibus vel in collo ferendorum vſus, quàm apud Abyſſinos: quod licet de communi omnium Chriſtianorum conſuetudine manaſſe dici poſſit, facit tamẽ Ægypti vicinia, vt aliter ſuſpicer, & credam hanc tam aſſiduam & perennem conſuetudinem ad eandem originem pertinere, ad quam oſtendi D. Antonij crucem referri debere. Adde quòd crucem eo nomine ab illis vocari intelligam, quod ſi ad priſcam Cimmeriorum linguam examinetur, mirum in modum quadrat cum ipſius Tau myſteriis. מְשִׁכָּל enim crucem vocant: quod vocabulum licet à verbo שכל Hebræi deducerent, nos tamen ſuſpicamur vocem Ogygiam eſſe, ac perinde ac Tau

Pan Inuus, Incubus & Ephialtes cognominatus.

Crucis ſimulacrorum ferendorum in collo & manibus vſus apud Abyſſinos frequentiſſimus.

Crucis nomen apud Abyſſinos.

& Crux

& Crux Cimbricam ſibi interpretationem poſtulare. Quod ſi ita eſſe nobis detur, Ma-ſtic-al dicemus apud priſcos crucē vocari ſolere; propterea quòd mēſura eſſet, per quam omnia recto ſuo ordine diſponerentur, ceu Mat-ſcit-al diuiſis ſyllabis diceretur: atque rationem hanc ſequendo, littera Scin cum puncto dextro legenda eſſet. Verùm quoniam huius rei nihil ampliùs exploratum, quàm id quod ab eo memoriæ proditum eſt, qui Lexicon Hebræolatinum in Biblia Complutenſia ſcripſit; & is à שִׂכְל ſic deducat, vt eo ſapientiam, quæ in ſolà crucis cognitione eſt, denotari oſtendat; atque eius aſſertioni illud addi poſſit, non ſapientiam modò, ſed proſperitatem quoque hac voce denotari, ſi à שׂכל deriuetur; quæ tota homini de cruce pendet: nolo hîc nimium ſuſpicioni meæ fauere; contentus aliis ampliùs cogitandi dediſſe occaſionem. Neque porrò addere volo, apud Chinas etiam crucem inter ſacra ſigna haberi; ſed qua de cauſſa, ab iis ignorari. Nam vt ad Abyſſinos per eunuchum Reginæ Candaces Euangelium venit; ita apud Chinas quoque & vicinas Orientis vltimi gentes vel per D. Thomam, vel per alios prædicatum fuiſſe nihil dubito: & quo minus dubitem, non pauca ſunt quæ me impellunt. Quamobrem ne nouis hiſce, vel ſaltem talibus, vt poſt Chriſtum natum videantur exſtitiſſe, antiquiſſima Ægyptiorum monumenta iniquè comparem, ſatius fuerit ea quæ ambiguæ ſunt vetuſtatis, huc non aduocare. Quid enim opus eſt iis quæ luce ipſa clariora mihi videor reddidiſſe, per dubia & controuerſa argumenta caliginem aliquam adferre? Præſtiterit ſanè totam diſputationem ad breuem redigere ſummam, vt vno obtutu ſimplex & nuda veritatis facies tota cernatur. Dico igitur figuram Tau & figuram crucis antiquam, quam in D. Antonij & manu & pænula cernimus, eandem prorſus eſſe; atque id Ezechielis teſtimonio vnà cum D. Hieronymi explicatu non obſcurè indicari: Quinetiam hieroglyphicis Ægyptiorum notis tam apertè doceri, vt ſi quis vlteriùs diſſentiat, cum eo non magis velim altercari, quàm cum eo qui effronte impudentia iis quæ oculis omnium cernuntur, velit aduerſari. Accedere deinde ipſius Crucis etymologiam; quæ, tametſi nihil eſſet ceterorum, luculenta tamen veritate demonſtraret, quæ ipſius Tau fuerit figura. Si enim crux Tau Gallicum eſt Virgilio, ſi crux ad formam litteræ Tau Græcorum facta ſit de Luciani teſtificatione; qui alterutrius figuram norit, vtriuſque norit. At littera Tau Græcorum notiſſima eſt, notiſſima etiam forma ſcipionis cum ligno tranſuerſo, quem vel claudicantes, vel ceteroqui non ſatis firmi axillis ſubiiciunt. Quid igitur reliquum eſt dubitationis, quin dicamus antiquiſſimam Tau figuram eam ipſam eſſe, quam Græci & Latini ſeruarunt. Cùm igitur D. Hieronymus dicat, ſua etiamnum ætate Samaritanorum Tau crucis figuram habuiſſe, & Samaritanorum characteres olim etiam Hebræorum fuiſſe; neceſſaria collectione concluditur, litteras Samaritanorum à Poſtello nobis depictas, ſi non in aliis figuris, at ſaltem in Tau non eſſe genuinas, cùm neque Tau Græcorum, neque crucem repræſentet.

Crux inter ſacra ſigna apud Chinas.

Tau littera figura.

Samaritanorum characteres à Poſtello depictos non eſſe genuinos.

Cùm itaque nunc ſatis multa, quantum quidem propoſita nobis fert diſputatio, de figura Tau, de eius antiquitate & myſteriis dixiſſe videmur; reliquum eſt, vt Tau vocē ad orationis Alphabeto expreſſæ ſententiam accommodemus: quod niſi faceremus, extrema clauſula ad ſermonis integritatem neceſſaria deſideraretur. Vt in ſingulis vocibus plures ſeſe frequenter offerunt ſignificandi rationes, quas intuitus nomenclator, earum vel hanc vel illam fecit compoſitionem; ita in tota etiam hac Alphabeti oratione plures totius ſyntaxeos cauſſas ſecutus videtur. In primis itaque vltimam litteram Tau fecit, eo quòd Tau vltimus finis eſſet omnis omnium humanorum ſcelerum expiationis. Quemadmodum igitur operum omnium finis vltimum eſt eorum quæ fiunt; ita & Tau vltimum fuit in oratione. Nulla enim orationis, nulla ſacrificiorum vis tanta vmquam fuit, vt niſi ad crucem Chriſti tamquam ad finem extremum referretur atque eo perficeretur, quicquam faceret ad ſalutem. Atque hæc ratio vel per ſe vel ex iis quæ dicta modò ſunt, ſatis eſt aperta. Sententiam verò ſic abſoluit, vt in duas vox partes diuidi intelligatur; in Te & Au: ē quibus eliſa prioris partis vocali, Tau fit: quo ſignificatur, ad antiquum. Rogat enim præceptor, vt obſcurum Canopi lumen Spiritus ſanctus ad antiquū erigat. Et eſt ſanè hæc primaria ipſius Tau etymologia, qua crux ita nominatur, quia ſolo eius medio peruenitur ad antiquum Patrem vniuerſorum.

Tau littera cur alphabetū finiat.

Tau vocis cōpoſitio & ſignificatio.

Antiquus dierum. Huc etenim ceteræ rationes referuntur, & in hoc Antiquo acquieſcunt, tamquam in ſummo bonorum. Hic eſt ille antiquus dierum, ſummus apex totius rerum vniuerſitatis, cui primùm & ante omnia conuenit vt Au vocetur, eo quòd & prior ſit omnibus rebus creatis, & ab æterno Filium genuerit: à quorum vtroque Spiritus ſanctus progreſſus, antiquam compleuit Trinitatem. Dicitur itaque Au/ vel ab Hau/ quòd omnia ſolus teneat atque conſeruet; vel ab A & V, quibus principium progreſſus in latitudinem & amplitudinem denotatur, vt natura declarat litterarum. A Patre enim, velut à ſummo apice, progreſſus incipit; perinde atque in rebus ſenſui ſubiectis, à puncto in lineam, & hinc in ſuperficiem progredimur: aut potiùs vt è puncto ſupremo pyramis deſcendit; ita à Patre deſcendunt omnia. In circulo item æternitatis Pater habet rationem centri; è quo linea extrema circulum comprehendens educitur, & tot imaginariæ diametri, quot puncta in circulo longiſſimè appoſita, queunt cogitari; atque hoc modo linea in ſe recurrens è centro primùm educta, quandam Filij habet ſimilitudinem: & diametri centrum & circumferentiam vbique coniungentes, & totum circulum ab extremo ad extremum penetrantes, pulcerrimè Spiritui ſancto comparantur. Vt ergo in circulo centrum eſt ipſum Au/ à quo progreſſus in latitudinem incipit; ita Pater Au eſt, in tota æternitate tribus perſonis comprehenſa; à quibus res creatæ ita proceſſerunt, vti circulum vidimus abſolutum, in quo è linea circulum finiente ipſum centrum cognoſcitur, non aliter atque Pater per Filium, in quo primùm ſe dilatauit, & omnia ad quæ ſeſe dilatauit, Spiritui ſancto deuinxit. Rotunditas igitur totius mundi primum ſpeculum eſt diuinitatis; quæ tamen tanto ipſo mundo ſuperior eſt & latior, quanto finitum infinito minus eſt & anguſtius. Et nos quidem dum hæc animo concipimus, paruum quendam mundum nos ipſos conſtituimus, poteſtate tamen & tantarum rerum captu ex eadem origine deriuato. Hinc igitur ſermonis noſtri architectus omnia antiqua & veneranda Au vocauit, eo quòd quadam tenus pro ſua quæque portione ad ipſum primum Au referenda videantur. Magna itaque ſenioribus reuerentia exhibenda; ſi non alia de cauſſa, at ſaltem hac quòd admiſſi ſint in tam venerabilis nominis communionem. Ex hac ratione Aurora, Aura, Aurum, Heraut/ Alauda, & ſimilia ſua nomina duxerunt; quorum alia aliis locis declaraui. Pro Au Auwe frequenter dicimus per E paragogicum, cuius vſus eſt nobis familiariſſimus. Quia verò duplex noſtrum digamma nonnumquam apud Hebræos & Latinos in Q commigrat, pro vetere & antiquo פּקע dictum eſt, quaſi Goot-auwe diceretur. Nos vulgò pro eodem efferimus Got-auwers. Hoc obiter additum volui ea occaſione, quòd Antiquus dierum פּקע vocetur. Verùm eſt & alia apud Hebræos vox, ex Au noſtro relicta. אב enim quid aliud eſt, quàm Au, digamma in Bet permutato? quod non Hebræi tantùm, ſed Allemani etiam crebrò faciunt: pro Ouer Ober & ſimilia pro ſimilibus efferẽtes. Pater igitur ab antiquitate nomen ſortitus eſt, ſi vox ad primam linguam examinetur. Videmus itaque Alphabetarium noſtrũ doctorem à Patre progreſſum in Patre preces ſuas terminaſſe, atque ita integrum orbem abſoluiſſe; quem nos ſecuti ſemper oremus, vt Spiritus ſanctus nos per Filium erigat ad illum qui ſolus propriè Goot auwe & ab dici poteſt.

Vau.

Rotunditas mundi primũ diuinitatis ſpeculum.

Auwe.

E paragogicũ Cimbris frequens.

FINIS.

Displicebit fortassis nonnullis in Hieroglyphicis Goropius, quòd falsorum deorum fabulas ad Deum, & Christianam religionem referat. Sed cùm hæc probabiliter faciat, & absque religionis nostræ dispendio, vt ex operis deductione constat, meo iudicio hoc opus, cum reliquis quæ approbaui, edi potest. XI. *Kalend. Sept.* LXXIIII.

Molanus librorum visitator.